CHRISTOPHORI WITTICHII
THEOLOGIA PACIFICA,

IN QUA

Varia Problemata Theologica inter Reformatos Theologos agitari solita ventilantur,

SIMUL


Usus Philosophiæ Cartesianæ in diversis Theologiæ partibus demonstratur, & ad Dissertationem

Celeberrimi Viri,

SAMUELIS MARESII,

De abusu Philosophiæ Cartesianæ in rebus Theologicis & fidei,

MODESTE RESPONDETUR.



LUGDUNI BATAVORUM,

Ex Officina ARNOLDI DOUDE, Anno M DC LXXI.

PRÆFATIO
Ad Eccleſias Reformatas
FOEDERATI BELGII.

POſtquam placuit divinæ Providentiæ me vocare ad munus Profeſſoris Theologiæ, vobisq; ædificandis operam dare voluit, nihil magis habui in votis, quàm ut ſpartam, quam nactus eram, pro virili ornarem, & ad exemplum aliorum, me & ætate & prudentiâ aliisque dotibus majorum, meum quoque talentum exercerem ad veſtrum emolumentum & incrementum, innitens in hâc cœleſti doctrinâ tradendâ ſoli verbo divino, ad quod tanquam unicam & perfectiſſimam cynoſuram fidei & morum ſemper reſpexi, nec à formulis conſenſus inter Reformatos receptis quicquam recedens. Interea in veritate, quæ eſt ſecundum pietatem, magis magisque proficere laboravi, ut ita majores fructus in vos ſucceſſu temporis poſſem conferre. Scripto per decennium in publicum non prodii, quod cenſerem elaboranda prius accuratius & maturius recoquenda, quæ publicam lucem adſpicere debebant. Sæpius interea illud Horatii apud mentem meam verſans: *Benè qui latuit benè vixit*, canebam mihi & Muſis meis, & me potius ipſum, atque diſcipulos curæ meæ commiſſos privatim erudire plenius conatus quàm alios, exſpectabam meliorem ſcribendi oportunitatem. Ut ea ſcriberem, quæ toties erant ſcripta & dicta, atque ita libros aliorum longè meliores è manibus lectorum excuterem, non judicavi meum eſſe. Non quaſi cenſerem, nihil planè eſſe ſcribendum repetendumque quod dictum eſt à majoribus

* noſtris.

nostris. Id enim sæpè occasio flagitat & imprimis adversariorum importunitas, qui non rarò veritati à nostris antecessoribus inventæ se opponunt, quibus ut occurratur elenchticis scriptis, jam inventam veritatem asserentibus & defendentibus, aliquando requirit necessitas. Sed didactica quod attinet, quæ veritatis limitibus proferendis inservire debent, nihil videtur literis mandandum, nisi quod vel novitate rerum vel methodi commendare se possit. Cui enim bono scriberetur, quod jam antea rectè & traditum, & ex libris veterum melioribus addisci benè potest. Nova autem vi luminis rationis si quis è primis principiis educat, tantùm abest, ut sit reprehendendus, ut potius omni laude ob hanc suam industriam in inquirendâ & dexteritatem in inveniendâ veritate, quæ est antiquissima, dignus videatur. Inventa nova Mathematica vix est qui vituperet: omnes ea laudibus evehunt & extollunt. Quidni easdem mererentur inventa nova Physica & aliarum Philosophiæ partium? Solent verò novitates in Theologicis imprimis esse exosæ. Et sanè quæ subruunt fundamenta benè posita, quæ impugnant scripturam ejusque auctoritatem evertunt merito ab omnibus Christianis odio habentur. Nec tamen tam novitatis nomine quàm falsitatis sunt rejiciendæ. Et falsitas & absurditas sententiarum unica reverâ ratio esse debet, ob quam aliquid sit respuendum, sicut è contrario veritas sola debet esse, propter quam sententiæ alicui assentiendum. Etiam novitates in Theologiâ merito sunt exosæ inter Reformatos, quæ militant contra formulas consensus & vincula concordiæ, quibus inter se colligantur. Quis enim non abhorreret ab his, quæ ea quæ benè posita sunt, evertunt? Quæ tamen aversatio iterum non tàm ex odio novitatis debet exoriri, quàm ex amore veritatis; quam cùm istæ formulæ consensus inter Reformatos complectantur,

ctantur, eæque ex scripturis sint ritè eductæ, non possunt ferri, quæ his adversantur. Atque ita, qui se istis opponunt non tantùm hoc nomine sunt rejiciendi; sed etiam non possunt haberi pro membris ejusdem societatis, quando non consentiunt in eandem societatis formulam. Hanc dum rejiciunt, se eo ipso separant & resecant ab illâ societate. Aliter se res habet, si, qui præter formulas receptas in illius Ecclesiæ doctorum nonnullorum scripta irrepserint errores, reprehendantur, quo facto, ii schismatici sunt ducendi, qui reprehendentes non ferunt, sed ideò è suo corpore rescindunt. Quod si quoque quis studio & pruritu novitatis, merâ ambitione ductus, ut digito queat demonstrari & sibi nomen conciliet, novitati inhiet, non tantùm meritò bonorum omnium reprehensionem incurrit, sed etiam semetipsum graviter decipiet, & novitatem pro veritate, carbones pro thesauro amplectetur, & hâc innovandi libidine semetipsum ad veritatem perscrutandam reddet ineptum; cujusmodi novitatis studium cane pejus & angue censeo fugiendum. Verum enim verò si quis super fundamentis Reformatæ religionis benè positis novos exædificet parietes, si parietes fixos & stabiles novis exornet picturis, si alia conferat nova ad ædem sapientiæ circa divina versantis magis magisque perficiendam, is profectò non vituperio sed laude omni dignus est censendus. Proficiendum est utique nobis, sicut in studio charitatis, in quo utinam magis proficeremus! ita quoque in studio veritatis. Qui Scripturæ scrutinio totus deditus meditatur legem Dei die & nocte, atque ex eâ elicit veritates, eandem antiquitatem cum Scripturâ habentes, quamvis, quia hactenus deprehensæ non sunt, novæ appellari queant, easque modestè cum fratribus communicat, ut sic secum progrediantur & crescant in cognitione,

is profectò omni laude mactandus, & virtutis encomio alii quoque ad æmulationem alliciendi. Nec vituperium meretur Paterfamilias, qui ex hoc thesauro suo vetera & nova profert. Reverâ enim Scriptura est thesaurus inexhaustus, & vadum, per quod agnus transeat & in quo elephas natet. Multa adhuc nobis latent, & neminem pœnitebit, qui eorum meditationi operam navaverit seriam, sed semper inveniet, quod delectet. Quia tamen seculi hujus tanta est perversitas, ut, qui id faciunt nomine invidioso Novatorum, quamvis perperam, soleant traduci; ego amore quietis alienus fui ab omni scriptione publicâ, contentus quæ privatim meditatus fueram tradere meis discipulis, ne talentum à Deo acceptum cum servo inutili defoderem. At hîc deprehendo singularem providentiam divinam, quæ sic hærentem & latere volentem manu quasi apprehensâ producit in publicum, & amplius tacere non sinit, quæ animum viresque addidit hæc in chartas conjiciendi quæ utilitatem quandam & adjumentum in studio & incremento veritatis aliis allatura confido. Ea me porrò, ut spero, corroborabit, ut imposterum alia quædam in commune bonum & utilitatem conferre queam. Solitus fueram ab eo tempore, quo huc fui evocatus, commendare meis discipulis Systema Theologiæ Celeberrimi Viri D. Samuelis Maresii, in illudque crebra Explicatoria & Examinatoria habere collegia, idque eo imprimis nomime, quòd nullum aliud nossem, quod adeò succinctè, nervosè & plenè contineret medullam totius Theologiæ, atque adversariorum Religionis Reformatæ fundamenta præcipua everteret. In ejus explicatione autem mihi ita censebam versandum, ut ea, quæ brevius dicta erant, magis deducerem, quæ vis in verbis lateret exponerem, argumenta confirmarem pro Orthodoxâ doctrinâ posita, atque funda-

fundamenta, quibus adversariorum everterentur cuniculi, explanarem. Cùm vero scirem, scriptum id esse humanum, non putavi id à me alienum esse, vitioque debere verti, si in ejus lectione & explicatione sic me gererem, quomodo Augustinus præcipit, nos in suis & in aliorum scriptis legendis debere versari. Sic ille Epistol. CXI. ad Fortunatianum: *Neque enim quorumlibet disputationes quamvis catholicorum & laudatorum hominum velut Scripturas Canonicas habere debemus, ut nobis non liceat salvâ honorificentiâ, quæ illis debetur hominibus, aliquid in eorum scriptis improbare atque respuere; si fortè invenerimus, quòd aliter senserint, quàm veritas habet, divino adjutorio vel ab aliis intellecta vel à nobis. Talis ego sum in scriptis aliorum, tales volo esse intellectores meorum.* Quamvis igitur in plurimis cum Clar. Viro consentirem imò ea omnia, quæ spectant communia Reformatæ Religionis fundamenta, per quæ ab omnibus aliis sectis discernuntur, utroque pollice probarem, tamen erant quædam leviora nihil ad summam Religionis attinentia, in quibus dissentirem. Aut enim occurrebat argumentum aliquod, quod non æquè ac alia videretur rem conficere, vel locus Scripturæ, cujus explicatio non videretur satis conveniens scopo, antecedentibus & consequentibus aut locis Scripturæ parallelis; aut agitabatur quæstio, non intercedens nobis cum Reformatæ Religionis hostibus, sed quæ inter ipsos Reformatæ Religionis parietes in utramque partem ventilabatur, ubi probabilior aliquando mihi videbatur aliorum ex nostris hîc in partes discedentium sententia, quàm Viri Celeberrimi. Imprimis verò deprehendebam quædam ex scholasticâ Philosophiâ depromta, quæ, quoniam claris & distinctis conceptibus formandis, ad quos meos discipulos ducere conabar, tanquam optimum faciendorum brevi tempore magnorum progressuum fundamen-

damentum & adminiculum, censerem obstaculum & remoram esse positura, non potui, quin eorum loco docerem, quæ melioribus mihi videbantur stabilita fundamentis Quid enim facerem? Magno quidẽ amore & veneratione prosequebar meum olim præceptorem, qui amor quoque argumentis antea dictis pondus adjecit, ut præferrem ejus systema aliorum omnium synopsibus vel Theologiæ compendiis aut medullis, magis tamen amari debebat à me veritas, neque poteram in gratiam hominis, etsi Pater meus fuisset, veritati sanctissimę nuncium mittere, vel contra conscientiam ea docere, quæ pro veris non habebam. Ipsemet Vir Celeberrimus me docuerat, in Theologiâ non nisi auctoritate verbi divini esse standũ, quod hoc unicum sit Fidei nostræ & Religionis Principium: non igitur ipsius quoq; auctoritas, quãvis aliàs apud me esset magni ponderis, potuit me ita afficere, ut non judicarem, liberè ab ipso mihi licere dissentire, ubi ipse à veritate viderètur discedere. Quin imò adeò semper mihi fuit amica veritas, ut ejus in gratiam propria aliquando vineta cædam & proprias meas opiniones refutem, ubi reprehendi, eas à vero abiisse. Quo nomine cùm mihi ipsi non possim censeri factus inimicus vel me ipsum odio habere, ita à nemine meam à se dissentientem sententiam pro argumento odii vel inimicitiæ vel insultationis velim haberi. Postquam ita per triennium circiter in systemate isto Theologico tractando fuissem versatus, factum est, ut quidam meorum discipulorum iteratis vicibus postularent, ut ea quæ ita ex me auribus tantùm perceperant, etiam oculis posthæc usurpare possent, sicque adminiculum haberent memoriæ firmandæ, ne adeo facile diffluerent illapsa per aures. Etsi autem ægrè admodum huc me paterer deduci, quia tamen petitionis æquitatem deprehendi, non potui, quin tandem ipso-

ipſorum votis annuerem. Sic ergo loco explicationis voce tantùm factæ ſucceſſit ea, quæ ſcripto comprehenderetur, atque hæc origo dictatorum iſtorum fuit, quæ imprimis ad exponendum, illuſtrandum & confirmandum Syſtema Theologicum Celeberrimi Mareſii fuerunt directa, quibus adjeci quantâcunque tamen potui modeſtiâ ea, in quibus ab ipſo diſſentirem. Ubi autem ſemel impetratum à me fuit, ut dictarem, id faciendum fuit denuo repetitis vicibus in novorum diſcipulorum gratiam. Sed quia plurima ex iſtis dictatis fuerunt extemporanea, quæ ipſe non ſcripſeram, quidam etiam diligentiores annotarent non tantùm quæ ad calamum dictabantur, ſed etiam alia quæ ſcripto comprehendi non jubebam, ſed voce ſolum explicabam, factum eſt, ut in quibuſdam inter ſe diſcreparent, dum quædam diverſis in Collegiis nunc brevius, aliàs latius explicarentur & traderentur. Quoniam verò multum temporis perire mihi & diſcipulis dictando ſic animadverterem, ut illud compendii facerem juſſi ante ſexennium ut novitii accedentes ad mea collegia dictata ultimâ vice à commilitonibus deſcriberent, utque omnia Collegii membra per vices deſcriberent in meum uſum exemplar iſtorum dictatorum, juxta quod impoſterum Collegia Examinatoria in Syſtema Clariſſimi Viri ejuſque hunc qualemcunque meum Commentarium inſtituerem, quod poſtea ad hoc uſque tempus ſic obſervatum fuit, magno cum auditorum meorum fructu. Iſtius verò Commentarii partim dictati, partim etiam ex ore explicantis à diligentioribus excerpti, exemplar ubi incidiſſet in manus Celeberrimi Viri, idque prout ex quibuſdam laciniis ab ipſo memoratis potui deprehendere, ſatis pravè deſcriptum, quod fieri aſſolet, atque in eo deprehendiſſet, quòd imprimis in iis quæ Philoſophiam ſpectant, aliiſque quibuſdam paucis ab ipſo diſſen-

diſſentirem, id tantoperè ipſum exacerbavit, ut tractatu integro edito, *De abuſu Philoſophiæ Carteſianæ in rebus Theologicis & Fidei*, ei judicaverit occurrendum. Præfatione vos alloquitur, & in eâ omnes eos, qui Philoſophiam Carteſianam æſtimant, ejuſque potiorem eſſe uſum in Theologiâ arbitrantur, quàm ſcholaſticæ, quam regno Antichriſti ſtabiliendo in Concilio Tridentino inſignem operam navâſſe omnes nôrunt, accuſat, ac ſi *novam moliremur Theologiam* (verba ejus pauca è multis refero) & *varias hæreſes in ſinu noſtro foveremus à vobis non ferendas*, voſque incitare conatur, ut *nos ad lineas & circulum officii noſtri revocetis*, quaſi ab illis exorbitaviſſemus, &, *ſi pergamus tanquam putrida membra reſecetis*. Huc tota tendit Præfatio, idque ſæpiſſimè & variis modis inculcat. In ipſo tractatu iiſdem incedit lineis, nullumque hæreticorum hodie maximè notorum adeo eſt inviſum nomen, quod non liberali manu mihi iiſque omnibus, quos Carteſianos appellat, impingat, prout ex toto ejus libro conſtat; unde particularia ſpecimina congerere hîc ſuperſedeo, hoc unico ſolùm allato, quod omnem excedit modum, omneſque in ſe comprehendit acerbitates, quæ contra Theologum Reformatum poſſunt dici, quod habetur art. 109. *Multò plura ſunt*, inquit, *his ſimiliâ, ex quibus conſtat, hos Novatores agitare nocentiſsima Eccleſiæ Reformatæ conſilia de univerſâ Theologiâ noſtrâ per novas ſuas hypotheſes & cogitationes funditus evertendâ, ut ſic vel Papiſmo vel Mahumetiſmo vel etiam Indifferentiſmo & Gentiliſmo via complanetur indubitata, nihilque admittatur præter claras & diſtinctas perceptiones, quas ſolent iſti homines jactare & Enthuſiaſtico more ſibi vindicare.* Paſſim verò Pelagianiſmum, Socinianiſmum, Papiſmum, aliaſque hæreſes mihi affricare ſolemne ei eſt, quin & p. 105. dicit, *oves lupis committere, qui Theologiæ conſecraneam juventutem*

ejuſ-

ejusmodi Theologorum & Doctorum Cartesianorum institutioni committunt. Ut taceam sarcasmos & dicteria, quæ hinc & inde occurrunt, cujusmodi sunt p. 95. *Hæc certè omnia non Theologum Christianum olent, sed præfectum Gynecæi Ottomannici aut hircum Cartesianum:* & p. 102. *En advocatum diaboli, qui eum justificare studet.* Nihil verò hactenus potui reperire, quod posset inservire excusando isti fervori, nisi ea quæ deprehendo Præfat. p. 4. *quòd hæc putet me dictâsse meis discipulis, ut ipsi apud pubem scholasticam insultarem, & capiti ejus insistendo grandior apparerem;* & p. 5. *me inter illos familiam ducere, qui sui systematis eam induls erint discipulis suis expositionem, ut longè doctiores & subtiliores haberentur, quæ potius expugnatio & eversio systematis Maresiani dicenda foret;* & paulò post: *me ipsum pœna & ludibrio Ludimagistri Faliscorum voluisse subjicere;* item p. 6. *se à me provocatum ultroneâ & procaci aggressione.* In ipso verò tractatu p. 83. *me idem ferè circa suum tractatum molitum videri, quod olim Iesuitæ circa Catechesin Palatinam, cùm eam Excalvinificatam ediderunt: voluisse enim systema ipsius non exMaresianizare, quàm exCalvinificare.* Nescio tamen, quibus argumentis fuerit inductus ad hoc sibi persuadendum. Istius enim mei erga ipsum animi nulla sanè indicia apparent in dictatis meis Annotationibus. Non irrisi, non traduxi ipsius opiniones privatas tanquam vel heterodoxas vel ineptas, stultasque, prout de meis passim facit; solicitè cavi ab omni offensione, & ubi dissentiendum, ne verbulum quidem prolatum fuit, quod ipsum lędere posset, sed ratio dissensionis ubique adjecta; id quod ex specimine & laciniis illis, quas defendendi mei causâ in hoc tractatu adducere oportuit, cuivis apparebit. Scopus meus quis fuerit dixi, nimirum systema ejus explicare, atque discipulis meis, hoc ipsum iteratis vicibus postulantibus, ad usum aptius reddere. Unde doleo admodum,

 dum,

dum, quòd me potius nomine *Censoris perpetui*, quàm Commentatoris perpetui voluerit insignire. Refert præfat. p. 5. *se habere Commentarium perpetuum Viri cujusdam Eximii & inter stellas primæ magnitudinis in Ecclesiis Galliæ recensendi*, an verò ille quisquis sit in omnibus planè potuerit consentire, non habeo quod dicam: hoc saltem scio, si à potiori voluisset facere denominationem, neque irà offuscâsset animum, potuisse quoque Annotationes meas eo nomine insignire. Ea enim quæ faciunt ad illustrandum & confirmandum ipsius systema multis modis superant paucula ista, in quibus coactus fui dissentire. Quod ut facilè unusquisque agnoscere possit, scire velim, dictatas istas Annotationes, prout in meum usum sunt descriptæ folia 50. excedere, nec multo pauciora continere, quàm ipsius systema, cum quibus si comparentur quę in hoc Tractatu reperiuntur descripta, quæ tamen ne sic quidem omnia Clarissimo Viro adversantur, satis apparebit exigua admodum esse præ iis, quæ in ejus systematis elucidationem congessi. Fortè verò obtrectator aliquis clandestinus ipsi persuasit, me his annotationibus ei *voluisse insultare, ejus systema evertere, & capiti ejus insistendo grandiorem voluisse apparere*; sed qui hæc de me jactant injuriam mihi facere maximam sanctè testor, & nunquam has cogitationes animum meum subiisse ex animi sententiâ conceptis verbis hîc affirmo, atque ab ipso Viro Clarissimo, ne tam sinistrè imposterum de me existimet, majorem in modum contendo. Absolvat ergo me imposterum ab ingrati animi crimine, quod mihi impingit Præfat. p. 4. dum inquit, *se me semper amâsse, ut magis gratum discipulum debuerit exspectare*; quam ἀχαριστίαν sic pag. 5. exaggerat, *quòd variis quondam beneficiis affecerit.* Utinam verò æquè ab omni peccato sic immunis essem, ac sum ab hoc crimine. Fateor libenter & publicè,

me

me iteratis vicibus Groningę studiis operam dantem, primo biennio diligentē auditorem fuisse publicarum ejus prælectionum, postea, cùm intercessisset alterū biennium, Leidâ reducem iterum & publicis & privatis ejus laboribus novo biennio fuisse usum, atque singulari ejus promtitudine, dexteritate & institutionis facilitate, cum indefessâ diligentiâ conjunctâ, ita me adjutum, ut ei præcipuè debeam quicquid eruditionis Theologicæ ex Academiis retuli. Etiam hoc non intactum præterire debeo, quòd, cùm intelligeret, mihi propositum esse, eò studia mea dirigere, ut, si fata annuerent Cathedræ Academicæ potius quàm Ecclesiasticæ admoveri possem, animum mihi addiderit suâ hujus scopi approbatione; &, cùm Anno hujus seculi quinquagesimo à Groninganâ Academiâ discederem, Celeberrimo Theologo τῷ ἐν ἁγίοις Johanni Crocio Cassellis tunc Theologiam magnâ cum laude profitenti commendaverit, ut me suo auxilio & commendatione promoveret ad Marpurgensem Academiam, cujus tunc instaurandæ spes erat. Hæc sunt beneficia in me collata, quæ, quamdiu vivam animo grato agnoscam recolamque. Quamvis autem hâctenus defuerit mihi facultas gratias referendi, animus tamen nunquam defuit nec deerit, dum spiritus hos reget artus. Ingratam verò voluntatem nunquam patiar in me deprehendi, neque quicquam hâctenus in me admisi, quod huic culpæ sit affine, quamvis sic sibi Vir Celeberrimus persuaserit. An igitur, ne ingratus essem erga ipsum, non licuit ab ipso dissentire? An aliter ideo debui judicare quàm potui? An ideo non erat explicandum in privatum usum discipulorum ejus systema, illudque omnibus aliis præferendum? An ideo non in hoc fusiore Commentario conjungenda cùm aliis paucula ea, in quibus à quibusdam ejus opinionibus, maximè Philosophicis, modestè discede-

 rem,

rem, adhibitis certis rationibus? Non puto gratam voluntatem, quæ requiritur à discipulo erga præceptorem, id postulare, ut omnibus ejus opinionibus subscribat, etsi ratio contrarium quandoque ei videatur suadere; multò minus ut discipulus in Theologiâ etiam sequatur sententias ejus Philosophicas, etsi aliis fundamentis in Philosophiâ fuerit imbutus. Hæc non esset grati animi significatio, sed misera servitus, animo ingenuo planè indigna. Hoc igitur judicio instructus dum accederem ad ejus vel aliorum quorumvis systematum aut Compendiorum Theologiæ explicationem privatam, non putavi, ne, si libertatem, quam quisque sibi indulget jure merito, mihi quoque sumerem, quicquam committere, quod ingrati hominis notam incurrat, vel officium præceptori debitum me ad id constringere, ut ne hilum quidem in prælegendo ipsius systemate discipulis meis ab ejus placitis recederem, etiam ubi illa à veritate recedere viderentur. Cùm autem postea loco Explicationis, quæ auditu solo percipiebatur, postularetur à meis discipulis ea, quæ etiam lectione & meditatione privatâ ad consulendum memoriæ posset toties, quoties quis vellet, repeti, non potui quoque in animum meum inducere, leges grati discipuli violari, si inter tot annotationes, quibus conarer illustrare ejus systema & confirmare, intermiscerentur paucæ quædam ab opinionibus ejus recedentes. Cogitavi enim, cùm non obstarent Leges grati animi, quo minus liceret diversa sentire & per occasionem etiam dicere ab iis, quos amas & omni veneratione prosequeris, eas quoque non prohibituras, quò minus, occasione ita ferente, liceret adeò tardè ea eloqui, ut possint discipuli calamo ea assequi, atque ita notas admodum paucas, comprehendentes istiusmodi dissensum, aliis longè pluribus ad corroborationem & illustrationem rectè di-

ctorum

ctorum interferere. Non erat igitur ſufficiens ratio, quare Vir Celeberrimus me ἀχαριστίας accuſaret, multò minus ut ea, quæ inter privatos parietes diſcipulorum quorundam concludebantur ſcriptione publicâ eâque adeo acerbâ aggrederetur. Quòd enim inquit Præf. p. 5. *has meas annotationes inſtar pretioſi alicujus monilis in manibus honeſtorum ſtudioſorum in ſuâ Academiâ publicè, & quaſi ſub ſuis oculis verſatas fuiſſe*, atque ideò *indignum fuiſſe* putat *honeſto & cordato Profeſſore eas intactas reliquiſſe*, id mihi aſſignari non debet. Si fuerunt, qui majoris æſtimârunt, quàm par erat, mea dictata, non mihi magis gratam rem fecerunt, quàm Viro Clariſſimo. Si eas Annotationes meas publicè & quaſi ſub ipſius oculis verſarunt mihi ſic crearunt ſuâ imprudentiâ, quamvis ex accidente ut loquuntur, moleſtiam in ſcribendâ hâc Apologiâ. Utinam vero potius, ſi quam offenſam vel ex Dictatis meis vel ex eorum imprudenti jactatione & nimiâ æſtimatione contraxiſſet, juxta mandatum ſervatoris me monuiſſet, & quid de illis dictatis meis eſſet, an pro meis omnino agnoſcerem & quo animo ea tradiderim inquiſiviſſet, auſim ſpondere, me eo modo ipſi fuiſſe ſatisfacturum, ut pleniſſimè fuiſſet acquieturus. Certum enim eſt, in iis quædam eſſe, quæ ſtudioſi propriis verbis conſignarunt, quæ judicarunt ex me audiviſſe, quædam in quibus Vir Clariſſimus mentem meam non eſt aſſecutus, alia quoque cùm ad illuſtrationem ejus ſententiarum fuerint dicta, quæ ab ipſo ita accipiuntur ac ſi contra ſe militarent, ut nunc de mendoſâ deſcriptione non dicam: certum, nihil me aliud quæſiviſſe quàm diſcipulorum meorum utilitatem, nihil de lędendo Viro Clariſſimo cogitâſſe. Durum autem eſt & valdè inſolens, ea quæ diſcipulis ſunt tradita, ut his tanquam ſerperaſtris uterentur, exponere orbis eruditi oculis, cujus guſtui non ſunt accommo-

data, cùm in eum finem non sint tradita. Quòd si præmissâ privata admonitione Vir Celeberrimus judicâsset à me sibi non satisfactum sique omninò bellum mihi indicandum censuisset, æquum fuisset, prius mihi concedi tempus dictata ista expoliendi, reformandi & corrigendi atq; sic publicè edendi, antequam ea impugnaret. Sed frustra ista omnia exopto: aliter enim visum quia fuit ipsi, ferendum est quod mutari non potest. Sic verò quilibet videt, mihi necessitatem impositam Apologiâ hâc me & mea tum apud ipsum, tum apud alios expurgandi, si forte eâ lectâ me ab omnibus illis hæresibus immunem pronunciare velit, quas in me & omnes illos quos Cartesianos appellat, toto sacco, ut ajunt, spargit; saltem ut apud quosvis mea innocentia pateat, & constet de orthodoxiâ hoc opusculum scribere debui. Tacere enim profectò non poteram, nisi famæ prodigus essem; nec Theologiæ Professor cum ædificatione suo munere fungi potest, nisi crimen hæreseos sibi injustum diluat. *Nolo in suspicione hæreseos quenquam esse patientem, ne apud eos qui ignorant innocentiam ejus, dissimulatio conscientia judicetur si taceat*, inquit Hieronymus ad Pammachium. Sequor ego Scripturam Sacram tanquam unicam regulam & normam fidei & vitæ, firmiter adhæreo formulis consensus inter Reformatos receptis; Catechesi Heidelbergensi, Confessioni Belgicæ, Synodi Dordracenæ canonibus aliisque Confessionibus Reformatorum. Si quis per consequentiam elicere conetur ex meâ sententiâ dogmata heterodoxa & hæretica, caveat tamen oportet, ne istas conclusiones, quas ex meis sententiis se elicere posse putat, mihi tribuat tanquam mea dogmata, donec istas ego consequentias agnoscam & admittam, nisi contra Legem charitatis peccare velit. Defendenda quoque fuit innocens Philosophia, quam mihi plurimum profuisse in Theologiâ

logiâ libens fateor; liberanda fuit ab objectis criminibus & suo nitori restituenda; quæ quoque à Clarissimo Viro ita causæ meæ est implicata, ut mea Apologia non potuerit prodire sine Apologiâ ipsius. Et donum Dei agnoscendum laudandumque, eoque nomine ipsi gratiæ agendæ, cum tantam ejus utilitatem experiamur quotidie, non verò ferendum, ut tot injectis criminibus deturpetur. Philosophiæ hujus nomine nihil aliud intelligo, quàm doctrinam certam & firmam ex claris & evidentibus notionibus certâ quâdam serie & indissolubili nexu eductam de rebus quibuscumque, quæ ex lumine rationis cognosci possunt. Cûm autem Nobilissimus Renatus des Cartes singulari Dei providentiâ inciderit in eas cogitandi vias, ut à primis inde principiis omnia accuratè examinanda & nexu continuo deducenda, nihilque admittendum nisi quod clarè & distinctè fuerit perceptum observaverit, atque eâ methodo progrediens multa detexerit de Deo, de mente humanâ, de corpore tùm in genere tùm variis corporibus particularibus, quæ antea ignota fuerant, vel saltem non tàm clarè fuerant cognita, istaque omnia in certos Libros digesserit, meritò doctrina sive Philosophia in istis Libris comprehensa ab auctore Cartesiana fuit appellata. Hinc illi quoque, qui eandem viã sunt ingressi, quam adeo feliciter Nobilissimo illi Philosopho videbant cessisse, atque admittere noluerunt ea, quæ vel in præjudiciis infantiæ & præconceptis opinionibus vel etiam auctoritate hominum essent fundata, sed ea solummodo, quæ ex primis & evidentibus Principiis certâ serie & evidentibus demonstrationibus essent deducta agnoscere, & quia multa talia in Cartesii libris deprehenderunt, iis, non propter hujus auctoritatem, sed ob vim & evidentiam demonstrationum assenserunt, fuerunt Cartesiani appellati; potissimùm ab adversariis,

qui

qui Aristotelici & Peripatetici audire maluerunt, quamvis sæpe nequidem Aristotelem legissent vel intellexissent. Nemo verò illorum maluit Cartesianus appellari, quàm Christianus aut Reformatus, quod ipsis impingit Vir Clarissimus Præfat. pag. 2. nullam novam moliuntur Theologiam, quam tantummodò ex Verbo divino debere hauriri statuunt, atque ideo scripturarum non sunt securi. Nec quoque à formulis consensus discedunt, quibus constanter adhærent, hominum auctoritatem tanti faciunt, quanti ea fieri debet, sed eam subordinant & subjiciunt auctoritati divinæ, neque ideo quid pro vero habent in Theologiâ, quia consensu Patrum vel torrente Doctorum nititur, quem stylū Pontificiis relinquunt, sed quia super infallibili Dei testimonio fundatur. Neq; tamē pro formulis consensus habent scripta Doctorum privata, quasi ab iis ne hilum sit recedendum: ad id enim ex Religionis Reformatæ naturâ & constitutione se constrictos non sentiunt. Non novam introducunt in scholas dialectum, sed dialectum quam introduxerant olim in Theologiam Aristoteli magis quàm Paulo addicti homines cum primis Reformatoribus exulare optant & ejus in locum reduci genuinam linguam Canaan & verba Spiritus Sancti, iisve æquipollentia, quæ à quovis facile intelligi queant, in iis imprimis, quæ solâ revelatione nituntur dogmatibus; in cæteris, ubi revelatio eadem tradit quæ Philosophia, vel quædam supponit ex rationis lumine cognoscenda, volunt convenienter rectæ rationi, non placitis Aristotelis, Thomæ, Scoti, aliorumque explicari. Philosophiam non miscent cum Theologiâ, sed id fieri & factum esse à Scholasticis conqueruntur unà cum primis Reformatoribus, dolentq; adhuc hodie quosdam esse, qui id non satis cavent. Usum tamen Philosophiæ solidæ & genuinæ in Theologiâ agnoscunt maximum,

mum, quod quemlibet à partibus alienum atque odio, invidia, aliisque animi motibus judicium veri corrumpentibus vacuum, deprehensurum ex speciminibus in hoc meo libro expositis non dubito. Neque tamen diffitentur, quin prout aliarum rerum optimarum, ita etiam hujus Philosophiæ magnus possit esse abusus, cujus exemplum in Paradoxo scriptore *de Philosophiâ Interprete Scripturæ* agnoscunt, qui à nemine melius est debellatus, quàm ab iis, qui nomine Cartesianorum solent insigniri. Sed quoque Verbi divini pessimus est apud omnes hæreticos abusus, quod tamen eo nomine non est rejiciendum. Dubitatio Cartesii quoniam solet passim esse invisa, & ab adversariis hujus Philosophiæ iniquè traduci, atque metuat Vir noster Reverendus, ne ea traducatur ad Theologiam, quamvis multa de ea à Clarissimis Viris Johanne Claubergio & Johanne de Bruin sint dicta, verbum de ea ut hîc addam videtur operæ pretium. Est ea, prout à Philosopho adhibita fuit, triplicis generis. Est *Dubitatio*, quam distinctionis gratia possumus appellare vulgarem, quæ nihil est aliud quàm mera suspensio judicii, locum habens circa res quascunque obvias, quamdiu certæ nondum satis sunt & exploratæ, istarumque rerum examen accuratum, idque tàm diuturnum, donec clarè satis & evidenter fuerint perceptæ; de quâ dubitatione ne quidem quæri potest, an sit licita, cùm ita sit cum humano ingenio connexa, ut quamdiu animadvertit, rem sibi non esse certam & exploratam, de ea non possit non dubitare sive judicium suspendere. Sæpe quidem contingit, ut non dubitetur de iis, quæ non sunt satis certa & explorata, sed non minus admittantur, atque ea quæ sunt compertæ veritatis, sed id vitiosum esse & fieri per non advertentiam neminem puto facilè negaturum; hanc verò unicam esse causam errorum, à quibus nobis ca-

vere debemus, non poteſt quoque non attendenti eſſe manifeſtum. Altera dubitatio eſt, cujus mentionem facit Philoſophus Diſſertatione de Methodo p. mihi 26. circa finem Sect. III. qua opiniones varias Philoſophicas erroneàs, quibus in ſcholis fuerat imbutus, paulatim depoſuit in novennali ſua peregrinatione, totuſque in eo fuit, ut aliquid certi in Philoſophia reperiret, quem in finem mentem præparavit reſolvendis quæſtionibus variis Mathematicis, aliiſque, quas propter Methodum Mathematicam in iis adhibitam propemodum Mathematicas appellari poſſe animadvertit; tenendo interea res fidei, & obſervando quaſdam regulas Ethicas, quas ſibi in converſatione hominum duxerat eſſe neceſſarias. Quod ſanè quoque jure improbari à nemine poteſt, qui noverit, quàm incertæ ſint opiniones Scholaſticæ Philoſophiæ, quibus erat imbutus, quàm fragilibus nixæ ſint fundamentis, præjudiciis nimirum ſenſuum & infantiæ, auctoritate humana, conſuetudine inveterata omnibus aſſentiendi citra ſufficiens examen; præſertim cùm ita male fundatas opiniones ſuas dejiciendo, varias interea res obſervaverit, & multa experimenta collegerit, quæ poſtea certioribus ſtabiliendis ipſi uſui fuerunt. Tertia dubitatio eſt, de qua agitur in prima Meditatione, qua præmiſſa invenit talia cognitionis principia, quæ ab omni dubio etiam minimo quàm longiſſimè abeſſent. Fuit ea generalis everſio omnium opinionum, quas à ſenſibus vel per ſenſus hauſerat, quæ maximam partem Philoſophiæ vulgaris conficiebant, ob rationes dubitandi iis omnibus communes; quòd à ſenſibus eſſent, à quibus ſe falli ſæpius animadverterit; quòd ſæpe in ſomniis viderentur eadem nobis obtingere, quæ vigilantibus eveniunt; quòd multi falſi fuerint circa res etiam facillimas, ac in rebus Geometricis paralogiſmos admiſerint; quodque

ſup-

ſupponi poſſit, deceptorem aliquem malignum fortè nos in omnibus fallere: ut ſic experiretur, num non etiam iſtâ hypotheſi admiſſa quid reſtaret, in quo nequidem à tali ſuppoſito deceptore poſſet falli, quodque à nulla ex iſtis dubitandi rationibus poſſet labefactari. At quoniam experientia didicerat, recurrere opiniones receptas, & longo uſu conſuetudineq; familiares redditas, atq; iterum menti ſe inſinuare, etſi adhuc dubiæ ſint & incertæ, ad eas ſic evertendas ſingulari remedio uti conſultum judicavit, atque duro nodo durum quærere voluit cuneum; ſicque mente in contrarium verſa non amplius eas pro dubiis, ſed etiam pro falſis unà cum ſuis fundamentis, ſenſibus nimirum eorumque præjudiciis habere voluit, non minus aſſenſum ab iis cohibendo, quàm circa ea quę falſa deprehenderat, ut ita tandem mens ad ęquilibrium juſta ratione & via reduceretur, ad exemplum eorum, qui dum arbores novellas ad rectitudinem adducere volunt, in contrariam planè partem flectunt. Ut autem an dubitatio Carteſiana applicari poſſit ad Theologiam examinemus, conſiderandum eſt, quomodo & quibus imbùti ſoleant vulgo ad Theologię ſtudium homines accedere. Educati ſunt à parentibus & imbuti vel ab ipſis vel à pręceptoribus Chriſtianę Religionis fundamentis, cujuſmodi in Catecheſi Heidelbergenſi vel Gallicana vel aliis quibuſvis rudimentis religionis Reformatæ reperiuntur. Non nituntur ea religionis Chriſtianæ fundamenta ullis infantiæ præjudiciis aut ſenſuum, ſed verbo divino, cujus primarias ſententias unà cum iſtis illis dogmatibus imbibunt. Non igitur opus eſt hîc Tertia illa Hyperbolica dubitatione, quæ ad generalia fundamenta opinionum malè fundatarum evertenda apta nata eſt; cùm hæc ipſa, quæ ſic didicerunt rudimenta cum iſtiuſmodi fundamentis, præjudiciis ſcil. ſenſuum &

 infan-

infantiæ è diametro pugnent, tantum abeſt, ut ſuper iis ſint ædificata. Atque ob eandem rationem non poteſt etiam applicari ad Theologiam altera illa dubitatio, qua uſus fuit Philoſophus novennio illo peregrinationis; cùm hîc non laboretur de opinionibus malè fundatis delendis & evertendis, ſed de rudimentis religionis Chriſtianæ expoliendis & perficiendis. Quando igitur quis ad Theologiæ ſtudium accedit ita imbutus Principiis religionis Chriſtianæ, ſiquidem fundamenta benè & legitimè poſuit, ſi de auctoritate verbi divini certis & indubitatis argumentis eſt perſuaſus, ſi eorum quoque teſtimoniorum ſcripturæ ſenſum, quibus rudimenta religionis Chriſtianæ innituntur, ſatis perceperit, penes talem nequidem dubitatio primi generis poterit habere locum. De iis enim quæ certa ſunt nobis & explorata tantùm abeſt ut ſit dubitandum, ſive, ut judicium ſit ſuſpendendum, ut eo ipſo, quo ut certa & explorata cognoſcuntur, non poſſint non pro talibus haberi. Sed dum ſtudium Theologicum ejuſmodi homo aggreditur, ſuper his fundamentis benè jactis plura conatur inædificare; unde neminem puto fore adeò à ratione deſtitutum, qui negaverit, nihil ei eſſe admittendum, niſi quod legitimo examine fuerit exploratum, atque tamdiu de eo, donec clarè fuerit perſpectum, ſuſpendendum eſſe judicium. Atque ita circa iſthæc dubitatio primi generis locum ſuum omninò habere debet, niſi quis ſponte velit ruere in errores vel caſu tantùm veritatem aſſequi. Quòd ſi verò quis ad ſtudium Theologicum accedens fundamenta religionis Chriſtianæ potius ope memoriæ quàm certo judicio addidicerit, neque de auctoritate Verbi divini certo ullo argumento ſit perſuaſus, is profectò non poteſt non, ſi ſibi rectè conſulere velit, ſolicitus eſſe, ut de his, quæ ſpectant ſalutem æternam, certitudinem, quantam poteſt acquirat

quirat

quirat maximam, cùm, si ullibi hîc sanè fluctuare vel fundamentalibus erroribus implicari sit periculosum & cum æternæ salutis detrimento conjunctum. Donec ergo talia argumenta reperiat, quæ de auctoritate divina Scripturæ ipsi certò persuadeant, omnia accuratè & solicitè oportet circumspicere & assensum tamdiu suspendere, donec ea fuerint comperta; similiter quoque agendum circa Scripturæ testimonia, quibus stabiliuntur rudimenta religionis Christianæ, ut eorum sensum verum assequatur; ubi ad scopum sermonis & circumstantias textuum accuratè ut attendatur est necessarium, ut ita non prius certum sensum iis assignes, quàm de eo plenè fueris persuasus. Quam suspensionem judicii, donec istud examen fuerit peractum, si nomine dubitationis insignire velimus, non video, quomodo ullus ratione rectè utens sit negaturus, ei qui nondum explorata habuerit fundamenta & rudimenta religionis Christianæ, de iis esse dubitandum. Et fortè nihil aliud significare voluit auctor ille & Præses thesium Theologicarum extra hoc Belgium disputatarum, quem dicit Vir Clarissimus Præfat. p. 4. *Hanc primam regulam proposuisse accessuro ad literarum sacrarum lectionem & studium Theologicum, de omnibus esse dubitandum Pyrrhonio & Cartesiano more, & omne præjudicium de veritate nostræ religionis esse deponendum.* An enim hæc fuerint verba istius auctoris, cùm theses istæ mihi non fuerint visæ, an potius sint verba Celeberrimi Maresii, quibus mentem ejus interpretatur, & fortè non benè est assecutus, dicere non habeo, quoniam non diversis typis curavit ea adscribi. Quicquid sit, saltem quin eo modo dubitationem sit admissurus, quo dixi, vix dubitare possum. Non enim commendabit, opinor, Pontificiorũ fidem implicitã, nolet auctoritate Ecclesiæ Christianæ esse nitendũ, non negabit scrutandam esse Scripturã &

 donec

donec ſenſus fuerit intellectus hujus vel illius loci judicium eſſe ſuſpendendum. Sic quoque ut impoſterum quis in ſtudio Theologico ulterius progredi volens non aliis aſſentiatur, niſi prius rectè exploratis, & dum ea explorat & examinat judicium ſuſpendat, atque hoc modo dubitet, non putem eundem mihi refragaturum. Ita nihil hîc eſt veneni nec eſſe poteſt, quod redundare queat ad Theologiam, nec quoque in ullis aliis, quæ ex hâc Philoſophia poſſunt ad Theologiam applicari, ſed inſignes è contrario utilitates ad Theologiam ex hac Philoſophia redundare poſſunt. Quòd ſi venenum in hac Philoſophia quidam fuerint ſuſpicati, eaque ipſis hoc nomine ſit inviſa, id omne inde oritur, quod iſtam Philoſophiam nunquam rectè intellexerunt. Inde quoque factum, ſi ſummæ Poteſtates alicubi eam in ſcholis vel Academiis doceri non permittant; ad quod juvare poteſt vel imprudentia eorum qui ipſa utuntur, vel perverſitas quoque, dum erronea quædam dogmata aliunde hauſta velo iſtius Philoſophiæ tegunt, ut vel ſub ea lateant vel etiam ei invidiam creent. Quò referendum id quod contigit non ita pridem in Helvetia in Bernenſium Republicâ, in cujus hiſtoriâ recenſendâ falſus eſt Vir Celeberrimus ab eo, qui hîc ipſi impoſuit. Non enim, ut narrat Præf. p.6. *Illuſtres & Magnifici Proceres gentis Helvetiæ, qua patet Helvetia Reformata, ex conſilio ſuarũ Eccleſiarum & ſapientiſſimorum Theologorum pro conſtanti ſuo ſtudio in orthodoxiâ ſartâ tectâ conſervandâ ex omnibus ſuis ſcholis & ditionibus decreto ſolemni exterminârunt Philoſophiam Carteſianam.* Literas vidi diverſas ex Helvetia & vicinia ſcriptas, quæ contrarium planè narrant: *De Philoſophiâ Carteſianâ in Helvetiâ honeſtiſſimè judicari, Carteſium ſuo loco & honore integrum ſtare, Tiguri eſſe Philoſophum ſagaciſſimum, qui Carteſio prudenter & magno cum fructu publicè in inſtitutione utatur,*

tur. Communi Ecclesiarum consensu nihil contra Cartesianos esse decretum. Scaphusianorum antistitem consultius judicavisse, Philosophis libertatem relinquere philosophandi, quàm homines ad cæcam obedientiam damnare. Bernæ fuisse quosdam nihil minus quàm Cartesianos, qui prætextu Philosophiæ hujus periculosas satis assertiones in Theologiam importare sint ausi, nihil tamen eos ex mente Cartesii fecisse. Hos jussos vel à talibus abstinere vel exilium ab Academiâ quærere. Quænam verò fuerint horum istæ assertiones nondum potui cognoscere. An statuerint, quod inquit Vir Celeberrimus, *animas piorum post mortem sedem & locum non mutare, nec in cælum introducendas ante diem judicii & resurrectionem mortuorum,* dicere non possum; quod si fecerunt, ex mente Cartesii non fecisse, patebit ex nostro tractatu; neque si ejusmodi opinionem non potuerunt ferre Bernenses, mirari debemus. An verò Illustres illi proceres Bernenses, inducti forte ab aliis, hæc dogmata perperam Philosophiæ Cartesianæ adscribentibus, aliquid durius contra istam Philosophiam statuerint, non satis potui ex istis literis inter se invicem collatis cognoscere. Quod si factum, mirum videri non debet, cùm Viri Politici, quibus per alia negotia non licet res Philosophicas examinare, aliorum fide, (qui sæpe odio & affectibus cæci id vident in istâ Philosophiâ, quod non nisi in ipsorum imaginatione existit, qui tamen eruditione, genere vitæ, aliisque modis auctoritatem aliquam sibi comparârunt,) soleant niti; in quo si deceptos se postea viderint facilè quoq; istiusmodi decreta patiuntur contrario usu obliterari. Decretum ab Illustribus & Præpotentibus Hollandiæ & West-Frisiæ Ordinibus Anno cIↄ Iↄc LVI.a.d.VI. Octobris conditum potius profectò obest illis, qui Philosophiam vulgarem conabantur propugnare, quàm qui Cartesianam præferebant. Nam, *Theologiam à Philosophia sequestrandam, &*

illam

illam ex solo Dei verbo scripto, hanc ex ratione sanâ juventuti tradendam, est id ipsum, quod statuunt & urgent fautores & amatores Philosophię Cartesianę, idque in hoc Tractatu duobus capitibus prioribus ostendi. *Quidquid in Scripturis revelatum sit id tanquam omnium certissimum pro firmo & indubitato habendum, etiamsi ratio humana utcumque clarè & distinctè sibi videatur aliud præscribere: semper enim divinæ auctoritati soli plus fidei tribuendum, quàm humano judicio*, etiam tradidit ferè his ipsis verbis Cartesius Princip. I. §. 76. quæ consideravimus in hoc nostro Libro §. 37. & quàm perperam his contradicat Vir Celeberrimus §. 37. & 38. ostendimus. Solùm restant postrema, quæ isto in Decreto contineri dicuntur juxta citationem Georgii Hornii, quam Celeberrimus Maresius hîc sequitur: *Illa quæ ex Cartesio desumta offensionem præbeant, imposterum non propaganda, neque libros Cartesii à Professoribus juventuti prælegendos*, cujusmodi in illo Decreto non reperiuntur, sed potius ista: *Abstinendum esse, pacis & tranquillitatis causâ, à propagandis Philosophematibus illis, quæ ex Philosophiâ Cartesii collecta hoc tempore quibusdam offensionem præbent*. De libris Cartesii à Professoribus juventuti non prælegendis in hoc Decreto nihil: Priora verò talia sunt, ut tantùm ad certum tempus obligarent; quomodo verò, & à quibus offensionem præbentibus debeant abstinere, relictum est prudentiæ Professorum, quorum erat ad circumstantias personarum, locorum & temporum attendere, potestque hoc decretum commodissimè comparari cum prohibitione Apostolicâ de abstinendo ab esu idolothytorum, suffocati & sanguinis. Praxis verò Illustrium & Præpotentum Ordinum satis docet, quanti æstiment Philosophiam Cartesianam, qui non tantùm voluerunt eam liberrimè doceri à Celeberrimo Philosopho Johanne de Raei, sed etiam ei honorificentissimis condi-

conditionibus ab Amsterodamensibus evocato substituerunt duos alios Excellentissimos Philosophos, qui eandem magno cum applausu liberrimè in ista Academia docent. Nec ulla nunc est in Belgio fœderato Academia, in qua non plena eam profitendi obtineat Libertas. Falsum igitur est, edita contra istam Philosophiam integrarum nationum decreta, quæ si essent non possent antea dicta ejus veritati præjudicare, nec cursum & progressum istius Philosophię impedire. Est enim Philosophię hujus, quod commune habet cum omni veritate, ea natura, ut, quò magis premitur eò magis propagetur, & excitet alios ad inquirendũ, quid sit de ista Philosophia, quę tãtos patiatur adversarios, qui contra eam, cùm rationibus refutare nequeant, brachium seculare excitent. Ita ut nesciam, an ullum fuerit efficacius medium incrementum & progressum hujus Philosophiæ promovens, quàm quando adversarii maximè eam sunt persecuti, tum contra eam Decreta flagitantes, tùm calumniis & conviciis eam impetentes, quod ita multi, qui aliàs nulla ejus cupiditate, utpote rei ignotæ, trahebantur, postquam ad eam examinandam animum adjecerunt, ejus dulcedine fuerint capti. Quoniam autem Reverendus Dn. Maresius non tantùm carpsit in meis dictatis ea, in quibus usum Philosophiæ in Theologia ostendi, sed etiam impugnavit alia quædam dogmata merè Theologica, ut & particulares quasdam expositiones locorum Scripturæ, eaque (quamvis essent quæstiones merè problematicę, de quibus liberè licuit Theologis Reformatis hactenus in partes ire, quamvis particulares explicationes locorum Scripturæ non recederent ab analogia fidei, & à meis partibus starent magni nominis Theologi) nomine variarum hæresium accusat, etiam de his mihi agendum fuit, & sententia mea plenius explicanda atque ab impacto hære-

ſeos crimine liberanda fuit. Putabam autem, hac in parte libertatem hactenus illibatam relictam fuiſſe Theologis, circa iſtiuſmodi quæſtiones & particulares interpretationes locorum Scripturæ, eam ſequi ſententiam, quæ maximè videbatur cum Verbo divino & recta ratione conſentire. Scio, libertatem quidvis ſentiendi in religione eſſe reſtrictam & limitatam canone Verbi divini, à quo ſi recedat, in meram & nulla ratione tolerandam licentiam abituram. Novi etiam, leges Reformatarum Eccleſiarum eam reſtringere per formulas conſenſus receptas, nec ferre eos in ſua ſocietate, qui iſtiuſmodi formulis ſubſcribere nolint, idque jure, ne confuſioni & turbis via aperta daretur. At ulterius nuſquam reſtricta eſt libertas, licetque de iis, quæ in iſtiuſmodi formulis conſenſus non ſunt determinata, cuilibet ſentire ea, quæ magis cum ratione rectâ & Verbo divino convenientia poſſint videri: modò ea exerceatur citra alterius injuriam, odium & invidiam, omni nempe cum modeſtia & manſuetudine animi, ad ædificationem tendens, non ad deſtructionem. Neque expedit Eccleſiæ iſtam libertatem ulterius reſtringi, & adigi ad privatam hominum quorundam auctoritatem in alios nihil juris habentium, niſi continuò novis ſchiſmatibus & diviſionibus Eccleſiarum velimus dare occaſionem. Ægrè igitur nemo ferre debet, ſi quis Theologorum alium à ſe diſſentientem viderit, ſed eandem, quam ſibi velit conſervari libertatem, aliis quoque non invidere. Quòd ſi omnes operam daremus ſtudio potius veritatis, quàm inani gloriæ & vincendi cupiditati, non iraſceremur ſane iis, quos veritatem nobiſcum non aſſequi judicaremus, ſed potius doleremus, & eorum occurrere operam daremus ignorantiæ, non conviciis aut calumniis, quæ per innocuam iſtarum veritatum ignorantiam non ſunt meriti, ſed per rationes & demon-

ſtratio-

ſtrationes benè fundatas, ac omni manſuetudine & comitate conditas. Sic poſſemus ſperare triumphaturam tandem veritatem, caligine ignorantiæ & nebulis errorũ tandem diſcuſſis. Ἀγαθὴ δ' ἔρις ἥδε βροτοῖσιν. Tales Diſputationes & concertationes Virorum Doctorum ſpiritu manſuetudinis planè maceratæ optandæ eſſent, tanquam multum nobis profuturæ, ut ad ulteriores profectus in cognitione veritatis communi conſenſu tenderemus: ſicque excitarentur ingenia excellentia, etiam eas, quas de novo inveniſſent veritates, in commune conferre, quas ſilentio nunc premere coguntur, quia nolunt quietem ſuam à malè feriatis hominibus turbari. Gloria ſic eſſet, non, vincere alterum, opinione fortè non meliore, utroque recedente à vero, ſed, omnes vinci à veritate. O quàm hæc ſubjectio facta Veritati eſſet glorioſa! Quàm omnibus triumphis major! Quàm utilis & proficua Eccleſiis Reformatis! Huc igitur conferte vos omnia veſtra conſilia curaſque, ut ſedentur funeſta illa bella veſtrorum Thologorum, in quibus concurritur, non gladiis & ſpiculis veneno tinctis, ſed linguâ, ſed calamo, ſed verbis omni ferro acutioribus, & omnis veneni vehementiam ſuperantibus. Veſtrum eſt curare, non ut omnes diſſenſiones planè tollantur; id enim fieri omnino non poſſe videtur, ſed ut libri, in quibus iſtiuſmodi diſſentientes ſententię ventilantur, referant potius amicorum colloquia, quàm hoſtium congreſſus, ut abſint ab iis obtrectationes, calumniæ, convitia, dicteria, ut in eorum locum ſubeat comitas, manſuetudo, modeſtia, honor mutuus. Judicium veſtrum non refugio, an reus ſim iſtarum hæreſium quarum redarguor. Nec refugit innocens Philoſophia; ſed petit ut audiatur æquè ejus Apologia ac adverſariorum accuſationes. Verum enim verò nolite judicare de re ignotâ; ſed ſi judicium juſtum de eâ for-

 mare

mare velitis, cognoſcite ritè, non per adverſariorum citatas lacinias, ſed inſpiciendo totum ipſius corpus, ad nexum, ſeriem & vim demonſtrationum ritè attendendo atque examinando, ſic utrum vera an falſa, ſalubria an peſtilentia dogmata tradat poteritis judicare. Si verò potior cura eſt vobis Theologiæ quàm Philoſophiæ, neque vacet tantum temporis in eâ cum attentione ſufficienti & requiſitâ ad rectum formandum judicium perlegendâ inſumere, nolite innocentem condemnare, ſed exemplum Gamalielis ſecutæ relinquite Deo judicium, cui ſi probetur, ſique ab ipſo tanquam à Patre omnis luminis habeat ortum, fruſtra erunt ejus omnes impugnatores; ſi ſolis hominum commentis nititur, ſtabilis non erit, ſed ſponte ſuâ corruet. De cætero relinquite Theologis veſtris libertatem ſentiendi ea, quæ cum verbo divino non pugnant, nec formulas conſenſus evertunt, ſed licentiam maledicendi reſtringite, jubete ut ſuas defendant opiniones aliorumve impugnent rationibus, non convitiis, abſque aliorum injuriâ. Ego verò an ſpecimen modeſtiæ ac manſuetudinis & exemplum in meo libro ediderim libenter quoque judicandum vobis relinquo. Saltem hoc intendi, ſummâ modeſtiâ & manſuetudine veritatem defendere, non inſectari eos, qui à me in omnia alia diſcedunt, ſed tentare, num humanitate & vi rationum poſſim ad eandem veritatem mecum agnoſcendam adducere, nemini affingere opinionem, quam ab ipſius mente noverim alienam, non rependere malum pro malo, ſed omnia mea ad ſolius veritatis inveſtigationem citra ullius injuriam dirigere, gloriam non quærere propriam, ſed veritatem omni gloriâ majorem æſtimare. Atque hæc cauſa fuit, ut initio non cogitaverim nomen meum huic tractatui præfigere; cui acceſſit, quòd Clariſſimus Mareſius nomen meum in ſuo libro occultaret, & Conſenſum Veri-

tatis

tatis tanquam alterius à me citaret. Eum igitur secutus hunc ipsum meum librum laudavi sub nomine *Consensus veritatis Wittichii*, nullam ex hâc meâ Apologiâ quærens gloriam, volens quoque hanc ipsam occultationem nominis, quæ ex benevolentiæ erga me quibusdam reliquiis videbatur procedere, eo loco habere, quo ab ipso exhiberetur. Sed postea comperi, vix ullum esse Virum doctum in Belgio fœderato, modò Celeberrimi Maresii scriptum *de abusu Philosophiæ* &c. legisset, vel cum aliis de eo sermonem miscuisset, qui ignoraret contra me editum; etiam posthæc didici studiosis ipsis Philosophiæ Groninganæ Academiæ aliarumque Academiarum non ignarum esse, quis nomine illo Censoris à Viro Clarissimo designaretur, per quos facilè in quasvis terras deferri possit, ideò prius meum consilium censui mutandum, ne nominis mea occultatio variis suspicionibus sinistris ansam præberet. Continet hoc opusculum, præter usumPhilosophię Cartesianæ in Theologiâ expositiones quorundam locorũ Scripturæ, quęstiones quasdã merè Theologicas, quę quia inter Theologos Reformatos salvâ pace, charitate & concordiâ agitari queunt, sæpe etiam dubiæ sunt, vel non satis liberæ ab omnibus scrupulis, *Problematicæ* appellari solent. Titulum ergo excogitandum judicavi generalem, qui omnia ista sub se comprehenderet, simulque scopum meum indicaret, quòd nempe omnia mea ad Pacem & Concordiam inter fratres conservandam essent directa. Nullus verò huic usui commodior fuit visus, quàm is, quem præ se nunc fert, THEOLOGIA PACIFICA. Ubi Theologiæ vox latius accipitur, ut intelligatur omnis doctrina ex quâ Deus, res divinæ, Dei operationes & beneficia creaturis imprimis rationalibus exhibita rectè cognoscuntur, sive ea ex revelatione sive ex lumine rationis depromatur. Est

etiam usus Philosophiæ in Theologiâ idem, quod *Theologia utens* Philosophiâ, ex naturâ relatorum. At quia veritas ita est tradenda, ut Pax non sit negligenda, & scriptura imprimis Veritatem Theologicam cum Pace soleat connubio stabili copulare, *Pacificæ* epitheton apprimè videbatur mihi inservire, tùm quòd in hoc tractatu ostenderetur, quanta pax esset & concordia sanæ Philosophiæ cum Theologiâ, quippe quæ ad mutuo se juvandum & mutuas sibi operas præstandas sint comparatæ; tùm, quòd hic liber non nisi quæstiones eas tractet, de quibus salvâ pace & fraternitatis vinculo liceat iis, qui sunt ejusdem Ecclesiæ Reformatæ membra dissentire, quædam verò inter eas sint tales, ut de verbis potius agant quàm de rebus, & omnis dissensus inde habeat ortum, quòd nos invicem non intelligamus, idque in hoc opere de quibusdam fuerit ostensum atque omnis dissensio sublata, pax verò & concordia stabilita. His adde, quòd modus agendi à me observatus nihil aliud quàm pacem & concordiam spiret, nihilque aliud in votis habuerim, quàm ut modestè mea defendendo atque passim ostendendo, me liberum esse ab omnibus hęresibus, quas Celeberrimus Dn. Maresius in meis dictatis se putavit deprehendere, ab ipso imposterum impetrarem, ut me à nomine hęreseos & heterodoxiæ, audita & intellecta mea sincera explicatione, absolvat. Ita Opusculum hoc meum non haberi velim pro Eristico, cùm ad lites tollendas vel minuendas saltem planè sit destinatum, & multa quoque opera data posuerim ad docendum tantum comparata, quæ adjici opus non erat, si solùm Viro Clarissimo voluissem respondere. Et ne pro Eristico haberetur scripto solicitè quoque abstinui ab omni convitio omnique adversus ipsum injuria, ea quæ inclementius in me ab ipso passim fuerunt dicta, (quæque à contentiosis & cerebrosis inge-

ingeniis fortè extorsissent spicula felle & veneno tincta in ipsum retorquenda) ferendo & tolerando tanquam infirmitatem Viri Celeberrimi, tegendam singularibus dotibus à Deo ipsi concessis, ex quibus etiam olim ad me magna redierunt commoda. Et quamvis non ita obduruerim ut non sentiam dolorem, dum vapulo, volui tamen agere cum ipso tanquam Filius cum Patre, qui testor quidem dolorem me sentire plagarum mihi sine meâ culpâ inflictarum, ulterius tamen non progredior, nec verberibus mutuis contra ipsum insurgo, sed è contrario potius animum reflectens ad beneficia ab ipso olim accepta laudo & celebro, & refero gratiam quando possum. Hoc enim ipsum tanquam gratæ voluntatis meæ partem censeo habendum, quòd infirmitatibus indulgeo mei olim Præceptoris, Deumque rogo ut has ipsi condonet, eumque mecum redire faciat in gratiam, & vel hanc ipsam primam occasionem gratias ipsi referendi nolui relinquere intactam. Cogitavi quoque seniorem atque ætate me tantâ antecedentem, ut parens esse posset, honorandum juxta monitū Apostoli, quem honorem sic putavi me ipsi exhibiturum, si non objurgando & maledicendo contra ipsum insurgerem, sed monendo & rogando, nec tàm oppugnarem ipsius sententias & opiniones, quàm meas cum ipsius sententiis conarer in concordiam redigere, reliqua excusarem, aut rationes mei dissensus modestè afferrem. Sic ergo me impetraturum spero, ut non pergat eo modo quo cæpit me infestare, & beneficia in me collata injuriis obliterare, sed mecum redeat in gratiam, & de innocenti Philosophiâ idem judicet, quod de eâ publicè judicavit olim Dissertat. *de sphærulis precatoriis* &c. lit. E. p. 8. *Quin etsi nunquam professus sim, me omnia Cartesiana admittere, multa tamen habet egregia & laude dignissima, cum quibus nulla Iesuiti-*

ca Philosophia venit conferenda. Id sanè laudandum in Cartesio, quòd Dei existentiam & animæ independentiam à corpore comprobare studuerit; Quòd plurima naturæ phænomena, ac totam doctrinam Dioptrices & Meteororum multò melius quàm quisquam alius antea explicaverit; Quòd de loco, de corpore, de vacuo, de quantitate & qualitate, ea perspicuè & solidè tradiderit, ex quibus evertitur Transsubstantiatio Pontificia, quâ solâ ratione Iesuitis ejus Philosophandi ratio probari non potuit; Quòd liberi arbitrii naturam & doctrinam solidè & accuratè exposuerit, procul à Iesuitarum & Pelagianorum indifferentiâ ad opposita; Quòd etiam affectuum & pathematum motus, quâtenus per corpus & in illo cieri solent, reverâ ingeniosè proposuerit; quo facto multo propius conjungemur in agnoscendo utrinque usu Philosophiæ Cartesianæ in Theologiâ. De cætero meam mihi relinquat dissentiendi libertatem, donec rationibus evidentibus me aliter instruat, neque dedignetur meas quoque expendere, si fortè ipsi satisfacere possent. Deus T. O.M. huic meo scopo clementer benedicat, omniaque nostra cogitata, dicta & facta dirigat ad nominis sui sanctissimi æternam gloriam & nostram omnium salutem. Amen.

ROGANTUR LECTORES,

Ut, antequam se accingant ad hujus libri lectionem, errata seqq. quæ per absentiam Auctoris irrepserunt, corrigant, ne obesse possint in sensu assequendo.

Pag.	lin.	lege
3.	21.	*quin vel*
5.	13.	*interpretetur*
6.	3.	*possimus*
9.	5.	*dicit ab*
12.	11.	*ingerat*
	18.	*Philosophiam ancillam*
17.	22.	*offendant*
18.	26.	*demonstratum*
19	10.	*est, ut verà*
21.	25	*suâ perceptione*
24.	32	*etsi*
26.	3	§. 27.
	16.	*examinanda*
27.	25.	*art* 33.
	26.	§. 34.
29.	4.	§. 29.
36.	31.	*bonitatem actus;*
42.	4.	§ 37.
45.	4.	*quas communiter*
	17.	§. 58.
46.	34.	*communicatio*
58.	26.	*diei momento fuisse*
59.	28.	*dicit*
61.	3.	*unaquaque pars*
	23.	*discit*
64.	13.	*nullius*
67.	14.	*dico ibi*
71.	11.	*ei undique*
75.	6.	*extensum ; sed hoc demum sensu posset dici, totum mundum in infinitum esse extensum, quâtenus*
	25.	*factas*
77.	5.	*evenerat, sic*
81.	13.	*Propositio*
83.	17.	*fuerat*
84.	ult.	*glorificatorum*
85.	30.	*ipsam*
95.	7.	*de gaudiis*
96.	28.	*actionem determinat*

Pag.	lin.	lege
97.	11.	*cuncta*
	34	*& se revelâsse*
104.	4.	*cognoscimus, internè*
107.	27.	*qui tamen*
111.	21.	*risibilitas*
116.	20.	*contrahit*
119.	34.	*si non sit*
123	26	*redit*
124	20.	*respectu istius*
126.	33.	*una mens*
128.	3.	*eandem*
130.	20.	*quando corpus moritur*
133.	24	*mortalitatem*
136.	4.	*interventum corporis*
142.	32.	*δόξης, docetque*
143.	29.	*Adriani*
144	16.	*volitio*
145.	33.	*operationem extra se*
148.	6.	*quo facit*
	12.	*art.* 155.
	16.	*trucidatio*
149.	3.	*ea qua per*
150.	23.	*operatione*
156.	23.	*Neoterici*

Post pag. 160. commissus est error in numero paginarum, qui postea continuatur, ut bis occurrant pag. 151. & seqq. usque ad 160.

Pag.	lin.	lege
155	17.	*nisi quòd*
157.	30	*quâtenus ea*
163.	33.	*ex parte rei, etiam se tenet ex parte Dei*
170.	34.	*non potuit*
173.	5.	*quicquam conferre*
182.	27.	*art.* 118.
186.	16.	*quas in notâ*
190.	5.	*ubi dicit*
192.	19	*serenet mentem*
	30.	*& 2. anima*

Pag.	lin.	lege	Pag.	lin.	lege
	30.	*παραστατικῶς*	237.	3.	*Quia*
199.	11.	*in se sola*	242.	17.	*fuerunt*
200.	31.	*istamque libidinem esse*	250.	27.	*interdictum*
202.	31.	*agnosco*	252.	ult.	*sola*
205.	24.	*non posse statui, nomen illud esse superbum, quo*	256.	3.	*hominem*
			259.	12.	*negari*
	33.	*Si enim*	268.	17.	*applicatur*
207.	16.	ואמר	284.	5.	*spectatur*
212.	ult.	*possibilitas destinationis*	289	3.	*versum*
214.	12.	*remunerativa*	292.	29.	*non erat*
	35.	*conspiciuntur*	296.	19.	*Qua tamen*
216.	22.	*videri*	309.	15.	*voluisse*
218.	15.	הארץ		20.	*Brughtonus*
219.	6.	*denominatio*	310.	28.	*tertius decimus*
224.	8.	*nimis*	311.	1.	*de quo dubito*
225.	32.	*Potest etiam hoc modo*		24.	*adstipuler*
228.	9. & 12	*Gal. III,*	312.	30.	*affigerent*
231.	27.	*Col. I. 26.*	314.	34.	בהמת ורמש
235.	33.	*perpetrâssent*			

Præter hæc si quædam occurrant leviora spectantia vel distinctiones vel accentus &c. ea vel ferent vel facile emendabunt.

THEO.

THEOLOGIA PACIFICA.

Caput I.

Miſcendam non eſſe Philoſophiam cum Theologia oſtenditur teſtimoniis primorum Reformatorum, eorumque Theologorum, qui iis fuerunt proximi. Exemplum ejus mixtionis perperam factæ adducitur commiſſum ab iis, qui Generationem Filii, & proceſſionem Sp. S. per lumen rationis conati ſunt explicare, atque Deo modos proprie dictos aſſignârunt, & diſtinctionem trium Perſonarum in S.S. Trinitate voluerunt referre ad aliquod diſtinctionis genus, quod in creaturis reperitur. Veræ Philoſophiæ uſus in Theologiâ eſt magnus, nullus inanis iſtius, quæ in terminis potius & notionibus ſecundis, quam in rebus conſiſtit, potiusque errores & præjudicia ſenſuum, quam veritates docet.

I. OMnis hominum cognitio certa & indubitata vel lumine rationis nititur, vel auctoritate & teſtimonio fide digno, hoc eſt, cui tuto fidere poſſumus. Hæc autem auctoritas, vel tantum eſt humana, fundata in eo, quod nec fallere nos poſſit hujuſmodi homo, utpote rem, de qua teſtatur, habens ſatis perſpectam & exploratam, nec velit, cum animum ab omni malitiâ gerat alienum; de quâ ut prolixius agamus, non permittit noſtrum inſtitutum. Alia auctoritas eſt ejus, cujus naturæ omnis error, omnisque deceptio repugnat, ſupremi Dei, cujus verbo & revelatione nixa notitia, Theologiæ nomine venire ſolet. At ſcientiam omnem, quæ lumen rationis habet pro fundamento, generali nomine Philoſophiæ comprehendere poſſumus.

II. Ita diſtinctio inter Theologiam & Philoſophiam primaria in diverſitate Principiorum eſt fundata, ut Theologiæ Principium ſit divinum verbum & revelatio, Philoſophiæ vero lumen naturæ ſive rationis, idque quam maxime evidens & clarum. Quamvis enim Theologiæ vox uſur-

pari quoque possit ad designandam omnem, quam habemus de Deo cognitionem, sicque soleat dispesci Theologia in revelatam, quæ est cognitio Dei & rerum divinarum ex divinis oraculis, & Naturalem, spectantem ea, quæ de Deo ex lumine rationis cognoscimus; hæc tamen commodius ad Philosophiam refertur, & tanquam pars ejus considerari debet.

III Tantoperè igitur distinctæ à se invicem disciplinæ, perperam confunduntur & miscentur, eáque confusio gravium tum in Philosophia, tum in Theologia errorum fuit causa. Confunditur & miscetur Philosophia cum Theologia, siquis ea, quæ tantummodo ex verbi divini revelatione queunt hauriri, cujusmodi sunt mysteria Incarnationis, Trinitatis, multa item alia, quæ à solâ divinâ voluntate dependent, conetur demonstrare ex lumine naturæ, & argumentis inde acceptis utatur. Quâ mixtione divinorum eloquiorum & Philosophicarum rationum à Parisiensium Sorbonâ biformis disciplina centaurorum generi admodum similis formata est, ac solida Theologia magnam corruptionem passa est, imprimis à temporibus Lombardi, qui Pater Scholasticorum Theologorum nuncupari meretur. Cujus quidem corruptionis & aliæ fuerunt causæ, quarum aliquas reperire licet in scriptis tùm primorum Reformatorum, tùm eorum qui hos sunt secuti, qui de istâ depravatione abunde fuerunt conquesti. Sic Luth. tomo I. Lat. Jenensi Responsione ad Dialogum Sylvestri Prieratis fol. 46. b. *Etiam iste tuus Dialogus confirmat sententiam meam jam diu mecum moratam, quod videlicet Theologia illa Scholastica exulem nobis fecit veram & sinceram Theologiam. Nam vides, quod perpetuo hoc dialogo nihil ago, nisi quod resisto & redarguo Scholasticam Theologiam, id est, falsam Scripturæ & Sacramentorum intelligentiam.* Et Tomo II. in exemplo Theologiæ & doctrinæ Papisticæ fol. 562. b. *Et hoc ipsum enim pertinet ad exemplum Theologiæ Papisticæ, quod ex Aristotele vel false allegato vel nunquam intellecto, ostentare solent copiam scientiæ suæ, tantum ut Christi, Apostolorum & Prophetarum nomen absque Synagogus faciant. Nam is fuit tùm inter Papistas doctorissimus, qui frequenter Aristotelem & nunquam Christum, Apostolos vel Prophetas citare posset, magnifico scilicet titulo: Magister gentilis. Tanti Theologi gloriati scilicet, quod essent discipuli gentilis hominis, qui nihil de Deo & Christo cognoscit. Et satis feliciter promoverunt. Nam eandem ignorantiam Dei & Christi perfecte didicerunt ex Aristotele & per ecclesiam totam seminaverunt.* Similia passim reperire licet apud Lutherum: nolim enim hic esse prolixior.

IV. Ad-

IV. Addam tantum Sadeëlem, Danæum & Ursinum, quorum prior Præfat. de Methodo Theologicè disputandi Tom. I. Editione 1596. pag. mihi 8. *Mihi videntur Scholastici Doctores Sophisticam illam meretriculam, ut honesta matronæ, sic Philosophia nomine & pigmentis exornatam in mediam Ecclesiam cum maximo ipsius ecclesiæ damno produxisse.* Et paulo post pag. 9. *Sic enim Scholastici falsam philosophiam magno conatu & studio in Ecclesiam attraxerunt, ut inde tanquam ex equo Trojano innumerabiles errores prodierint, qui quidem custodibus Ecclesiæ somno, desidiâ, & inscitiâ jam pridem sepultis, Ecclesiam ipsam invaserunt, corruperunt, vastarunt.* Errores vero narrat in seqq. pag. 10. *Primus error, quem videntur Scholastici in suis disputationibus admittere, is est, quod solent ex principiis Logicis disputare, atque inde arcessere suas conclusiones. Itaque propositis quæstionibus non Scripturæ locos, sed ut plurimum axiomata Logica & Maximas topicas, aut eo etiam aliquid minus substernunt: in eorumque disputationibus Scriptura muta est. Sæpe enim Philosophos at perrarò Apostolos appellant.* pag. 11. *Secundus error hic est, quod de rebus Theologicis in utramque partem ac Topicè disputant ex probabilibus argumentis.* Pag. 13. *Tertius error hic est, quod veritatem obscurant suis argutiis, nedum illustrent. Nam quæ sunt difficilia, reddunt ipsi spinosis & contortis quæstionibus difficiliora. Quæ vero per se facilia sunt & perspicua, illi obscuris involucris obducunt, nodum, ut vulgò dicitur, in scirpo quærentes. Ecquis est etiam (nisi qui plane ad istiusmodi obduruit) qui vel audito tantum horrifico illo novorum vocabulorum strepitu statim refugiat, & ea se desperet posse unquam animo percipere, quæ ne patienti quidem aure capere potest!* Pag. 14. *Quartus denique hic est error, quod Scholastici, vel potius Quæstionarii Doctores terunt tempus in vanis & curiosis quæstionibus, iisque non tam explicandis, quam implicandis.* Danæus vero in Prolegomenis in Lomb. lib. 1. Sentent. cap. 2. distinctè vitia triplicis ætatis Scholasticorum, Veteris, Mediæ & Novæ taxat, quæ quoad summam rei cum Sadeëlis observatis conveniunt, possuntque apud illum videri. Et Ursinus Admonit. Christianâ de libro Concordiæ Operum ejus Tomo II. pag. mihi 53. *Est autem abusus Philosophiæ & confusio cum Theologia, cùm prætextu sive Philosophiæ sive Theologiæ finguntur falsa principia, & ex illis falsa dogmata defenduntur, quæ cum Philosophiâ & Theologiâ verâ pugnant: Cum Philosophia etiam vera fingitur sufficere ad docendos homines de Deo & ejus cultu & salute hominum: Cùm dogmata Ecclesiæ ignota rationi deducuntur non ex divinis oraculis, sed ex rationibus Philosophicis: Cùm quæ Philosophia de rebus sibi subjectis rectè pronunciat, ad res divinas ex-*

tenduntur, ad quas minimè congruunt, & quas Philosophia ignorat, & de quibus non loquitur : Cum opiniones aut locutiones, quæ etiam in rebus philosophicis usurpatæ, sunt incertæ, ambiguæ, impropria, obscuræ, & subtilitatis otiosæ transferuntur ad res Theologicas, quæ illis involvuntur, in pugnas disputationum inutiles convertuntur, aut cùm appellationes & phrases philosophicæ alieno sensu, & novis ambiguitatibus sermonis vafre excogitatis usurpantur in doctrina Ecclesiæ ad quærenda effugia, & fallendos eos, qui insuetum genus sermonis non intelligunt. Hic Philosophiæ & rationis abusus ætate superiore peperit nobis Theologiam Scholasticam, qualem fere recudunt nobis (loquitur de auctoribus Concordiæ Bergensis) *hi Theologi.*

V. Sed consideremus aliquantò propius mixtionem istam Philosophiæ cum Theologia in mysterio Trinitatis, quod multi, dum explicare vellent, conati sunt exigere & exponere ad modum rerum creatarum, & qualia in creaturis reperiunt & mente humanâ finitis, Deo etiam infinito voluerunt assignare. Hinc Scholastici, & eorum exemplo alii generationem Filii & processionem Sp. S. ita conceperunt, quod Pater intuendo se ipsum, formet imaginem sui ipsius, quam dicunt esse Filium, ab istâ vero imagine ad Patrem resultet mutuus Amor, quem volunt esse Sp. S. Hos ego conceptus nunquam cum potuerim approbare, etiam ne tunc quidem, quando sub disciplinâ Celeberrimi Viri in Academia Groningana agebam, ad art. 28. Loci III. Systematis ipsius in dictatis meis olim hæc observavi. *Hoc discrimen cum nullum habeat fundamentum in Scripturis, non est admittendum, præsertim cum eo posito facillimum sit plures personas excogitare ; Si enim Pater formando suam ipsius imaginem generavit Filium, ergo similiter Filius & Sp. S. formando imaginem sui ipsius, sunt dicendi generasse plures filios : Imo sic in infinitum progressus institui potest : Si autem dicas Filium & Sp. S. non formare imaginem sui ipsius ergo negandum erit istas personas esse intelligentes, quod est absurdum.* Ad illud vero, quod excipitur, intelligere & velle Patris non notare actus essentiales sed notionales, sive personales, hæc sequentia dictavi : *Verum hoc facile quidem dicitur : at quænam ratio erit, quare soli personæ Patris conveniat formatio imaginis sui ipsius, cum Filius & Sp. S. æque sint personæ intelligentes.* Ad quæ Vir Celeberrimus art. 110. Sect. 22. nihil aliud annotavit, quam quod meam observationem improbet. Ego vero malo hic sapere cum Scripturâ & loqui, quam cum Scholasticis, & confusionem Philosophiæ cum Theologiâ evitare.

VI. Quoniam vero mysterium Trinitatis non ex lumine rationis, sed ex

ex ſolâ Scripturâ nobis totum addiſcendum judicavi, non potui admittere, quod habet Vir Venerandus Loco III. Syſt. §. 12. *Sed Singularis cum ſit eſſentia divina habet ex ſua infinitate, quod pluribus ſimul perſonis communicetur citra ullam ſui multiplicationem.* Hæc igitur ad iſtum §. 12. dictavi. *Ratio, quare hoc habeat, nobis eſt incognita, cum tantum τὸ ὅτι ſit cognitum in ſacris literis: eſſentia igitur ſingularis eo ipſo, quo talis eſt, non eſt communicabilis, ſicut pars communicatur toti, ſed poteſt tamen eſſe in tribus perſonis quod ita revelatum eſt. Infinitas vero non magis ad trinitatem perſonarum facit quam ad infinitatem perſonarum citra revelationem.* Et ad §. 25. Loci II. *An hoc fiat* (ſcilicet quod eſſentia divina ſit communicabilis pluribus perſonis) *propter Dei infinitatem nec ne, cum hoc ſcriptura non revelaverit, & hoc ſit myſterium, ad quod ratio penetrare non poteſt, etiam hoc a nobis non definiendum.* Has notas vero neſcio quare ita interpretatur §. 112. num. 13. *quaſi revera velim nos tacere ad inſtantiam Socinianorum pertendentium ab exemplo hominum in quibus una eſſentia ſingularis per unicam perſonalitatem exhauritur, etiam in divinis unicam ſuppoſitalitatem ſingulariſſimæ Dei eſſentiæ eſſe tribuendam.* Ego vero in ſolvendis objectionibus Socinianorum volo, ut eos compeſcamus auctoritate Scripturæ, non ejusmodi ratiunculis, quæ nihil concludunt. Quando ergo illi pertendunt, nos ſingulari eſſentiæ divinæ ſimiliter tantum debere tribuere unicam ſuppoſitalitatem, ſicut eſſentiæ humanæ ſingulari tantum unicam aſſignamus, nego id ſequi; ſed ad inconſequentiam iſtius argumenti oſtendendam nolo, utendum eſſe alieno principio, cujuſmodi reſpectu hujus myſterii reverâ eſt ratio humana, quæ illud non capit, ſed principio proprio, Scripturâ Sacrâ, dicendo, aliam hic eſſe rationem, quia Deus revelavit eſſe tres perſonas in unica ſingulari Dei eſſentia. Sic ad §. 35. Loci III. hæc duo annotavi: 1. *Quomodo hoc fieri poſſit, ut unus ſit tantum numero Deus & tamen tres perſonæ nos non intelligimus, ſed verum credimus, quia Deus revelavit.* 2. Illam reſponſionem Clar. Viri, *natura quoque ipſa præciſe ſumta perſona dici nequit, licet ſingularitatem concipiatur habere* ſic explicui in dictatis. *nempe in divinis, quia aliter revelatũ, ſed in humanis poteſt: unaquaq; perſona in divinis habet unitatem perſonalem, quamvis habeat communem eſſentiam ſingularem, quod credimus propter revelationem divinam.* 3. ad §. 38. quia Vir Celeberr. illam rationem iterum urget, ob quam ſingularis eſſentia divina ſit communicabilis tribus perſonis, quia eſſentia iſta ſit infinita, quam nunquam potui capere, ſic dictavi: *Has ratio non eſt revelata: novimus quod ad multiplicationem diverſarum per-*

fonarum non multiplicetur divina essentia, sed quare fiat, non novimus. 4. Ad §. 41. ubi concluditur refutatio objectionum Socinianorum, notavi sequentia. *Sed cum clare sit revelatum illud mysterium, etsi nos non possumus omnem contradictionem, quam nectunt Sociniani, enodare, propterea tamen non est negandum, sed hic nostra ignorantia est confitenda, & cogitandum quod Deus sit infinitus, nos autem finiti, quodque propterea non sit mirum, si non omnia, quæ in Deo sunt, intelligamus.* Has omnes notas hâc unâ censurâ perstringit art. 113. n. 23. ad §. 35. (sic imprimendum fuit) *& sequentes me videri studio porrigere herbam Socinianis*, cujus ipsius conjecturæ nullum deprehendere possum fundamentum. An enim dicet Vir Venerandus, se intelligere, quomodo unus tantum sit Deus & tamen sint tres personæ: si id intelligat, explicabit certo, ut & ego cum aliis intelligere possimus. An vero in eo adeo à me peccatum, quod hypothetice loquendo dico, nos non debere negare mysterium Trinitatis propter claram revelationem, etsi non possimus omnem contradictionem, quam nectunt Sociniani, solvere? Quæ ratio erit, quare hoc meum dictum improbetur, quo ostendo, me firmissimè adhærere Scripturæ auctoritati?

VII. Modos porro in Deo proprie concipi non debere observaverat Philosophus Princip. I. §. 56. quòd consideremus per modos substantiam affici vel variari. *Ideoque*, inquit, *in Deo non proprie modos aut qualitates, sed attributa tantum esse dicimus, quia nulla in eo variatio est intelligenda.* At Vir Celeberrimus §. 37. id dicit *falsissimum & S. S. Trinitatis eversivum, cùm personæ in divinis constituantur & distinguantur per illos distinctos modos subsistendi, quos etiam Patres Græci* τρόπους ὑπάρξεως *solent appellare.* Fateor equidem Damascenum cap ult. Dialecticæ tradidisse hanc definitionem personæ ex Justino Martyre haustam: ἐπὶ τῆς ἁγίας τριάδος ὑπόστασίς ἐστιν ὁ ἄναρχος τρόπος τῆς ἀϊδίου ὑπάρξεως. Et reperitur hæc phrasis apud Justinum in expositione fidei, tùm in Quæst. & Responf. ad Orthodoxos, qui tamen libri pro genuinis Justini non habentur. At Scriptura hoc loquendi modo non utitur, neque ut nos utamur ulla requirit necessitas; Quin imò quæ creaturis rectè tribuuntur ob variationem, quæ in iis deprehenditur, à Deo removenda censeo, ne similiter in ipso variationem aliquam, adeoque mutationem concipiamus. Facilis enim hic est lapsus, quando de mysterio, cujus τὸ ὅτι constat ex Scripturis, ad eum modum loquimur, quo de creaturis. Keckermannus sanè hîc impegit, quando lib I. cap. 3. sic inquit: *Sed quid iste sit modus, multis*

multis difficile intellectu videbitur. Quos tamen hoc velim cogitare in omnibus rebus esse aliquid, quod rebus additum res quidem non sit, sed quidam rei gradus: Ut gradus caloris, per quem fit tepor, aut fervor, calor quidem ipse non est, sed caloris modus. Sic etiam in Deo aliquid est, quod quidem a Deo diversa res non est, vel quod non est alius Deus, & tamen ipsa Dei essentia non est, sed hujus essentia modus. Dum enim à Creaturis mutuatus est nomen *Modi*, idque huic mysterio applicavit, paratus jam erat aditus ad tendendum plus ultra, & comparandas personas divinas cum gradibus caloris, cum quibus nullam planè habent similitudinem. Nec ego solus inter Theologos vereor abstinere à modo loquendi de mysterio fidei, qui in Scriptura nec αὐτολεξεὶ, nec per æquipollentiam reperitur. Consentientem hic habeo Wendelinum Christ. Theol lib. I. cap. 2. *Nunquam nobis* (Scriptura) *ullam divinitatis personam describit per nudum ὑπάρξεως τρόπον, seu modum subsistendi. Persona divina in scripturis Deus est, unde Dei nomina, opera, attributa, honor singulis personis tribuuntur verissimè: Quæ an nudo ὑπάρξεως τρόπῳ, seu modo subsistendi commode tribui possint, mens pia cogitet.* Et postea. *Theologi*, inquit, *nonnulli docent personas divinas seorsim sigillatim consideratas ab essentia divinâ differre ratione: Simul autem sumptas nullo prorsus modo differre ab essentiâ divina, sed esse ipsissimam essentiam divinam absolute consideratam. Ita inter alios Graverus aliquoties in explicat. Confess. August. Quod an satis cautè dicatur, docti viderint.*

VIII. Pergit Vir Celeberrimus & mihi indignatur: *Nec possunt*, inquit, *moderni Theologi, qui jurant in verba Cartesii, aliter hinc se explicare, quam statuendo* modalem personarum divinarum distinctionem non esse similem ei distinctioni modali, quæ obtinet in rebus creatis, cum plane alterius sit generis, *ut loquitur mei Systematis Censor perpetuus, quia vult universam Theologiam nostram ad Pseudo-Cartesianismi modulum reformare ad Loc. III. art. 14. & 20.* Doleo sane Virum Venerandum meum institutum adeo sinistrè accepisse, ac si istas notas dictaverim, ut censuram agerem ipsius, cum eo honore affecerim, ut commentarium dictando meis discipulis in ejus systema, id iis reddiderim aptius ad usum, eâque ratione præ aliis commendaverim. Quamvis enim in paucis quibusdam, quorum pleraque sunt merè philosophica, dissenserim, à potiore tamen me potuisset denominare & potius Commentatorem, quam *Censorem perpetuum* appellare; nulla enim puto esse scripta humana, in quibus, si quis notis illustret, ut ad usum aptiora reddat, non occurrere possint quædam,

quæ

quæ si nequeat probare, simul rationes sui dissensus debeat adjicere; quod si igitur quis faciat, si quoque privatis parietibus discipulorum paucorum hæc includat, non vero publici faciat juris, non video, quomodo jure quis de eo conqueri possit. Atque hoc solum est, quod à me est factum. Hæc igitur dum dictavi, innui modum propriè sic dictum in Deo locum non habere, & distinctioni, cui similem non fert tota rerum universitas, non debere, nec posse propriè accommodari aliquod distinctionis genus, quod in creaturis solummodo reperitur. An enim ullibi reperitur unica essentia, quæ sit communis tribus personis à se invicem proprietatibus tribus incommunicabilibus differentibus? Si itaque differant personæ divinæ tali distinctionis modo, cui similis in tota rerum universitate non reperitur, sique modi creaturarum, imo omnes modi propriè sic dicti variationem inferant, non debet igitur persona divina, vel ejus proprietas characteristica modus propriè appellari.

IX. Verum enim-vero ipse Vir Celeberrimus non multum à me dissidet quando hæc addit. *Etsi modus subsistendi sive personalis divinus non sit ejus[illegible] generis univoci cum modo subsistendi sive personali angelico aut humano, saltem deberet censeri ejusdem generis æquivoci vel analogici, quod sufficeret alicui [illegible] utrumque constituendæ; aut debuissent ipsi dissimilitudinis rationem exp[illegible]r; quæ vix alia concipi potest, quam quod personæ angelicæ vel humanæ constituantur in esse personæ, & distinguantur à se mutuo per suos subsistendi modos in eâdem naturâ specificâ, personæ vero divinæ per suos in eâdem naturâ numericâ.* Si enim modus personalis divinus sit tantum ejusdem generis æquivoci, non erit major convenientia quam nominis, sicut inter canem terrestrem & sidus cœleste sic nominatum; Et per consequens modus non potuit proprie usurpari de Deo. Si quoque hæc sit dissimilitudo inter personas humanas, ut humanæ non habeant eandem naturam numericam, habeant divinæ, est ergo distinctio inter divinas personas ejusmodi, cui similis non reperitur in rebus creatis. Nam personæ humanæ non modaliter differunt, modi vero in creaturis variationem inferunt, quæ in Deum immutabilem non cadit, unde personæ divinæ modi propriè nequeunt dici, &, si dicantur, non erit convenientia inter modos creaturarum, & istos personales modos, nisi nominis, sicque tantum poterunt dici ejusdem generis æquivoci, non vero analogici, nisi genus analogicum & æquivocum pro iisdem habeantur, quod videtur facere Vir Celeberrimus.

X. Mi-

X. Miror autem ipsum *nescire* p. 88. *qui possim à Sabellianismo liberari, quando statuo* ad articulum 14. *personas ab essentia divina non distingui ullo distinctionis genere, quod locum habet in creaturis, adeoque nec distingui realiter, nec modaliter, nec ratione ratiocinatâ (quod tamen ultimum communiter statui dicitur ab omnibus) sed per proprietates personales: licet per illas proprietates tanquam per modos distinctos existendi ipsæ personæ* modaliter *à se mutuò, non ab ipsâ essentiâ distinguantur*. Nam qui distinguit Patrem à Filio tanquam alium ab alio, qui Patri soli tribuit hanc proprietatem, quam Theologi dicunt ἀγεννησίαν, Filio Generationem, Sp. S. Spirationem, quod me facere novit, quique negat Patrem esse incarnatum vel passum, & similia, quomodo potest dici consentire cum Sabellianis? Quando autem dico personas distingui per proprietates personales ab essentiâ, sensus verborum per se hic est manifestus, essentiam abstractè & præcisè consideratam, sive distinctam à personis, non habere proprietatem personalem Patris, nec proprietatem personalem Filii, nec proprietatem personalem Sp. S. at personam Patris, habere proprietatem personalem Patris, & sic de reliquis. Quæ sanè inferunt Patrem non posse dici Filium, nec hos à se invicem tantum nominibus distingui, quæ statuebant Sabelliani. An vero proprietates personales sint modi propriè dicti necne, tota est hic quæstio? Ad quam negando respondi in præcedentibus. Posito tamen quod persona sit modus propriè dictus, quodque referenda sit distinctio ista ad genus aliquod quod in creaturis obtinet, non tamen deberet hæc dici rationis, sed potius ad modalem esset referenda. Hæc enim duplex est, alia inter substantiam & modum ejusdem substantiæ, alia vero inter duos modos ejusdem substantiæ.

XI. Etsi autem perperam confundatur & misceatur Philosophia cum Theologiâ, potest tamen Philosophia Theologo magnum & multiplicem usum præbere, si eâ dextrè & commodè uti sciat. Non quidem illa quæ ex præjudiciis infantiæ, notionibus secundis, variisque erroribus tota est conflata, cujusmodi est illa ipsa, quam primi Reformatores, aliique superioris ætatis Theologi tanquam Theologiæ corruptricem accusârunt. Quid enim sperari possit utilitatis ab erroribus, à confusis & obscuris conceptibus, ex quibus tota est coagmentata? Quid usus quoque expectabitur ab horrido illo vocabulorum sonitu, cui adeo indignantes vidimus Sadeelem & Ursinum, quique viris literarum gloriâ Clarissimis aliisque politioribus ingeniis Philosophiam planè reddit invisam. At ma-

ſcula illa & ſana Philoſophia, quæ omnia ex claris principiis & evidentibus notionibus deducit, eoſque ſolos terminos adhibet, qui à quovis linguæ latinæ gnaro, ſi Methodum legitimam philoſophandi ſequatur, poſſunt intelligi, cujuſmodi eſt ea cujus Principia à Renato Des-Cartes Nobili Gallo feliciſſimè ſunt reperta & tradita, quæque magno cum fructu ab iis, qui ejus Methodum voluerunt ſequi eſt exculta, multiplicem uſum præbere poteſt Theologo. Quòd autem ejus uſu termini illi technologici & philoſophici, quibus Theologia potius intricatur, quam explicatur, reddantur inutiles Theologis, hoc pro beneficio habendum & accipiendum.

XII. Unde miror Celeberrimum Virum eo nomine ipſi indignari §. 10 quando inquit: *Sed iniquiſſimum eſt & periculoſiſſimum, ſimul velle ex Scholis Theologicis effurcillare terminos hactenus receptos, ut cedant novo idiomati novorum iſtorum Philoſopho-Theologorum, quod hucuſque in illis non ſonuit. Etenim priſcorum vocabulorum deletio, & introductio novorum in doctrinâ Eccleſiæ vel tradendâ vel vindicandâ, vix poteſt citra rerum ipſarum innovationem & immutationem procedere: nec poſſet Theologus intelligere adverſarios vel ab ipſis intelligi, multo minus cum ipſis congredi, ſi ſoliti & priſci termini veniant à parte noſtra penitus exſtirpandi.* Theologus enim dum Philoſophia ſana utitur eo modo, de quo in ſeqq. plenius dicetur, ſic quidem eliminat & ejicit terminos obſcuros, ambiguos & confuſos, quique ad rem intricandam potius quam explicandam inſerviunt, utitur tamen communibus, & ab omnibus receptis & intellectis, atque æquipollentibus Sp. Sancti terminis. Adhibet quoque voces ipſius Sp. Sancti, in iis imprimis, quæ ex mera revelatione dependent, qui ſanè non minoris debent æſtimari, quam termini humani. Sic igitur nullum novum idioma introducit, dum idioma uſurpat Sp. Sancti, vel ſaltem ei æquipollens; dum utitur idiomate communi & ab omnibus intellecto, quamvis dum barbarum idioma & difficile intellectu atque confuſioni & diſputationibus aptiſſimum ejicit, novum reſtituit rebus Theologicis nitorem, qui barbarie hominum Scholaſticorum à Lombardi uſque temporibus fuerat obſcuratus, atque ita quoque inde nulla rerum novatio metuenda. Adverſarios quod attinet, ubi cum ipſis eſt congrediendum, Theologi ſanè Orthodoxi officium eſt, ut dum rem illi conantur involvere terminis obſcuris & ambiguis, prius de vera ſignificatione cum ipſis conveniat, eamque vel ex antecedentibus vel ex conſequentibus vel ex ipſa adverſariorum interpretatione addiſcat,

scat, ad statum controversiæ legitimè formandum; eidem quoque incumbit quæstiones inutiles & curiosas, cujusmodi plures circa dogma Trinitatis instituerunt, resecare, atque unà cum obscuris & ambiguis terminis rejicere ac relinquere iis, qui talibus delectantur, otium vero suum impendere Scripturarum scrutinio, ut magis magisque in dies ex eis proficiat.

XIII. Pergit Vir Celeberrimus §. 11. *Quid quod vel etiam à novis in Philosophia terminis, si minus quadrent cum Theologiâ, imminet periculum ipsi Orthodoxiæ, cui Philosophia non debet praeesse vel dominari, sed ancillari. Etsi non-nulli, quibus volupe est* θεολογεῖν *ex Cartesio, & totius ferè Theologiæ ad novas ideas innovationem moliri, nolint suam Philosophiam amplius subordinari Theologiæ, & improbent me dixisse Philosophiam Theologiæ* ancillari *atque has duas disciplinas coordinandas statuant, de quo ipsi viderint. Cum mihi satis sit hoc respectu omnes Philosophos Christianos hactenus modestiùs de suâ disciplinâ sensisse, & locutos fuisse: Nam Philosophus, qui solitâ imbutus fuerit Philosophiâ facile refutabitur ab Orthodoxo Theologo etiam ex suis principiis, si quid monstri, quod veritati divinæ repugnet, alere deprehendatur; difficilius vero vel cedet, vel confutabitur, qui in novorum terminorum philosophematum latebras & dumeta se proripiet. si præsertim, ut Philosophi omnes sunt animalia gloriæ, putet se certiora & veriora assecutum, quam alios, & quæ juxta stylum Cartesianorum jam* clare & distincte percepta *habeat*. Sed metus hujus nulla est causa, si rem æquâ lance expendamus. Theologus sanè Orthodoxus si compertum habeat, Philosophum quemcumque aliquid docere, pugnans cum sacris literis, facile ex ipsis sacris literis eum erroris potest convincere, modò Philosophus ille sit Christianus, atque auctoritati verbi divini subscribat. Ea enim vis est Scripturæ atque potentia, ut queat errorem sibi contradicentem redarguere, 2. Tim. III, 15, 16, 17.

XIV. Quod si eidem libeat explorare, ex quibus principiis, quibusque viis istum errorem adversarius derivaverit, illique suam deviationem cupiat ostendere, atque ita eum in rectam viam reducere, si negocium intercedat cum Philosopho, qui solitâ imbutus fuerit Philosophiâ, nolim ei auctor esse, ut ad aptitudinem hujusmodi acquirendam tempus & otium suum, longe melius collocandum, impendat Suaresii, Fonsecæ, Conimbricensium, Thomæ, Scoti, aliorumque similis farinæ Philosophorum lectioni, ex quâ ad summum præter errores multiplices nihil aliud reportare potest, quam terminorum barbarorum atque ineptorum cognitio-

nem, sed potiùs in dumetis distinctionum intricatarum, & latebris terminorum obscurorum latitare volentem, in liberum campum eliciat, jubeatque loqui linguâ intelligibili, obscurosque suos & ambiguos terminos explicare, quo facto, non deerit Theologo ratio per usum luminis naturæ, quo os ipsi obstruat. At si Theologo res sit cum Philosopho, quem Cartesianum Vir Celeberrimus appellat, non est quod dumeta terminorum novorum extimescat, cum ut antea §. 6. dictum, tales non sint in hâc Philosophiâ, sed attendendum ei erit ad deductionem sui erroris, quæ sanè cum supponatur esse erroris facile hiabit, & à lumine rectæ rationis hîc vel illic aberrabit, quod attendenti ad lumen rationis cum cujuslibet oculis, modo aperti sint & sani, suo splendore se ingeret, facile evadet manifestum.

XV. Sic agendum censeo Theologo, si Philosophum ab errore suo revocare velit, ut ei veritatem demonstret ex verbo divino, atque mentem Sp. Sancti in hoc vel illo Scripturæ dicto, quo utitur, clarè probet, fontemque erroris indicet, & quâ ratione deviaverit declaret, non verò ut pro imperio agat, & Philosophum coram Theologo tacere jubeat, quòd Philosophia ancilla Theologiæ dominæ cedere oporteat. Non cæca obedientia exigenda, non utendum superbo illo dominio, quo uxorem erga maritum utentem ridet Juvenalis Sat. VI. *Hoc volo, sic jubeo, sit pro ratione voluntas.* Aliàs verendum, ne Philosophia, si patiatur, ut quis se abutatur pro ancillâ ad tempus, postea ubi nimiam familiaritatem contraxerit cum creditâ suâ dominâ, ipsamet dominium & imperium invadat, prout factum est à Philosophiâ Scholasticâ, quæ tandem Verbo divino ejecto mysteria divina ad decempedam rationis exegit, non aliter, ac si nullum esset superius tribunal humanâ ratione, uti querentes audivimus Lutherum & Sadeelem. Utraque Scientiâ est donum Dei, utraque nititur suis principiis, quamvis quævis alterius consiliis queat uti, mutuamque sibi invicem fœnerari utilitatem. Atque ita dixeram in notis ad Systema Celeberrimi Viri, ad quas hic respicit, ad locum 1. §. 19. *Sic vulgo statuunt Philosophiam esse ancillam Theologiæ, quâ ratione nimis deprimunt Philosophiam, ac si nihil ex semet ipsa posset agere & tantum debeat dependere à Theologiæ nutu, quod est absurdum. Qualibet enim disciplina se solâ subsistit, & quamvis altera alteri possit usum præbere, non tamen propterea ea quæ usum præbet, tanquam ancillans debet considerari. Sic enim etiam ipsa Theologia, cum usum præbeat Philosophiæ, ejus ancilla posset appellari. Consulunt sibi mutuo discipli-*

ſciplinæ, & ſe mutuo juvant, qualibet tamen in ſuo genere ſuam perfectionem obtinet, neque ab alterâ tota dependet.

XVI. Multiplicem autem Theologiæ uſum præſtare poſſe Philoſophiam Carteſianam in ſequentibus plenius erit demonſtrandum. Docet ea formare claras & diſtinctas perceptiones, mentemque aſſuefacit ad circumſpectiùs & cautiùs judicandum, modum judicii ritè formandi præſcribit, monet ea, multa reperiri in Dei Natura, potentia, voluntate, & operibus, quæ homo ſuo naturali intellectu nequeat penetrare, quod eò inſervire poteſt, ut diſcamus in rebus fidei rationem captivare,& ſubjicere divinæ revelationi, & è contrario intellectum noſtrum exercere in rebus magis utilibus,quæ humanus intellectus poteſt conſequi. Hi generales ſunt uſus, tantò magis affectandi Theologo, quo magis ſibi ab erroribus cavere tenetur, & certitudinem ſummam & indubitatam acquirere allaborat. Præter hos generales uſus, varii ſunt ſpeciales, qui locum habent imprimis in iis, quæ communia ſunt Philoſophiæ cum Theologiâ, quæ nempe & ex lumine rationis queunt demonſtrari, & ex revelatione cognoſci. Quo ſpectat Dei exiſtentia, Attributa ejuſdem,Potentia ipſius,& operationes circa creaturas,animæ natura & libertas ſubjecta tamen Dei potentiæ & operationi, hominis conſtitutio & paſſiones animi, corporis & loci natura, animæ immortalitas, & ſimilia, de quibus in ſequentibus plenius agemus. Quin etiam in multis quæ pendent à ſola revelatione, ſpectantibus hominem, angelos, aut Deum, ſuppoſito τῷ ὅτι ex revelatione, Philoſophia ex natura Dei & hominis & mentis humanæ, cujus eadem eſt eſſentia,quæ angelicæ, ea depromit,quæ inſerviunt, ut claros & diſtinctos de illis conceptus formare queamus, cujus ſpecimina in ſequentibus reperientur.

CAPUT II.

Miſcendam quoque non eſſe Theologiam cum Philoſophiâ tum in genere oſtenditur, tùm in particulari exemplo de ſyſtemate mundi corporum nobis conſpicuorum, quod perperam quidam conantur ex Scripturâ delineare. Vſum tamen quoque aliquem præbere Theologiam Philoſopho.

XVII. SIcut autem miſcendam non eſſe Philoſophiam cum Theologiâ in ſuperioribus oſtendimus, ita è contrario nec Theologia

gia cum Philosophia confundenda. Id factum ab iis qui Physicas Mosaïcas & Christianas nobis conscripserunt, atque ex Scripturâ conati sunt interiorem rerum texturam & naturam explicare, ea adducentes loca Scripturæ, in quibus mentio fit particularium corporum, quatenus ut exempla providentiæ & potentiæ divinæ adducuntur, cui scopo ut inserviant sufficit notitia communis, cujusmodi per sensus de iis à quibusvis hominibus haberi potest, quam solam scopo suo longè sublimiori Sp. Sanctus substernit. Qui igitur ex ejusmodi tractatibus putant sese consecuturos accuratam rerum naturalium cognitionem & veram scientiam, admodum falluntur, cum vel non ultra vulgarem sive communem notitiam homines evehant, vel etiam præjudicia & errores confirment & ingenerent, quatenus auctores isti alia quædam ex Philosophia Scholastica & vulgari, cui fuerant innutriti, admiscuerunt: qua de re Wittichius prolixius egit in Consensu Veritatis cap. 2, 3, 4, 5, 6, 7, 8.

XVIII. Ex eodem errore factum, ut quidam Systema Mundi sive corporum primariorum in oculos nostros incurrentium conati fuerint ex Scripturis concinnare, vel id quod à Ptolemæo tanquam hypothesis quædam ad explicanda nomina stellarum fuerat constructum, voluerint ex Scripturis confirmare, perperam ex eâ elicientes, Solem vero motu circulari indies circa Terram cum toto Cœlo stellifero rotari, hocque suo motu vicissitudinem dierum & noctium causari, Terrâ in medio istorum corporum manente fixâ, & immobili, quod quam infeliciter iis successerit, & inter alios Dn. Du Bois Pastori dum viveret Leidensi ab eodem Wittichio in dicto Consensu Veritatis satis superque fuit demonstratum. Videantur compendii loco inter alia §. 21, 22, 23. Nasum cereum non affingi Scripturæ, etsi statuamus Scripturam loquentem de rebus naturalibus retinuisse sermonem receptum, etsi præjudiciis innireretur, quatenus iste sermo veritatem communem denotabat, ab eodem ostensum art. 704. qui quoque citra ullam contorsionem & contumeliam Scripturæ loca, quæ à quibusdam adducebantur ad systema mundi formandum, explicavit, eaque præter mentem Sp. S. huc trahi passim, in isto Tractatu docuit. Ad quæ qui attenderit hoc quidem colliget, noluisse Sp. S. errores vulgi de rebus naturalibus refutare, non tamen eos fovere voluisse, aut tacitè comprobare.

XIX. Viro tamen Celeberrimo, quia non visum ea legere, videtur ex Scriptura posse hanc controversiam decidi. Inde §. 44. hunc in modum loqui-

loquitur: *Miracula quæ Scriptura disertè in Sole facta commemorat tùm in Solstitio Josuæ Jos. x, 12. tùm in retrocessione per decem gradus in horologio Achazi tempore Ezechiæ, quæ etiam in Chaldæis fuit observata* 2. *Reg.* 20, 11. & 2. *Reg.* 32, 31. *negare in Sole facta, quod repugnet perpetuo illi solstitio, quale viri docti præsumunt ex sua hypothesi, nobis videtur temeritatis nimiæ & remotius ab eâ piâ modestiâ, quâ debet ἡ θεόπνευςος γραφὴ à nobis homuncionibus tractari & haberi. Ex illâ imaginatione Josua debuisset Terram pede pulsare, eique mandare ut quiesceret & sisteret motum suum diurnum: Sed allocutus est Solem & Lunam, ut utriusque motum sisteret, & Sol sibi hostes persequenti lampada teneret donec plenam de illis referret victoriam: Nec credibile est, potuisse umbram in sciaterico miraculose retrogradi Ezechiæ tempore sine retrogradatione Solis & Lucis, unde efformabatur: Nec potuisset istud miraculum observari Babylone, si non in Sole, sed in solo Achazi horologio substitisset.* At tota in eo posita est quæstio: An in proferendis illis duobus miraculis Sp. S. non usus fuerit more loquendi recepto, etsi præjudiciis niteretur, quod plane affirmandum judico. Tantumque abest, ut id indignum sit Spiritu Sancto, ut potiùs sit existimandum, quod dum nos voluit erudire ad salutem, siquidem occasio esset loquendi de rebus naturalibus, non ultra communem & vulgarem notitiam, quæ tantum *historiam naturæ* continet, voluerit ascendere, eamque verbis vulgò receptis exprimere. Sicut Astronomi etiam illi, qui systema Mundi Copernicanum vel simpliciter, vel prout à Cartesio est correctum sequuntur, in Chronologicis tamen dum sermo incidit de corporibus cœlestibus & situs variatione eam iis formulis loquendi exprimunt, quibus vulgus uti consuevit, etsi ab errore, quem vulgus utens istis phrasibus simul exprimit, sint maximè alieni.

XX. Hoc constituto, an in corpore Solis an in Terrâ miraculum, quod Josuâ & Ezechiâ viventibus contigit, fuerit factum, ex Scriptura non videtur posse definiri. Ea solummodò docet, diutius conspectum Solem supra Horizontem, quàm aliàs consueverat, idque exprimit formulis talibus, quibus receptum est istam veritatem exprimere, etsi ex præjudicio quodam haberent ortum, cùm à consueto more recedere non servierit ad ejus institutum. Causam autem secundam, quare Sol supra Horizontem fuerit conspectus diutiùs, an Deus id effecerit retento Solis an Terræ corpore, an alio quodam modo, non edisserit. Sic enim rem miram ipsam solet Scriptura enarrare, non modum quo ea peracta enucleare *Solem stetisse* dicit, nihil aliud hac phrasi significans, quam non occidisse integro

die (quâ posteriori phrasi Scriptura tanquam æquipollente paulò post utitur) Hoc est, conspectum esse integro die supra Horizontem. Allocutus est Solem per Prosopopæiam, sed hâc formulâ propriè Deum precatus est, ut id efficeret, quod phrasis ista significabat, ut nempe Sol supra Horizontem Josuæ diutius se conspiciendum exhiberet. Quia autem is effectus non solet significari hâc phrasi, *Terra Sta*, non debuit, nec potuit eam adhibere. Unde quod de *Terræ pulsatione* dicitur, non nisi ad risum ciendum videtur esse accommodatum. Similiter *reversus Sol dicitur* in Sciaterico Achazi *decem gradibus iisdem, quibus descenderat*, quatenus eum recepit situm respectu umbræ ipsius gnomonis, quem habuit, antequam gradibus istis decem descenderat. Variatio ergo situs Solis retrograda dicitur facta, cujus motu ea fuerit facta non dicitur. Sic reverenter Scripturam tractari putamus, quando nihil ei affingitur, atque id significari ab eâ non agnoscitur, quod nec significare intendit. Cæterum ad ea quæ supersunt hic objecta, malo verbis summi & incomparabilis Theologi Bocharti in suo Phaleg. pag. 446. quam meis respondere. *In quâ* (machinâ Achazi) *per miraculum ingens ad confirmandum Ezechiam in fide divinæ promissionis de vitæ prorogatione, umbra retrocessit decem gradibus, per quos jam descenderat. Umbram ajo, non Solem ipsum, quia nihil in Scriptura reperio, quod vos cogat, ut credamus, Solem ipsum retrocessisse. In historiâ Regum de Sole nihil habetur. Solum umbra legitur reversa esse retrorsum. In Esaiâ etiam Deus pollicetur duntaxat se facturum ut umbra regrediatur decem gradibus, unde explicanda sequentia.* Et reversus est Sol decem gradibus. *Sol, id est, umbra Solis, vel etiam lumen Solis, quod recedenti umbræ successit. Eo sensu Sol accedere dicitur prout Solis lumen accedit aut recedit, itaque miraculum fuit in Heliotropio: non in ipso corpore Solis: Quod si tot gradibus retrocessisset, quidquid graduum nomine intellexeris, tam insigne prodigium ubicunque terrarum percelluisset homines. Neque id silerent libri veterum. Et nihil opus fuisset è Babylone in Judæam mitti legatos, qui de portento interrogarent, quia rei gestæ fides mortalium nemini latuisset.*

XXI. Quæ porro urget Vir Celeberrimus de Marcionitis, quòd hâc sententiâ admissâ sint habituri, quibus veritatem corporis Christi evertant, item quòd Hilarius suum errorem possit propugnare, Christum ex suâ passione non ex rei veritate, sed ex solâ opinione spectantium dolorem sensisse, & quæ similia habet §. 45. & 46. cum de isto argumento actum fuerit à Wittichio in Consensu Veritatis cap. 37. rogo tantum, ut

ea

ea dignetur attente perlegere, spero enim ista scrupulum omnem exemtura quem habet, ne Christiana Religio ex hâc sententiâ quid patiatur detrimenti. Addat quoque ea, quæ idem tractat integro cap. xx. & si placet sequentia capita, sic videre poterit non subsedisse Theologos Reformatos infra modestiam Pontificis Romani & Sacri sui officii, quod statuit art. 47. Hi enim putarunt, sententiam illam Copernicanam pugnare cum scripturâ, ideo rectè existimarunt potius scripturæ hic fidem adhibendam; at secus alii judicant, & demonstrare se putant, qui tamen scripturæ auctoritati omnia sua submittunt, prout videbitur cap. iv. hujus Tractatus.

XXII. Putat autem Vir Celeberrimus malè factum ab iis, qui Philosophiam, prout à Cartesio est demonstrata, præferunt Scholasticæ, quod id quod Philosophus habuit *tantum pro hypothesi, pro vero & necessario* dogmate *habuerint*, in quo adstruendo omne suum accumen effuderint §.41,& 42. ad quod probandum adducit Princ. III art. 19. cujus verba sic se habent: *Quapropter ego, in hoc tantum ab utroque dissentiens, quod omnem motum verius quam Tychò, & curiosius quam Copernicus sim Terra detracturus; illam hic proponam hypothesin, quæ omnium simplicissima, & tam ad phænomena intelligenda, quam ad eorum causas naturales investigandas accommodatissima esse videtur: Ipsamque tantum pro hypothesi, non pro rei veritate haberi velim.* Sed cum his conferri velim ea quæ habet Differt. de Meth. p. 68. *Quod si quædam eorum, de quibus egi initio Dioptrices & Meteororum prima fronte offendant, quia hypotheses voco, & nolle probare videor; rogo ut integri tractatus cum attentione legantur, & spero hæsitantibus satisfactum iri. Rationes enim mihi videntur in iis tali serie connexæ, ut sicut ultima demonstrantur à primis, quæ illarum causæ sunt, ita reciprocè prima ab ultimis, quæ ipsarum sunt effecta probentur.* Et paulò post. *Nec hypotheses alio fine vocavi, quam ut sciatur, considere me eas posse deducere ex primis illis veritatibus, quas supra exposui.* Sic similiter existimandum confisum fuisse Philosophum Princip. III. art. 19. se eam posse deducere ex primis illis veritatibus, quas exposuit Princip. II, parte, id quod etiam fecisse ipsum inter alia ex §. 146, 147, 150. Princip. III. partis apparet.

XXIII. Dicit porro Philosophum *non aliam sibi certitudinem eâ de re tribuere, quàm moralem*, citato §. 204. Princip. IV. Sed debebat quoque conjugere §. 206. quæ ut tanto appareant clariora, malo juxta versionem Gallicam à Cartesio approbatam, in qua plenius ejus mens fuit expressa,

citare. *Altera species certitudinis est, quando cogitamus nullo modo esse possibile, ut res aliter se habeat, quam nos de eâ judicamus. Eaque fundata est super principio hoc Metaphysico indubitato, quod cum Deus sit summe bonus, & origo omnis veritatis, cumque ille nos creaverit, certum sit, potentiam aut facultatem, quam nobis dedit ad distinguendum verum a falso, non falli, quando eâ bene utimur, & quando nobis evidenter ostendit, rem aliquam esse veram. Ita hac certitudo se extendit ad omne id, quod demonstratum est in Mathesi. Videmus enim clare, impossibile esse, ut duo & tria inter se invicem addita, faciant plus aut minus, quam quinque, aut ut quadratum non habeat nisi tria latera, & quæ similia sunt. Hac etiam se extendit ad cognitionem, quam habemus de eo, quod sint corpora in mundo ob rationes superius initio II. partis explicatas. Consequenter porro se extendit ad omnia ea, quæ possunt demonstrari circa corpora per principia Mathematica, aut alia æquè evidentia & certa, in quorum numerum mihi videntur debere recipi ea, quæ scripsi in hoc tractatu saltem principalia & magis generalia. Et spero revera futura apud eos, qui ea examinaverint tali modo, ut clarè perspexerint omnem seriem deductionum, quas feci, & quàm evidentia sint omnia Principia, quibus præcipue fui usus, si bene intellexerint, fieri non posse, ut sentiamus aliquod objectum nisi interventu motus alicujus localis, quem hoc Objectum in nobis excitat, & stellas fixas non posse in nobis ita excitare aliquem motum in oculis, ut non moveant quoque aliquo modo totam naturam, quæ est inter illas & nos. Unde sequitur evidentissime, cœlos oportere esse fluidos, hoc est, compositos ex particulis exilibus, quæ separatim à se invicem moventur, aut saltem oportere esse in illis hujusmodi particulas. Omne enim id quod potest dici me supposuisse, quodque reperitur art. 46. tertiæ partis* (hæc bene notari velim) *potest reduci ad hoc solum, quod cœli sunt fluidi. Ita ut, si hoc unicum agnoscatur, sufficienter demonstratur per omnes effectus luminis, & seriem omnium aliarum rerum, quas explicavi, existimem agnosci oportere, quod probaverim per demonstrationem Mathematicam, omnia ea quæ scripsi, saltem magis generalia quæ spectant machinam cœli & Terræ & eo modo quo ea scripsi, sollicitus enim fui ut proponerem tanquam dubia ea omnia, quæ talia esse putavi.* Addamus quoque ea quæ leguntur Princip. III. art. 43. & 44. *Et certe si nullis principiis utamur nisi evidentissimè perspectis, si nihil nisi per Mathematicas consequentias ex iis deducamus, & interim illa quæ sic ex ipsis deducimus cum omnibus naturæ phænomenis accurate consentiant, injuriam Deo facere videremur, si causas rerum hoc pacto à nobis inventas falsas esse suspicaremur, tanquam si nos tam imperfectos genuisset, ut ratione nostrâ recte utendo fallamur.* Pergit. art. 44.

Verum-

Veramtamen ne etiam nimis arrogantes esse videamur, si de tantis rebus philosophando genuinam earum veritatem à nobis inventam esse affirmemus, malim hoc in medio relinquere, atque omnia, quæ deinceps sum scripturus tanquam hypothesin proponere, quæ quamvis falsa esse existimetur, satis magnum operæ pretium me fecisse arbitrabor, si omnia, quæ ex ipsa deducentur, cum experimentis consentiant. Ita enim ex eâ tantundem utilitatis ad vitam, atque ex ipsius veritatis cognitione percipiemus. Ex quibus facile apparet, quæ modestiæ causâ ab ipso fuerant dicta, & ne aliis assensum imperare, sed vi demonstrationum impetrare videretur, perperam eò trahi, acsi ipsemet de veritate suorum dogmatum dubitasset. Impossibile vero est eversâ hâc doctrinâ, quâ Terra cœlo fluido undique cincta unà cum reliquis Planetis statuitur deferri circa Solem, eâ interea singulis diebus circa axem suum rotatâ, queat ædificium demonstrationum Cartesii consistere. Sed rupto hoc annulo, catenam demonstrationum ejus concidere est necesse, quod agnoscent mecum omnes, qui Philosophiæ istius sunt gnari.

XXIV. Etsi autem non miscendam esse Theologiam cũ Philosophia sic firmiter simus persuasi, non tamen negamus Philosophiam usum ex Theologia capere posse. Amicæ enim hæ sunt disciplinæ, atque ad se juvandum mutuò concorditer satis conspirant. Docet ea imprimis causam omnium rerum primam & unicam esse Deum Ter Opt. Max. qui initio temporis omnia ex nihilo creaverit & produxerit, totum illud quod videmus Universum, unà cum omnibus quæ in eo sunt creaturis, unde & Philosophus noster Princip. III. §. 45. mundi creationem ex fide supponit his verbis: *Non enim dubium est, quin mundus ab initio fuerit creatus cum omni suâ perfectione, ita ut in eo & Sol & Terra & Luna & Stellæ exstiterint, ac etiam in terrâ non tantùm fuerint semina plantarum, sed ipsæ plantæ, nec Adam & Eva nati sint infantes, sed facti sint homines adulti. Hoc fides Christiana nos docet.* Docet quoque Theologia, omne id quod à Deo est creatum ab eodem conservari, omne quod est reale, omnem actionem à Deo pendere & ab eo produci, quibus & Philosophia utitur, eaque argumentis comprobat. Sed nolo hâc de re esse prolixior, cùm præcipuus scopus meus sit usum Philosophiæ in Theologia ostendere.

CAP. III.

Non esse assentiendum iis, quæ non sunt clarè & distinctè percepta, è contrario verò nos planè certos esse posse in judiciis, quæ de clarè & distinctè perceptis formavimus. Quid sit clarum & distinctum. Axiomata ista etiam locum habere in Theologiâ, in quâ non debemus habere pro divinitus revelatis, quæ non clarè & distinctè percepimus esse revelata. Fundamentum istius axiomatis divina est veritas. Nihil id habere commune cum Pelagianâ hæresi. Quo modo ad usum sit applicandum. De dubitatione quædam.

XXV. PRimarius Usus, quem Philosophia Cartesii præbet Theologo, est, quod inculcat sæpissimè hoc axioma, *Non esse judicandum nisi de clarè & distinctè perceptis*, atque ostendit nos certò veritatem assecuturos, in illis judiciis, quæ formamus de clarè & distinctè perceptis, idque ipsum exemplis per totum suum corpus diffusis ostendit. Et sanè quamvis Renatus Des-Cartes nihil aliud meritus fuisset de genere humano, quàm quod fontem Universalem tùm omnis erroris, tum omnis certitudinis detexerit, quod hoc solo possumus obtinere veritatem certam & indubitatam, si assensum ab iis cohibeamus, quæ non clarè & distinctè percepimus, iis vero è contrariò præbeamus, quæ à nobis clarè & distinctè fuerint intellecta; tamen hoc ipsum tantum est, ut nunquam satis dignas possimus providentiæ divinæ dicere gratias, quòd istas huic Viro suggesserit cogitationes. Quid enim homini rem rectè putanti carius esse potest cognitione veritatis, quâ mens, præcipua ejus pars, insigni perfectione ornatur & excolitur? Atque è contrariò, quid tristius esse potest, quam si insigne hoc & divinum depositum errorum & falsarum opinionum maculis patiamur deturpari & corrumpi?

XXVI. Equidem nolim diffiteri multas ante Cartesium in scientiis humanis veritates fuisse detectas, imprimìs in Mathematicis, idque vi claræ & distinctæ perceptionis, non tamen illi veteres satis animadverterunt, eam pro omnis veritatis & certitudinis immutabili cynosurâ esse habendam, eique soli assentiendum, quod clarè & distinctè fuerit intellectum. Cum enim solus ille à generali dubitatione de omnibus in quibus

bus vel minima suspicio falsitatis occurrit, censuerit esse inchoandum, ut certiora & solidiora Principia Philosophiæ poneret, occasio varia suppeditata fuit agnoscendi, id solùm pro vero esse habendum, quod clare & distinctè percipitur. Istius enim axiomatis veritatem deprehendit, primùm experientiâ vagâ in Novennali illâ disquisitione, de quâ agit in Dissertat. de Methodo, ut ei inter regulas Methodi suæ primum locum concesserit; Dein experientiâ accuratâ id ipsi confirmatum est dùm primum cognitum : *Ego cogitans sum*, reperiret, prout initio Med. primæ constat; Tandem vero demonstratione certâ ex Dei existentiâ desumptâ illud ipsum Med. IV. corroboravit.

XXVII. Est vero adeo manifesta hujus axiomatis, *Omne quod clarè & distinctè percipio est verum*, veritas, ut vel simplici mentis intuitu ab attendente queat cognosci, neque ullâ egeat explicatione, cùm quid sit Clarum, quid Distinctum, quid Verum, nemo facilè ignorare possit, modo attendere velit, nec patiatur attentionem suam affectibus interverti. Quid tamen sit Clarum, quid Distinctum explicat Philosophus Princip. parte I. §. 45. *Claram voco illam* perceptionem, *quæ menti attendenti præsens & aperta est, sicut ea clarè à nobis videri dicimus, quæ oculo intuenti præsentia satis fortiter & apertè illum movent. Distinctam autem illam, quæ cum clara sit, ab omnibus aliis ita sejuncta est, & præcisa, ut nihil plane aliud, quam quod clarum est in se contineat.* Hæc inspexisse vellem Celeberrimum Virum antequam scripsisset §. 13. *Deinde*, inquit, *nec ipsimet Viri Docti satis intelligunt vel explicant saltem, quænam sit clara & distincta perceptio : Ea est, inquiunt, cujus quisquis sibi conscius est. Verùm ut certò alicui constet se sibi conscium esse suæ claræ & distinctæ perceptionis, opus est ei accuratâ reflexione super unâ perceptione illiusque principiis & fundamentis quæ non modo difficilis est & ardua, & variis eget perceptionibus, quo tutò & securè procedat, sed etiam non minus fallax est & dubia errorique obnoxia, quàm ipsa directa perceptio.* Quinam sunt Viri illi docti, qui non satis intelligunt vel explicant, quænam sit Clara & Distincta perceptio? An non sunt illi, quos Cartesianos passim appellat? At isti sequuntur hâc in parte explicationem Cartesii supra allatam, cùm nulla melior dari possit. Quod nec ipse negabit, cum passim eos accuset, quamvis perperam, quod in verba Magistri sui jurent.

XXVIII. Sic *Cogitationem* explicat Philosophus I. Princip. §. 9. *Cogitationis nomine intelligo illa omnia, quæ nobis consciis in nobis fiunt, quatenus eorum in nobis est conscientia.* Et Resp. ad secundas Objectiones Def. I.

Cogitationis nomine complector illud omne, quod sic in nobis est, ut ejus immediate conscii simus. At non omnis *Cogitatio* est *Clara & Distincta.* Dantur enim cogitationes quoque obscuræ, dantur confusæ, atque nimis quàm multæ, suntque occasio omnium errorum, quando volumus judicare de iis, quæ nondum clarè, & distinctè percepimus. Ut autem quis sibi sit conscius suæ claræ & distinctæ perceptionis, non opus est reflexione & actu alio, præter ipsam illam claram & distinctam perceptionem, cùm ejus ipsius cogitationis claræ & distinctæ, eo ipso, quo nobis adest, simus conscii. Imo ne quidem per actum sequentem, reflexum nempe, possumus esse conscii actus præcedentis. Illud enim *conscium esse*, naturam & essentiam *Cogitationis* constituit, eamque distinguit à motu, & per consequens non potest concipi subsequi cogitationem præcedentem. Quod si verò directa perceptio sit dubia, erroríque obnoxia, si possumus falli in eo, cujus sumus nobis immediatè conscii, hoc est, si possumus falsò putare nos esse conscios, immediatè ejus, quod est in nobis, possumus quoque falsò putare, nos *Cogitare*, adeóque nos existere, quod tamen Principium ut primum cognitum rectè posuisse Philosophum affirmat ipse Vir Venerandus §. 7. Qui laborat conscientiâ errante, conscius quidem est sui judicii, sed non conscius est claræ & distinctæ perceptionis, quam non habet; & quia, cum hujus non sit conscius, judicium tamen fert de re non satis clarè & distinctè perceptâ, hinc est, quod judicium ipsius sit erroneum, atque adeo laboret conscientia errante.

XXIX. Tanti vero ponderis est illud laudatum axioma, ut ejus solius usu omnis veritas in lucem queat produci, absque hujus verò adminiculo, nulla veritas, nulla veritatis cognitio & inventio, nisi casu quodam sit speranda. Ego sanè eo nomine mihi gratulor, quod duce Philosopho ad illud animum adverterim, hocque firmum habeam propositum, nullis nisi clarè & distinctè perceptis assensum præbere, iisque ita adhærere, ut ab iis nullis blandimentis vel minisme averti sim passurus. Hoc omni auro carius habeo, atque jam sæpius deprehendi insignem ejus utilitatem; dolui tamen non rarò, quando per imbecillitatem humanam ab eo recessisse animadversione erroris mei cognovi. Quamvis autem in iis, quæ solâ divinâ revelatione nituntur, cujusmodi est mysterium Trinitatis, Incarnationis, &c. locum habere non possit clara & distincta perceptio, cùm lumini rationis sint impervia, neque scientiâ humanâ cognoscantur, sed fide nitente testimonio divino recipiatur, usus tamen istius axiomatis hic quoque

que est evidens, *ut non assentiamur, neque fide divinâ quid recipiamus, nisi quod revelatum à Deo clare & distincte perceperimus.* Ut ita in Theologicis quoque nulla possit esse certitudo, nisi præcesserit clara & distincta perceptio *revelationis*, sicut in Philosophicis præcedere oportet Claram & Distinctam perceptionem *Rei Ipsius*, cui assensum præbemus. Facile autem cuilibet apparet, quantum præjudicium sibi creent apud Lectores, qui invidiâ Cartesii illud omnibus viribus conati sunt destruere. Quam enim Lector exspectabit Veritatem ab iis, qui nequidem quid pro vero sit habendum, cognoverint, imò qui id rejiciunt, cujus solius usu, mortali speranda est veritatis cognitio! Hoc axioma dum rejiciunt, dum damnant illud, monere videntur, frustra in suis verbis aut scriptis quæri veritatem, sed potius ab iis tanquam à falsis & erroneis nobis esse cavendum.

XXX. Horum Methodus longè majori cum jure potest comparari cum μεθοδεία τ͂ πλάνης, de qua Eph. IV. 14. quàm eorum quibus indignatur Vir Clarissimus, & *quâ circum circa usos fuisse veteres Manichæos passim insinuat Augustinus.* Sic habet Vir Clarissimus §. XII. Alibi quoque, quando Enthusiasmum, ut §. 109. aliisque in locis, nobis impingit, videtur existimare, nos aliis nostra dogmata probare velle ex nostris claris & distinctis perceptionibus, ac si, quia *nos* clarè & distinctè aliquam rem percipimus, eam vellemus credi ab aliis. Nos verò nemini suademus, ut dogmata nostra recipiat, nisi qui ipsemet propriâ perceptione clarè & distinctè ea perceperit; absque tali perceptione præviâ tantum abest, ut ea cuiquam velimus obtrusa, ut censeamus assensum cohibendum ab omnibus iis, quę obscurè tantum & confusè fuerint intellecta. Hoc tantum suademus, ut non rejiciantur sine examine, sine attentione, propter affectuum tumorem & præjudicia, ut à nimis multis deprehendimus fieri.

XXXI. Sed fundamentum istius axiomatis nostri infirmum esse putat, & universaliter enunciatum Pelagianum dogma sic satis notoriè involvere §. 15. citato Princip. I. §. 30. *Merito Deus deceptor esset dicendus si perversam illam* (cognoscendi facultatem) *ac falsum pro vero sumentem nobis dedisset.* Ad quæ hæc annotat. *Sed dum id Cartesio dormitanti excidit, non observavit, aut nescivit, quam densæ tenebræ ignorantiæ & errorum illud lumen naturæ illamque cognoscendi facultatem occupaverint per peccatum*, unde *perversa debeat agnosci hæc facultas, non amplius sana & integra, & cui proclive est & innatum, falsa pro veris sumere, non ex primavâ Dei creatione, sed ex subsecutâ voluntariâ hominis defectione.* Sed quàm vellem cum his contulisset Philosophi Med. IV.

sic

sic & mentem ejus meliùs percepisset, & ab omni Pelagianismo eum absolvisset. Med. iv. p. 25. circa finem pag. sic habet Cartesius: *Deinde experior quandam in me esse judicandi facultatem, quam certe, ut & reliqua omnia, quæ in me sunt, a Deo accepi, cumque nolit me fallere, talem profecto non dedit, ut dum ea recte utor, possim unquam errare.* In eâdem Medit circa finem inquit: *Nam quoties voluntatem in judiciis ferendis ita contineo, ut ad ea tantum se extendat, quæ illi clare & distincte ab intellectu exhibentur, fieri plane non potest, ut errem, quia omnis clara & distincta perceptio proculdubio est aliquid, ac proinde a nihilo esse non potest, sed necessario Deum auctorem habet, Deum inquam illum summè perfectum, quem fallacem esse repugnat; ideoque proculdubio est vera.* Quid enim contra hæc oggeri queat, equidem non video. An enim negabimus rectum usum facultatis judicandi, qui est idem quod recta ratio, esse à Deo? An dicemus, etiam, dum rectè utimur facultate judicandi, nos errare posse? An non si hoc audeamus asserere dicendum nobis erit, Deum fontem veritatis potiùs fontem esse omnis erroris & fallaciæ.

XXXII. A Pelagianismo, si ullus, abfuit sanè Cartesius, qui in eâdem Med. iv. pag. 28. initio. *Neque enim opus est, me in utramque partem ferri posse, ut sim liber, sed contra, quò magis in unam propendeo, sive quia rationem veri & boni in eâ evidenter intelligo, sive quia Deus intima cogitationis meæ ita disponit, tantò liberius illam eligo; nec sane divina gratia (N. B.) nec naturalis cognitio unquam imminuunt libertatem, sed potius augent & corroborant. Indifferentia autem illa, quam experior, cum nulla me ratio in unam partem magis, quàm in alteram impellit, est infimus gradus libertatis, & nullam in eâ perfectionem, sed tantummodo in cognitione defectum sive negationem quandam testatur.* Ut nunc plura ejus loca non adducam. Quid enim à Philosopho amplius desiderabimus? An ab eo requiremus, ut demonstret, ex peccato Adami ortum esse, ut tam proclives simus ad errandum? At hoc, quâtenus Philosophus, non cognoscit, nec fori ejus est de eo agere. Nec id quoque ab eo demonstrari necessarium. Sufficit ei, si ostendat, errores omnes nostros inde ortum habere, quod facultatem judicandi extendamus ultra perceptionem, & si non simul edisserat, undè sit ista proclivitas. Remedium verò quod præscribit, utique optimum est, ut nimirum assuefaciamus nos claris & distinctis perceptionibus, atque ubi eas acquisivimus, non dubitemus pro vero habere id omne, quod ita clarè, & distinctè percepimus; quo facto si quis adhuc nos falli posse dicat, is deceptionis, ut accu-

accuſet neceſſe eſt auctorem omnis boni, omniſque veritatis. Sed ſi hoc axioma univerſaliter enunciatum Pelagianum dogma involvit, erit igitur univerſaliter enunciatum falſum. Det ergo nobis Vir Clariſſimus exemplum alicujus, quod clarè & diſtinctè percipitur, quod tamen verum non ſit. Oſtendat nobis aliud quoddam κριτήριον veritatis ab hoc diſtinctum, niſi velit in profundum barathrum ſcepticiſmi nos præcipitare.

XXXIII. An ad uſum hoc noſtrum axioma queat applicari facilior adhuc eſt diſquiſitio. Vir Celeberrimus conqueritur quidem §. 14. *Claras & diſtinctas iſtas perceptiones tales eſſe, quas aliis communicare non poſſint: Si enim,* inquit, *Vir cordatus & rerum intelligens negaverit Carteſiano Magiſtro, ſe poſſe ea capere vel admittere, quæ ille jactat ſibi clarè & diſtinctè percepta eſſe, hærebit Præceptor inter ſacrum & ſaxum, & volet ſibi propter ſuum αὐτὸς ἔφα Pythagoricum fidem adhiberi.* Sed experientia vel ſola teſtatur claras & diſtinctas perceptiones, de quibus hæc Philoſophia maximopere eſt ſollicita, ſatis poſſe communicari cum diſcipulis, modò ordine hi progredi velint, & priùs ea addiſcere, à quibus cognitis reliquorum perceptio dependet: Hinc enim factum eſt, ut, non obſtantibus tot oppoſitionibus & machinationibus adverſariorum in contrarium, hujuſmodi fecerit progreſſus, ut omnium Ordinum Viri, rejectâ illâ obſcurâ Scholaſticâ, in terminorum potiùs & vocabulorum quàm rerum explicatione ſitâ, hanc Philoſophiam adoptaverint, ejuſque utilitatem in aliis artibus & diſciplinis quotidie experiantur. Si vero quis cordatus & rerum intelligens neget, ſe ea percipere quæ in poſterioribus partibus Philoſophiæ traduntur, idem reſponſum feret quod Matheſeos ignarus, qui ea quæ de corporibus ab Euclide in poſterioribus libris docentur, negaret ſe percipere: Opus eſſe ut ordine progrediatur, nec ſaltum faciat, ſed perceptâ prius doctrinâ de ſuperficiebus & figuris, demum ad doctrinam de corporibus progrediatur; quod ſi nolit vel non poſſit, judicare non oportere, quantumvis ſit cordatus, & aliarum rerum fortè intelligens, de rebus non perceptis. Itâ hîc regeretur, ordinem ſequendum eſſe naturæ, eaque prius cognoſcenda, quæ ſunt ſimplicia & reliquorum principia, dein demum accedendum ad compoſita & ea quæ à Principiis iſtis habent ortum. Ei verò qui id ignoret, vel non poterit ob alia negotia, commendabitur moderatio animi, ut non damnet rem incognitam nec à ſe perceptam.

XXXIV. Ibidem dicit: *Hærere aquam, ſi debeant explicare, quo lapide Lydio ſit dignoſcenda verè Clara & Diſtincta perceptio ab opinione & imagina-*

tione falsâ claræ & distinctæ perceptionis. At lapis Lydius clararum & distinctarum perceptionum ab ipso Philosopho in definitione claræ & distinctæ perceptionis suppeditatur, prout ostendimus §. 26. Sicut enim ad lumen à tenebris distinguendum nullo opus est lapide Lydio præter ipsum lumen, nullo alio instrumento præter oculos bene constitutos, eorumque apertionem; itâ ut Clarum ab Obscuro, Distinctum à Confuso secernatur, nihil aliud requiritur præter ipsam illam Claritatem & mentis attentionem. Quâ absente, fieri potest opinione falsâ claræ & distinctæ perceptionis homines decipi. Nos autem non dicimus, illud verum esse, quod *putamus* nos clarè & distinctè percipere, sed quod clarè & distinctè *percipimus*. Lapis Lydius *Veritatis* est clara & distincta perceptio, cujus non iterum alius Lapis Lydius quærendus est. Nec enim hîc datur progressus ulterior. Clara & distincta perceptio est primum illud, ad quod mensuranda est Veritas; normæ autem & mensuræ non iterum quærenda est alia norma vel mensura. Sicut Lumen clarum solis est norma, ad quod examinanda omnia, quæ visu distinctè sunt cognoscenda, cujus nulla alia norma dari potest. Attentione tantùm opus est & oculis apertis. Quandoquidem verò itâ se res habet cum humano genere, ut ab infantiâ omnes contraxerimus habitum præcipitandi judicium, illudque ferendi de omnibus quæ occurrunt, nullo præmisso examine & attentione (non adduco hîc ea, quæ Theologia docet de origine nostræ corruptionis in Adamo & per Adamum contractâ cum non sint Philosophicæ considerationis) hinc Renatus Des-Cartes censuit necessarium, ut mente in contrarium flexâ de omnibus, quæ à sensibus & per sensus accepimus, semel in tota Vita dubitaremus, imò ea pro falsis haberemus, ut sic mens ad æquilibrium reducatur. Dein ut contrarius habitus acquiratur suadet ille mentem assuefieri claris & distinctis perceptionibus, cui rei imprimis inservit Matheseos studium, & in eâ diuturnior exercitatio, cum ibidem non nisi claræ & distinctæ perceptiones occurrant. Huc quoque facit institutum Philosophi, quod ab art. 45. ad finem Primæ partis Princiorum persequitur, adducendo exempla variarum perceptionum quæ sint claræ & distinctæ, ad quarum imitationem alias quoque similes formare discamus.

XXXV. His non obstant ea, quæ Disput. IV. de Philosophiâ in genere habet Celeberrimus quidam Philosophus, quem Principem inter Cartesianos Celeberrimus Theologus dicit, cujus verba ita perperam interpre-

terpretatur §. 24. ac si censeret *placita hujus Philosophiæ adeo esse difficilia, ut sphæram ordinariam activitatis & capacitatis plerorumque superent*. Non enim loquitur Philosophus ille de Cartesianâ Philosophiâ, ejusque placitis, sed de veritatibus, quas dogmata veterum continent, quibus se opposuit Aristoteles, quod non essent accommodatæ ad communem vulgi notitiam, quæ per sensus hauriri potest. Id ex initio Theseos XXXIII, unde hæc verba Vir Celeberrimus citavit, est evidens. *Ita*, inquit ille Philosophus, *porro manifestum sit, quæ debeat esse tertia Emendatio* (Aristotelis scil. de quâ loquitur ipse Disput. Titulus) *quoad Veterum Philosophorum dogmata, ut ea passim ab Aristotele allegata sunt*. Postea, quibusdam interpositis, sic pergit: *Ita vero manifestum sit, si supposito cavillandi studio veterum dogmata spectemus; posse insignes iis veritates comprehendi: Quæ tantò majorem debeant lucem & utilitatem habere, quanto magis remota à communi sensu sunt, atque a vulgari intellectu hominum, ut à natura cum sensu junctus est.* Ex quibus, ut & præcedentibus Viri istius subtilissimi Disputationibus satis apparet, nihil aliud ipsum velle, quam veritates veterum perperam Aristotelem eo nomine cavillatum fuisse, quod non convenirent cum communi illa notitiâ & vulgari, quam quilibet, etiam Philosophiæ non initiatus, consequitur adminiculo sensuum, in quâ dum judicia fiunt de rerum naturâ ex obscuris & confusis sensuum perceptionibus, multi errores & præjudicia continentur, non mirum est vel eo nomine commendari veterum veritates, *quòd à vulgari intellectu hominum, ut à natura cum sensu conjunctus est, recedunt*. At inde inferri minimâ ne quidem specie potest, *Philosophiam Cartesianam ordinariam activitatis & capacitatis sphæram plerorumque superare*, cujus contrarium art. 32. fuit ostensum.

XXXVI. Illis autem quæ de dubitatione dixi §. 33. oggeri poterunt ea, quæ Vir Celeberrimus habet §. 23. *Nihil absurdius*, inquit, *quam Præceptorem futuro suo discipulo hoc primum scepticum axioma instillare, illi esse incipiendum à dubitatione de omnibus. Tum enim ipse discipulus debebit etiam dubitare, an præceptori suo in hâc priori ejus regulâ adstipulari debeat, nec ne, & eo ipso illius institutioni se subducet, aut saltem parum ex ea percipiet: Oportere enim τ̀ μανθάνοντα πιστεύειν, & verè monuit Aristoteles, & usu publico comprobatum est.* Addit, *Cartesium ipsum noluisse aliis esse auctorem hujus Methodi, & in Academiâ Leydensi Anno* 1664. *facult. Theologicam curavisse supprimi Disputationem* de dubitatione *à Philosopho celebri conscriptam, quâ sustinebatur, rectè philosophaturo de omnibus esse dubitandum, etiam num Deus sit*. Sed art. 33.

jam dixi Cartesium ab eo, qui ordine philosophari voluerit, requirere, ut semel in vitâ dubitet de omnibus iis, quæ à sensibus & per sensus accepit, nullibi verò inter ea quoque refert *Dei existentiam*. Imo in notis in Programma quæ subnectuntur Objectionibus & Responsionibus in Meditationes pag. 189. satis apertè protestatur, *se nunquam docuisse Deum esse negandum, vel ipsum nos posse decipere, vel de omnibus esse dubitandum, &c.* Quæ rogo ut Celeberrimus Vir dignetur inspicere. Quod attinet disputationem illam Anno 1664. de eâ ita se res habet, prout accepi ex ipso ejus Præside designato. Scripta erat à Studioso Respondente contra mentem Præsidis, qui etiam indignatus eo nomine, monuit & increpavit defendentem, quòd tàm duris locutionibus fuisset in eâ usus. Admisit tamen eam, tùm ut libertatem profiteretur philosophandi, tùm ut occasionem haberet, publicè illam quæstionem tractandi, & ostendendi imperitiam eorum, qui ex dubitatione illa calumniam cudunt, quanquam eam non profiteatur philosophia nostra. Sed cùm intelligeret Theologis etiam istius Academiæ improbari istas locutiones, ipsemet eam suppressit, hoc affixo Programmate. *Hæc disputatio propter crudas locutiones quasdam, quæ præter mentem Præsidis posita erant, quia aliqui concoquere eas non possunt, differtur.*

CAP. IV.

Non esse fidem denegandam revelatis in verbo divino, etsi lumen intellectus nostri finiti ea nequeat assequi, quin imò si de revelatione constet, etsi supponamus eam claræ & distinctæ nostræ perceptioni repugnare, potius tamen auctoritati divinæ, quàm proprio nostro judicio fidem esse adhibendam.

XXXVII. SIc veritatis assequendę regulam nō tantùm tradidit Philosophus, modumque ostendit, quo mens humana paulatim magis magisque queat perfici variarum veritatum per lumen naturæ cognitione, sed etiam monere voluit de imperfectione nostrâ, & intellectus nostri finitudine, quæ admonitio insignem usum in Theologiâ potest habere. Huc facit Princip. I. §. 24. *Eâ nobis cautelâ est utendum, ut semper quàm maximè recordemur, & Deum auctorem rerum esse infinitum, & nos omnino finitos.* §. 25. *Ita si fortè nobis Deus de se ipso, vel aliis aliquid*

aliquid revelet, quod naturales ingenii nostri vires excedat, qualia jam sunt mysteria Incarnationis & Trinitatis, non recusabimus illa credere quamvis non clare intelligamus. Quæ quo sensu sint accipienda tùm per se patet, tùm à nobis §. 28. satis fuit declaratum. Adjungamus §. 28. *Memores tamen, ut jam dictum est, huic lumini naturali tam diu tantum esse credendum, quamdiu nihil contrarium ab ipso Deo revelatur, & §. 76. ex quo præcedens est explicandus. Præter cætera autem memoriæ nostræ pro summâ regulâ est infigendum, ea quæ nobis à Deo revelata sunt, ut omnium verissima esse credenda. Et quamvis fortè lumen rationis quàm maxime clarum & evidens, aliud quid nobis suggerere videtur, soli tamen auctoritati divinæ potiùs, quam proprio nostro judicio fidem esse adhibendam.* Ex quibus verbis Celeberrimus Theologus §. 12. magnum præjudicium creari putat regulæ veritatis, quam superiori capite defendimus, quando sic inquit: *Et cum isti Philosophi fateantur, posse homines clarè & distinctè percipere, aut sibi persuadere, quod clare & distinctè percipiant ea, quorum tamen contraria vera sint ex revelatione divinâ, vel hinc patet, quam parum certitudinis & infallibilitatis insit illis claris & distinctis perceptionibus, quas tam ambitiose crepant & jactant.* Sed verba Philosophi rectè intellecta nec regulæ superiori repugnant, & ad cavendam mixtionem Philosophiæ cum Theologiâ sunt aptissima. Ponit in posterioribus Philosophus casum impossibilem, quod satis per *fortè* & *videri* significat, si nempe fiat, ut repugnet revelatio lumini naturali, hoc est, claris & evidentibus perceptionibus, ac docet, quid eo casu censeat faciendum. Atque ut ostendat, quanti apud se valeat verbi divini auctoritas, dicit, renunciandum potius esse nobis ipsis, & suspectas habendas omnes nostras perceptiones, quàm ut à verbi divini auctoritate vel hilum recedamus, cogitandumque, visas eas tantum esse nobis claras & evidentes, non vero revera tales fuisse. In quo non video quid Theologus Reformatus jure possit desiderare. Inde enim nullo sane modo sequitur, claris revera & distinctis perceptionibus nullam inesse certitudinem, quæ si tollatur, omnem simul spem de veritate unquam ab hominibus assequendâ, tolli necesse est.

XXXVIII. Sed inquit Vir Celeberrimus, art. 34. præter ea quæ supra dixerit, *se audere insuper dicere, inter effata Cartesiana nullum esse hoc ipso vel falsius, vel periculosius, & à quo sibi magis debeat cavere Orthodoxus Theologus,* eo nempe quod habet Cartesius. Princip. I. §. 28. & 76. Audiamus ejus rationes: *Dum enim supponit, aliquid nobis esse divinitus revelatum,*

latum, cui ex lumine rationis possit reclamare nostra clara & distincta perceptio, & ad hanc rem meminit nominatim, Incarnationis & Trinitatis. §. 25. *Primo supponit lumen lumini esse contrarium, & verum vero, &c.* Sed quid supponat Cartesius, & quomodo verba ejus sint accipienda jam praecedente articulo ita declaravimus, ut speremus in eo acquieturum. Mysteria Incarnationis & Trinitatis non dicit art. 25. reclamare nostrae clarae & distinctae perceptioni ex lumine rationis, sed tantùm ea *naturales ingenii nostri vires excedere*, quod id ipsum est, quod ipsemet Vir Celeberrimus §. 35. appellat esse supra rationem. Ita nulla est pugna inter sententiam Cartesii & Viri Celeberrimi, eaque quae habet art. 36. Cartesium nulla ex parte spectant, sed eos qui putant rationem contrariari Scripturae, sive lumini rationis, à quibus aeque ac ipse dissentimus. Facilius sanè Philosophi verba queunt explicari, quàm Antonii Sadeëlis, Theologi Orthodoxi, quae habet Praefat. de Methodo Theologicè disputandi pag. 22. *Inter humanam rationem & doctrinam sacram saepius ἀντίθεσις intercedit, tantùm abest, ut sit συνέχεια.* Et pag. 23. *Nec sum nescius, homini quasdam κοινὰς ἐννοίας superesse: Sed illa notitia, si verbo Dei repugnant, ut falsa omnino sunt rejicienda.*

XXXIX Quod vero suspicatur §. 36. Philosophum *sensisse sua Philosophemata pugnare cum Transubstantiatione Pontificiâ, sed ut argumentis nostrorum ex sinu suo depromptis obviam iret, putasse id sibi statuendum, res fidei esse credendas, etiam ubi lumen rationis videtur clarè & distinctè oppositum suadere.* Ea suspicio omni planè fundamento est destituta. Hoc equidem certum est, Philosophemata Cartesii cum Transubstantiatione non posse conciliari, frustràque ipsum fuisse, dum id tentavit Respons. Quartis pag. 136. & seqq. Ea enim quae ibi habet, facile possunt ab ejus Philosophiae gnaris refutari. Unde obiter patet, injuriam fieri Cartesianis sic dictis, ab ipsorum adversariis, quando iis imputant, ac si abjectam servitutem Veteris Philosophiae cum novâ commutarent. Non enim jurant in verba Magistri, sed ejus sententias sequuntur, ubi ipsum veritatem sequi clarè perspexerint, quae quod possit ab uno aliquo deprehendi testantur tot insignium Mathematicorum scripta; ubi vero à veritate deviâsse deprehenderint, eâdem libertate ab ipso recedunt, ac ab aliorum Virorum Doctorum sententiis. Quomodo autem Philosophi verba §. 28 & 76. Princip. I. sint intelligenda, diximus art. 24. Putâsse tamen ipsum, Philosophemata sua posse conciliari cum Transubstantiatione

tiatione ex Respons. Quartis potius colligendum, quàm ut suspicioni Celeberrimi Viri locus esse possit.

CAP. V.

Quomodo possimus ab iis, quæ non planè certa sunt, credendis abstinere. Quomodo peccatum ab Adamo propagatum efficiat, ut judicium præcipitemus; Gratia vero Christi id impediat. Quomodo errores nostri pendeant à voluntate. Ejus libertas nullâtenus cum gratia pugnat. Affirmare & negare sunt diversi modi volendi. Hæ sententiæ nihil commune habent cum erroribus Pelagianorum aut semi-Pelagianorum. Gratia divina quomodo dicatur Irresistibilis. Voluntas, an sit facultas cæca dicenda? De Conciliatione præfinitionis divinæ cum libero arbitrio.

XL. USum quoque in Theologiâ habent ea, quæ habet Cartesius Princip. I. §. 6. quamvis existimet Vir Celeberrimus §. 28. ea *nullum cordatum Theologum citra multimodam limitationem & restrictionem velle admittere.* Sic habent verba Philosophi: *Sed interim à quocunque tandem simus, & quantumvis ille sit potens, quantumvis fallax; hanc nihilominus in nobis libertatem esse experimur, ut semper ab iis credendis quæ non planè certa sunt & explorata possimus abstinere, atque ita cavere, ne unquam erremus.* Cum his verbis conferenda sunt quæ habentur Med. II. p 9. unde in Principiorum Partem I. sunt translata, ubi, postquam primo occurrisset ipsi illud primum cognitum quod Vir Venerandus approbat, ut ejus summam certitudinem consequatur, tentat, an id summâ illâ & maximè hyperbolicâ ratione dubitandi, desumtâ à genio quodam maligno eodemque potentissimo, qui omnem industriam in se fallendo ponat, queat everti. Sic enim ibi habet Philosophus. *Imo certe ego eram, si quid mihi persuasi, sed est deceptor, nescio quis, summè potens, summè callidus, qui de industria me semper fallit; haud dubiè igitur ego etiam sum, si me fallit, & fallat quantum potest, nunquam tamen efficiet ut nihil sim, quam diu me aliquid esse cogitabo, adeo ut omnibus satis superque pensitatis, denique statuendum sit hoc pronunciatum: Ego sum, ego existo, quoties à me profertur, vel mente concipitur, necessario verum esse.*

XLI. Sup-

XLI. Suppono legisse hæc Virum Venerandum, cum existimet à Philosopho illud primum cognitum, *Cogito ergo sum*, recte esse positum. At sanè si is, qui supponitur nos fallere, quantum potest, possit efficere, ut nihil simus quamdiu nos aliquid esse cogitabimus, utique verum non erit, nos dum cogitamus, esse. Poterit autem id efficere, nisi in nobis sit ista libertas, ut possimus ab iis credendis abstinere, quæ non planè certa sunt & explorata. Non erit autem in nobis, nisi dum est, ejus immediatè simus conscii. Quod si in nobis non sit ista libertas, erit ergo in nobis Necessitas, quâ intrinsecè determinemur ad credendum ea, quæ non planè certa sunt & explorata, vel erit in nobis coactio, quæ utique cum natura voluntatis planè pugnat. Neque verò aliud est, quod libertati voluntatis opponatur, præter Necessitatem Naturalem & Coactionem. Quoniam autem hic agit Philosophus de cognitione rerum Philosophicarum, verba ista intelligenda sunt secundum subjectam materiam, uti vulgò loqui solent in Scholis, neque opus habebit hoc effatum ullis limitationibus, quod vel solum satisfacturum esse puto Viro Clarissimo, quando considero illud, quod eodem illo §. habet: *Notum quoque est Academicos Philosophos solitos fuisse se in ἐποχῆς portum recipere, & maluisse incertos fluctuare, quam temere quidquam definire.*

XLII Sed & hoc spero mihi eundem gratificaturum, peccatum & corruptionem non evertere vel tollere libertatem ab homine, quâtenus est proprietas voluntatis. Etsi enim peccatum reddat nostram voluntatem servam, & sic tollat eam libertatem, quæ opponitur servituti, in quam libertatem nos Christus asserit, tamen non potest tollere eam libertatem, quâ ab automatis distamus, quæ ipsi voluntati est essentialis, cum non possit evertere ipsam voluntatem. Sed peccaminosa corruptio, quâ ab illâ bonitate, ad quam in Adamo eramus conditi, deviamus, avertit nostram attentionem, efficit ut præcipitemus judicium, atque assentiamur iis, quæ non habemus plane explorata. Etsi enim habeamus hanc facultatem & libertatem, ut non repugnet nobis, sicque possimus assensum cohibere ab iis quæ non planè explorata nobis sunt, habemus tamen quoque hanc imperfectionem, ut possimus assentiri nondum clarè & distinctè perceptis, quam imperfectionem peccatum adjuvat, simul nos inclinando ad res terrestres & caducas, atque in iis nostram attentionem occupando. Gratia vero Christi medicinalis efficit in nobis attentionem ad suavitatem rerum spiritualium, sicque inclinat effica-

efficaciter voluntatē, ut ad eas amplectendas promti & proni reddamur.

XLIII. Non majorem puto difficultatem esse in explicandis iis, quæ habet Philosophus §. 31. Princip. I. ubi inquit: *Quia vero, etsi Deus non sit deceptor, nihilominus tamen sæpe contingit, nos falli, ut errorum nostrorum originem & causam investigemus, ipsosque præcavere discamus, advertendum est, non tam illos ab intellectu, quam à voluntate pendere.* Quæ observatio Theologo quoque insigniter potest prodesse. His autem verbis non negat, ut putat Vir Celeberrimus, tenebras intellectus ad errandum conferre, quod satis denotat phrasis, quando dicit: Errores non *tàm* ab intellectu, *quàm* à voluntate pendere. Et jam superius dictum est, nos tunc errare, quando judicamus de obscurè & confusè perceptis, nisi enim essent istæ perceptiones obscuræ & confusæ, non esset error. Si omnes perceptiones essent claræ & distinctæ, fieri non posset, ut erraremus. Potius tamen à voluntate pendere quoque patet: Si enim nollemus judicare, quando menti nostræ occurrit perceptio obscura tantùm & confusa, proculdubio non erraremus, cum error non in simplici perceptione, sed in judicio consistat. Quidquid enim percipimus, sive clarè sive obscurè, verè semper percipimus ut tale, nec in eo error esse potest. Quid igitur hæc sententia obest doctrinæ Reformatæ de Gratiâ & Libero arbitrio, quæ spectat res spirituales & regenerationem nostram, statuens, nihil nos citra Dei gratiam determinantem, quæ in nobis efficiat velle & perficere, posse boni cogitare?

XLIV. Nec illa Philosophi verba §. 37. magis cum Gratiâ divinâ, prout in Reformatis Ecclesiis docetur, pugnant, *Magis profecto nobis tribuendum est, quod verum amplectamur, cùm amplectimur, quia voluntariè id agimus, quam si possemus non amplecti*: Agit Philosophus ut sæpius jam dictum est, & res clamat, de cognitione rerum naturalium, ad quam sanè non requiritur Gratia convertens, prout est in confesso. Ostendit in hoc loco, mentem humanam non esse instar automati, quæ intrinsecâ necessitate sunt determinata ad unum, laudemque omnem, quæ ad homines redire potest ex ipsius actionibus inde esse, quòd benè usus fuerit voluntate, quod adeo luce suâ claret, ut nesciam, quî negari possit. Ex oppositione enim satis apparet quid Auctor intelligat, per *non posse non amplecti*, nimirum necessitate intrinsecâ & naturali non esse determinatum ad unum ad modum automati. Quando autem Theologi nostri dicunt: *positâ divinâ Gratiâ illuminante & convertente hominem non posse non*

credere, his verbis non docent sanè nos intrinsecâ & Physicâ necessitate esse determinatos ad unum, vel agere tanquam automata & stipites, sed tantum, positâ divinâ gratia illuminante & convertente, ita flecti voluntatem, ut certò sequatur conversio, & voluntas maximè liberè agat. Si quis in Philosophi scriptis sit benè versatus facilè videre potest, non minus eum à Jesuitis præceptoribus suis discessisse quoad doctrinam de Gratiâ & Libero Arbitrio, quam quoad Philosophiæ Principia & fundamenta, quod etiam aliquo modo agnoscit Vir Celeberrimus, quando pag. 20. inquit: *Eum acute ostendere, nihil magis adversari libertati & naturæ voluntarii quam indifferentiam ad opposita.*

XLV. Hactenus ergo nulla ratio fuit, quare recederem à doctrinâ Cartesii, nisi vellem nuncium mittere veritati, quod confido Virum Celeberrimum agniturum, ubi ad hæc nostra animum attenderit. Sed & ex his dictis aliquo modo potest patere, rectè Philosophum Princip. I. §.32. Statuere *affirmare & negare* esse diversos modos volendi, quod tamen quia video valdè improbari à venerando Viro §. 31. tentabo, an non meâ explicatione ipsi magis probare queam. Fateor communiter Theologos innutritos Philosophiæ Scholasticæ judicium & assensum habuisse pro actu intellectus, sed hæc quæstio non Theologicæ, sed Philosophicæ est considerationis, atque ex Philosophiâ tota est decidenda, quod si Theologi nostri non tàm multa ex Philosophiâ traduxissent in Theologiam, minor esset dissensus inter me & Celeberrimum Virum, quem tamen facile componi posse puto, si velimus rectæ rationi dari locum, & distinctos de mente formare conceptus, atque secundum eos judicare.

XLVI Mentem humanam esse rem simplicem, ex partibus non compositam, extra omne dubium esse positum puto; sed quia in eâ deprehendimus varias operationes, cujusmodi sunt sentire sive percipere ea, quæ externis sensuum organis offeruntur, imaginari, purè intelligere, judicare, affirmare, negare, dubitare, appetere, aversari, possumus ei varias facultates assignare, distinctas pro distinctione istarum operationum, quatenus istæ operationes spectantur à mente posse produci. Facultas enim mentis nihil aliud est, quam ipsa mens, quæ produxit istas operationes, prout spectatur tanquam potens eas imposterum producendi. Magis differunt sensus, imaginatio, purus intellectus, à judicio, affirmatione, negatione, dubitatione, prosecutione & aversatione, quàm vel sensus & imaginatio ac purus intellectus à se invicem, vel affirmatio, negatio, appeti-

tus

tus & averſatio à ſe mutuò diſtingui poſſunt. Conveniunt inter ſe quàm maximè ſenſus, imaginatio & purus intellectus ab unâ parte, ab alterâ vero affirmatio, negatio, dubitatio, appetitus & averſatio. Priores operationes ideam tantum quandam menti repræſentant, poſteriores præter iſtam ideam aliquid addunt, & circa illam aliquam edunt actionem. Poſſunt igitur ad duo ſumma genera reduci, ac proin mens quoque diſtingui in duas facultates, quarum aliæ ideam tantum quandam menti repræſentant, quas communi nomine *Intellectus* complectimur, aliæ actionem circa iſtam ideam edunt, ac communi nomine *voluntatis* comprehenduntur. Sic à ſe invicem intervallo, quàm id fieri poteſt, maximo diſtinguentur, id quod ad diſtinctos in nobis conceptus formandos apprime eſt neceſſarium. Cum autem Judicium præter ſimplicem Ideæ repræſentationem aliquid amplius in mente ponit, atque circa ideam iſtam à mente aliqua actio procedit, utique ad magis diſtinctum conceptum de hoc actu mentis *Judicio* formandum, melius fit, ut ad voluntatem referatur.

XLVII. Solent vulgò numerare tres operationes mentis. Primam dicunt ſimplicem apprehenſionem; Secundam ſimplicium apprehenſionum compoſitionem vel diviſionem; Tertiam diſcurſum, per quem ex aliis aliud educitur. Non dicam nunc ſecundam & tertiam, uno nomine communi *Judicii* comprehendi poſſe, ſed hoc obſervo tantùm, primam & ſecundam mentis operationem valde à ſe invicem differre, & ſecundam magis convenire cum voluntate, quam cum primâ operatione. Hoc utrinque certum eſt, differre Judicium à ſimplici apprehenſione, vel nudâ alicujus rei perceptione, quæ citra omnem controverſiam ad Intellectum pertinet. Videndum igitur, an non Judicium majorem habeat convenientiam cum voluntate, quàm cum Intellectu. Sanè reperimus in eo id, quod planè eſſentiale voluntati, quodque à voluntate tolli non poteſt, niſi ipſa tollatur Voluntas, Libertatem. Liberè enim ferimur ad judicandum, non minus ac liberè appetimus vel averſamur. Propter has ſimileſque rationes judicavi olim, & nunc adhuc judico, Judicium referendum eſſe ad voluntatem, idque ut magis diſtinctum conceptum formare queamus de mentis Operationibus. Nec puto hanc ipſam controverſiam ejus eſſe momenti, ut quis hîc à vulgo receptâ Philoſophiâ diſcedens, poſſit ſuſpectus reddi ἑτεροδοξίας, aut hæreſium, quæ utique locum non habent in locutionibus merè Philoſophicis, in quibus non auctoritate hominum, ſed ſolâ ratione poſſimus niti.

XLVIII. Quamvis Cartesius hâc in parte quoque quosdam veterum sibi habeat consentientes, Epictetus sanè, quando cap. 1. res distinguit in eas, quæ in nostrâ potestate sunt, refert opinionem, quæ judicium quoddam est. Ἐφ' ἡμῖν μὲν ὑπόληψις, ὁρμή, ὄρεξις, ἔκκλισις· Καὶ ἑνὶ λόγῳ ὅσα ἡμέτερα ἔργα. *In nostrâ potestate est opinio, appetitio, desiderium, aversatio, & uno complectar nomine, qualibet nostra actiones.* Consentit cum eodem Simplicius, qui commentarium in Epictetum edidit. *Voluntas*, inquit, *extrinsecus moveri non potest, quamvis enim id quod appetitur extra sit, tamen motus ad illud intrinsecus est; veluti hanc illamve opinionem de rebus habere, cujusmodi est divitias aut mortem, aut aliud ejus generis vel bonum, vel malum, vel neutrum esse. Etiamsi ab alio inducti in aliquam opinionem ac persuasionem de aliquâ re, si modo hoc, aut illo modo, de illâ opinemur, nec ut aves loquamur, quæ discunt dicere,* Conditum bibo, *quid dicant ignara, hac ipsa opinio ac persuasio animi nostri motus est*, in quibus vertendis sequor Salmasii Græci textus emendationem. Qui verba Simplicii hunc in modum explicat: *Hoc igitur vult*, inquit Salmasius, *si sciamus de re propositâ quod dicimus ac judicamus, quamvis aliorum judicio ac sententiæ assensum præbeamus, hanc animi motionem internam esse ac nostram, à nobis profectitiam, non aliunde adventitiam, ac proinde liberam atque in nostrâ potestate.*

XLIX. Quod autem accusentur illi, qui Philosophiam Cartesii majoris æstimant, quàm Scholasticam, ac si Libertatem suam faciant independentem, dum voluntatem à se ipsâ determinari statuunt, & quæ reliqua sunt, quæ hic reprehendit Vir Celeberrimus §. illo 31. p. 20. in iis non percepit satis ipsorum mentem. Nullibi, quod sciam, quispiam eorum dixit, voluntatem à se ipsâ solâ determinari, exclusâ Dei operatione & determinatione, cum determinationem à voluntate fieri censeant alio respectu, alio vero à Deo. Nullibi excludunt Dei præcursum, discrimen inter ordinarium Dei concursum & Gratiæ divinæ vim & efficaciam, de quâ Phil. 2. 13. satis intelligibile ponunt, quòd in generali Dei concursu, qui etiam locum habet circa peccata, Deus tantùm producat actum, quatenus actus est; at hic etiam ipsam bonitatem. Actus; hoc est, non tantum voluntatem, quâtenus est actus mentis, sed etiam quâtenus est talis actus mentis, qui fertur in bonum à Deo præscriptum. Ex irâ vero in me profectum est, quod dicit, *me annotatis ad suum Systema loco 8 dum velim novis meis Philosophematis insistere, & recedere quantum*

possim

possim à doctrinâ hâctenus inter omnes Reformatos Theologos receptâ, talia inspersisse, ut parum absim ab eo vitio, quamvis ex alio capite, quod Ciceroni exprobrat Augustinus lib. 5. de Civit. Dei, cap. 9. eum scilicet, dum vult homines facere liberos, illos facere sacrilegos. Absunt isthæc à me omnia. Dogmata Theologica inter omnes Reformatos recepta nusquam à me deseruntur, sed Philosophia vulgaris, quandoquidem à ratione deviare deprehenditur, sive ea à Philosopho aliquo tradatur, sive à Theologo adoptetur, liberè rejicitur, quod vitio mihi verti non debet, nec eò trahi, ac si injurius sim in gratiam divinam. Charitas spero, ubi deferbuerit ira, benignius dictabit Celeberrimo Theologo de me judicium. Etsi enim in explicatione mentis humanæ paulum à phrasibus & formulis Philosophiæ vulgaris, quas ipse in suo Systemate est secutus, discesserim, tamen in doctrinâ de Gratia & Libero arbitrio eadem omnino sentio, quæ Orthodoxi sentiunt contra Pelagianos & Semipelagianos, eosque omnes, qui hodie eorum opiniones adoptant; neque quidquam alienum à Reformatorum sententiâ, prout Pelagianorum & Semipelagianorum dogmatibus opponitur, ex meis dictatis potest adduci.

L. Nullibi profiteor, *me paratum esse renunciare irresistibilitati Gratiæ in nostrâ conversione, ac gratiam facere ejus doctrinæ iis, qui illam contra nostras Ecclesias oppugnârunt.* Hoc tantùm statuo, quod cùm Remonstrantes valdè offendantur istâ voce *Irresistibilis Gratiæ*, nos posse in eorum gratiam ab eâ voce desistere, si velint nobiscum fateri gratiam divinam esse ita efficacem in nostrâ conversione, ut eâ positâ, certò in electis omnibus sequatur regeneratio, sive conversio. Nec video quid in eo possim dici peccâsse. Nisi etiam velit accusare Cl. Hornbeckium qui statum Controversiæ inter nos & Remonstrantes hoc modo proponit summâ Controversiarum pag. 604. 605. *An Spiritus S. singulari operatione in ipsam animam, conversionem hominis & fidem effectivè producat?* Twissus sanè insignis Gratiæ divinæ inter nostros defensor Lib. II. Criminatione III. Sect. I. pag. mihi 22. b. Sic de illâ voce dicit. *Veruntamen, quod sæpe profiteor, non mediocris ἀκυρολογία inest in istâ denominatione, quâ voluntas Dei dicitur Irresistibilis. Fateor dici posse, fieri aliquid à Deo circa voluntates nostras irresistibiliter; habito respectu aliorum extrinsecus agentium; Nempe voluntati Dei circa voluntatem meam agenti, nec alius aliquis homo, nec Angelus potest resistere, sed ipsis vel invitis fient, quæcunque circa meam voluntatem fieri vult Deus. At dici non potest, fieri aliquid à Deo circa voluntatem meam irresistibiliter*

ſtibiliter reſpectu voluntatis meæ propriæ. Sic enim fieret aliquid circa voluntatem meam me invito, quod ſine ſummâ ἀκυρολογίᾳ concedi non poteſt.

LI. Quod attinet phraſin & modum loquendi, quo *Voluntas cæca* dicitur, an ea benè adhibeatur, nec ne, inde demum intelligemus, ſi ad ejus originem, attendamus. Cæcus homo propriè dicitur is, qui vel planè oculis caret, vel hujusmodi obtinet, qui ad videndum ſunt inepti, idque quia oculi ad ejus perfectionem ſunt requiſiti, eique naturaliter debentur. Sed cæcus non dicitur lapis, nec cæca appellatur arbor, cùm hæc perfectio eorum naturæ non debeatur, ut videndi obtineant facultatem Nec cæca dicitur manus vel pes hominis, ſed tantum ejus oculus, cum non illis, ſed huic debeatur videndi facultas. Homo autem cæcus quoque dicitur, & cæcus oculus appellatur, qui minus videt aliis, locutione non abſolutâ, ſed comparatâ. Quod ſi hoc ad mentem applicemus, ſicut ſolent à lumine & viſu metaphoræ peti, quando de animâ ſermocinamur, non poteſt mens ulla cæca appellari abſolutè, quia ſi careat intellectu, qui ſolet dici oculus animæ, nequidem anima vel mens eſſet, cum ſine intellectu concipi nequeat. Sed ſolet mens cæca appellari, & tenebris obſcuratus dicitur intellectus, qui minus videt quam alii, qui pauca vel nihil clarè & diſtinctè percipit, prout multi ſunt homines qui totâ vitâ nihil clarè & diſtinctè intelligunt; voluntas autem ab intellectu aliquo modo diſtincta, non magis cæca dici poteſt, quam cæca dicitur manus vel pes hominis. Quamvis autem ſic intellectus oculus animæ appelletur, non tamen ſimili plane modo differt vel ab animâ, vel à voluntate, ſicut oculus differt vel ab homine, vel ab aliis ejus corporis partibus. Eſt enim eadem plane anima quæ intelligit & vult, quæ alio tantum modo conſideratur, quâtenus patitur vel percipit, alio, quâtenus agit ſive vult; neque intellectus & voluntas ſunt diverſæ ejus partes, ſicut oculus & manus ſunt diverſæ partes ejusdem hominis. Non ergo viſus poteſt ei tribui tantum reſpectu intellectus, tanquam partis realiter diſtinctæ ab aliâ parte, voluntate, ſicut tribuitur oculo tanquam parti realiter à manu diverſæ; ſed eadem anima tantum alio modo conſideratur, quando dicitur intelligere, ſive videre, alio modo quando dicitur velle. Dein anima iſta ſive mens tota eſt cogitans, ſive dicatur intelligere, ſive dicatur velle; æque enim velle eſt cogitatio ac intelligere eſt cogitatio. Cogitationis autem omnis immediate ſumus conſcii, neque quidquam aliud immediatè percipimus, quam diverſas formas cogitationum noſtrarum, atque earum interventu

demum

demum res alias dicimur intelligere. Sic ergo, sive percipiamus aliquid, sumus ejus perceptionis immediatè conscii, sive velimus, conscii sumus istius vol tionis, & per consequens hoc sensu non magis voluntas quàm intellectus facultas cæca potest appellari, quin imò sic ne quidem comparatè loquendo voluntas vel intellectus cæca facultas potest dici, cùm cogitatio constituat animæ essentiam, ac proinde consistat in indivisibili, nec minùs cogitare dicatur ea mens, quæ omnia obscurè & confusè percipit, quàm quæ omnia distinctè.

LII. De conciliatione præfinitionis cum Libero Arbitrio sic habet Cartesius Princip. I. §. 40. & 41. *Sed quia jam Deum agnoscentes, tam immensam in eo potestatem esse percipimus, ut nefas esse putemus existimare, aliquid à nobis unquam fieri posse, quod non antè ab ipso fuerit praordinatum, facile possumus nos ipsos magnis difficultatibus intricare, si hanc Dei praordinationem cum Arbitrii nostri libertate conciliare, atque utramque simul comprehendere conemur.* §. 41. *Illis vero nos expediemus, si recordemur, mentem nostram esse finitam; Dei autem potentiam, per quam non tantum omnia, qua sunt aut esse possunt, ab aterno prascivit, sed etiam voluit, ac praordinavit, esse infinitam: Ideoque hanc quidem à nobis satis attingi, ut clare & distinctè percipiamus ipsam in Deo esse; non autem satis comprehendi, ut videamus quo pacto liberas hominum actiones indeterminatas relinquat; Libertatis autem & indifferentia, qua in nobis est, nos ita conscios esse, ut nihil sit, quod evidentius & perspectiùs comprehendamus. Absurdum enim esset, propterea quod non comprehendimus unam rem, quam scimus ex naturâ suâ nobis esse debere incomprehensibilem, de aliâ dubitare, quam intimè comprehendimus, atque apud nosmet ipsos experimur.* Offenditur hic Vir Clarissimus art. 32 verbis Auctoris, quibus dicit *Dei praordinationem liberas hominum actiones indeterminatas relinquere.* Quæ fateor in deteriorem partem posse accipi, si quis non attendat ad loca alia, in quibus clarius mentem suam explicat, sed ex Medit. 4. aliisque locis satis apparet, eum non negare Dei concursum, quo id omne quod est realitatis in nostrâ volitione ipse Deus efficiat. Ita verò habet pag. 29. in medio: *Atque in hoc liberi arbitrii non recto usu privatio illa inest, qua formam erroris constituit, privatio, inquam, inest in ipsâ operatione, quâtenus à me procedit, sed non in facultate, quam à Deo accepi, nec etiam in operatione, quâtenus ab illo dependet.* N. B. & paulo post. *Nec denique etiam queri debeo, quòd Deus mecum concurrat ad eliciendos illos actus voluntatis, sive illa judicia, in quibus fallor: Illi enim actus sunt omnino veri & boni, quâtenus à Deo dependent.* N. B. Conjun-

ge

ge cum his ea quæ habet Resp. Sextis. pag. 162. Sect. 8. *attendenti ad Dei immensitatem, manifestum est, nihil omnino esse posse, quod ab ipso non pendeat, non modo nihil subsistens, sed etiam nullum ordinem, nullam legem, nullamve rationem veri & boni.* Quibus addi possunt ea, quæ habet parte priori Epistolarum, Epistol. 8. & 9. Quando ergo hîc inquit *Dei præordinationem liberas hominum actiones indeterminatas relinquere*, intelligi necessario debet talis determinatio, quæ evertat libertatis naturam, cujusmodi est ea, de quâ Med. IV. pag. 28. initio. *Libertas arbitrii in eo tantum consistit, quod ad id quod nobis ab intellectu proponitur affirmandum, vel negandum, sive prosequendum vel fugiendum ita feramur, ut a nullâ vi externâ nos ad id determinari sentiamus.* Sic ergo reliquit Deus actiones liberi arbitrii indeterminatas, quâtenus non subjecit vi externæ causæ, ut eâ positâ, necessario sequatur ejusmodi voluntas, sicut corpora istiusmodi vi externæ omnino subjecta, ut lignum vi ignis. Sed Dei operatio in voluntatem ei est maximè intrinseca, est voluntati maximè consentanea, neque eam determinat, nisi per se ipsam, ut eadem volitio alio sensu referatur ad Deum, eam efficientem, alio ad nostram mentem, in quâ efficitur. Sic puto omnem difficultatem esse sublatam.

LIII. Difficilem vero esse Conciliationem Liberi Arbitrii cum Dei prædefinitione, etsi non statuamus *homines agere independenter à Deo* quod ex perperam intellectis verbis Cartesii vel eorum, quos Cartesianos dicit Vir Celeberrimus, iis §. 32. attribuit, exinde apparet, quod modum illum operandi, quo volitionem nostram efficit, cum sit infiniti Dei non satis percipiamus, nec quoque planè explicare queamus, quomodo cùm istam operationem in nostrâ mente recipiamus, sicque nos ad eam passivè habeamus, sive, quomodo, cùm Deus nos sic conservet, hoc est, de novo producat cum novâ volitione sive cogitatione, nos tamen dicamur esse istius volitionis auctores, adeoque simul activè nos ad eam habeamus. Tentâsse id Scholasticos Philosophos, multos adhibendo terminos & distinctiones, non imus inficias, negamus tamen omnem difficultatem ab iis exhaustam.

LIV. De cautelâ illâ, quam adhibet Philosophus §. 41. quem supra laudavimus, dicit Vir Celeberrimus, *incertum esse, num id dicat de ipsâ omnium præscientiâ & præfinitione Deo adscribendâ, vel de modo, quo illa nihil delibat de libertate vel contingentiâ causarum secundarum.* Loquitur Philosophus initio hujus art. 41. de potentiâ Dei infinitâ, quam exserit in nostram

stram voluntatem, ejus modum se non posse comprehendere inquit, dum agit in nostram voluntatem, ut volitione in ipsâ effectâ, tamen ea *nostra*, adeoque libera dicatur, prout præcedenti §. à nobis fuit expositum. An vero eam cautelam observemus in explicandâ Dei omnipræsentia essentiali, & quantum à Vorstio recedamus, distincto capite explicabimus.

CAP. VI.

De usu doctrinæ Cartesii, de Passionibus in Theologiâ multiplici. Quomodo modus, quo ea quæ Cartesius habet de actione animæ & corporis in se invicem §. 34. & 47. possint inservire Theologo ad explicationem propagationis Peccati originalis.

LV. NEqueo etiam intelligere, quid in doctrinâ passionum jam censeat reprehendendum Vir Celeberrimus, cum olim judicium Reverendi sui filii, quod de isto Tractatu præfationi ad Lectorem inseruit, approbaverit. Sic autem ille: *Hic ipse Tractatus Pathologicus, satis ostendit, non minus illum in Microcosmi cognitione, quàm in Macrocosmi contemplatione profecisse. In nullius manus veniet, etsi diversa sentiat, ut semper licuit inter bonos, quin ejus acumen, solertiam, perspicuitatem ac subtilitatem miretur, & quod tàm commodè ad solam rationis facem in istius naturalis automati motus omnes inquirere potuerit. Considerat enim hominem Philosophico more, nec penetrat in nativam illius corruptionem, horum motuum anomalorum & eccentricorum in nobis fœcundissimam matrem, quæ Theologicæ est disquisitionis.* Nunc vero dicit §. 38. *Interea si Theologicè expendatur, multas patietur difficultates. Quis enim sibi persuadebit iisdem elateriis moveri, & ex iisdem principiis pendere passiones belluinas & humanas, aut vitiosos & criminales affectus reproborum peccatorum, ac sanctos & pios fidelium & regenitorum*, &c. Et §. 39. *Nemo Christianus censebit, Christi passiones ejusdem fuisse originis & ordinis cum iis, quibus subinde corripimur*, putatque, *vix posse nos insistendo Pathologiæ Cartesianæ observare discrimen inter nos & Christum, quod est inter phialas duas aquâ plenas, quarum altera aquam limpidam contineat, altera aquam, in cujus fundo limus aut arena hæreat.* Tandem inquit: *Neque dubitem, quin Pelagianis & Socinianis naturæ corruptionem negantibus, valdè arriserit hic libellus Cartesii, ex quo possint tueri motus primo primos ita naturaliter excitari, ut illis nihil peccati aut vitii insit.* Quæ sanè quo inserviant, nescio. Quid enim opus est,

ut Philosophicus Tractatus consideretur Theologicè. An vero, quod verum est in Philosophiâ, non verum erit in Theologiâ. An quid est in isto Philosophi Tractatu, quod pugnat cum scripturâ? Illud si afferatur, sequemur regulam §. 36. ex Philosopho explicatam. Sin minus, utemur iis pro re nata ad ea, quæ revelatio habet de moderamine passionum, illustranda. Cartesius de belluinis passionibus nihil habet, sed agit de passionibus hominis. Passiones vero fidelium & infidelium hoc habent commune, quod utræque sint passiones hominum, quodque sint *perceptiones aut commotiones animæ, quæ ad eam speciatim referuntur, quæque producuntur, conservantur, & corroborantur per motum aliquem spirituum,* prout Passiones in genere definit Philosophus. § 27.

LVI. Quia autem noluit Philosophus miscere Theologiam cum Philosophiâ, non potuit attendere ad discrimen Passionum, prout sunt in irregenitis vel in Regenitis. Sed Theologus agens de Regenitis & irregenitis, eorumque passiones considerans, iis, quæ Philosophia tradit de Passionibus in communi, potest uti ad explicandum & illustrandum ea, quæ Scriptura de hoc discrimine docet. Simile quid judicandum de Passionum Christi & nostrarum discrimine. Christus utique homo cum esset, similisque nobis in omnibus, excepto peccato, iisdem quoque passionibus fuit obnoxius, quibus nos, quarum naturam in genere consideratam explicuit Philosophus; de Christi autem passionibus, & quomodo ex sine omni fuerint vitio, Philosophus agere non potuit, cùm Christi cognitio tota pendeat ex revelatione divini verbi. Cum autem Philosophus ea tradiderit, quæ in omnium hominum, quâtenus sunt homines, Passionibus reperiuntur, non propterea negavit discrimen, quod infert Justitia Christi & sanctitas,quâ anima ejus fuit prædita, & peccatum originale,quod omnium hominum ex Adamo naturalitèr progenitorum animas corrupit. Et *si hominem Cartesius considerat Philosophico more, nec penetrat in nativam ejus corruptionem, quæ Theologicæ est disquisitionis*, prout ipse Vir Celeberrimus cum Reverendo suo filio olim judicavit, quomodo ergo ex ejus doctrinâ Socinianus eliciet, motus primo primos ira naturaliter excitari, ut illis nihil peccati aut vitii insit?

LVII. Doctrinam verò illam & Tractationem Cartesii de Passionibus, multiplicem habere usum in praxi Theologicâ, agnoscunt mecum, & experiuntur varii nostrarum Ecclesiarum Concionatores, qui eâ pro concione felicissimè uti sciunt, ad Ecclesiæ insignem ædificationem.

Usum quoque istius doctrinæ Cartesii inter alios tradidi in meis dictatis ad Loci V. Systen. Celeberrimi Viri §. 53. annotando contra sententiam Pontificiorum (*qui justitiam originalem perperam faciunt externam & supernaturalem ad curandum Languorem concupiscentiæ & carnis rebellionem coërcendam*, quique concupiscentiam spectant tanquam partem inferiorem animæ) hæc sequentia: *Diversitas talium partium superioris & inferioris in animâ, quæ est simplex, & indivisibilis substantia, non potest habere locum, sed eadem anima, quæ est sensitiva, est etiam rationalis: Est quidem pugna nunc inter rationem & affectus, quæ inde oritur, quod glandula pinealis possit pelli ab unâ parte per animam, ab alterâ per spiritus animales, quodque illæ duæ impulsiones sæpe sint contrariæ; sed in homine Primo ista pugna locum habere non potuit, quia Justitia Originalis potuit impedire, ut positis his vel illis spirituum motibus, tales affectus non excitarentur.* Quod quî possit concipi, vel explicari negat Vir Celeberrimus se videre. Priora mea desumpta sunt ex Cartesii art. 47. ubi refutat opinionem Vulgaris Philosophiæ, quæ in anima partem superiorem & inferiorem concipit, cujus fundamentum & originem ibidem ostendit, quod *non benè distinctæ fuerint animæ functiones à functionibus corporis.* Unde istam luctam, quæ dicitur vulgò esse inter partem inferiorem & superiorem, alio modo explicat, nimirum, quod *glandula pinealis possit pelli ab unâ parte per animam, ab alterâ per spiritus animales*, quod ex prioribus à Philosopho explicatis intelligi debet, imprimis ex §. 34. ubi ostendit modum, quo anima & corpus agant in se invicem.

LVIII. Quod autem in homine Primo ista pugna non habuerit locum, ex Justitiâ Originali deduco, quam Philosophia ignorat, sola Scriptura tradit. Philosophia docet, glandulam pinealem posse pelli ab unâ parte per animam, ab alterâ per spiritus animales, illasque duas impulsiones sæpe esse contrarias: at eadem quoque docet, quod quando æque fortis est determinatio motus, ab utrâque causa nullus sequatur motus, adeoque nullus effectus in animâ. Tum demum verò oritur lucta in animâ, quando contingit, ut aliquando prævaleant spiritus animales, excitentque in animâ v. gr. passionem metus ad tempus, paulò post verò prævaleat ratio, sive anima, quæ contrariam excitet inclinationem. Etiam hoc Philosophia non negat, Deum posse hominis intima cogitationis ita disponere per suam gratiam, ut propendeat in bonum. Sed Theologia docet, hoc ipsum quoque fecisse Deum respectu Primi hominis, ut Justitiâ Originali ejus mentem ornaverit, quâ sanè positâ, potuit prævalere anima, ad

glandulam pinealem sic impellendam, ut nulli affectus, nisi cum ratione convenientes excitarentur, sicque omnis pugna omninò evitaretur. Hæc puto percepturum Virum Celeberrimum, modo dignetur æquo animo pensitare Primam Partem Passionum Cartesii, quod & alios quoscunque ut faciant, rogo, cùm prolixum nimis sit futurum, omnia inde exscribere; qui verò ea legere noluerint, saltem judicium de his, quæ non capiunt suspendere opto.

LIX. Alium quoque istius doctrinæ usum conspiciendum præbui in explicandâ propagatione Peccati Originalis, in cujus explicatione omni ævo multæ repertæ fuerunt difficultates. Dixerat Vir Celeberrimus Systematis sui Loco VI. §. 45. *Illa vero* (scilicet propagatio peccati Originalis) *non fit per corpus, vel per animam, quæ sunt istius labis subjectum recipiens, sed per generationem.* Ad ista verba hæc dictaveram: *Hæc generatio male opponitur corpori & animæ, pertinet enim ad utrumque; nec quæritur, an per generationem propagetur Peccatum Originale, sed hoc supposito, ostenditur debere fieri id vel per corpus, vel per animam; Nos ergo dicimus Primo, Etsi modus istius propagationis, non possit ostendi, sufficere tamen debere, quod Scriptura doceat, fieri istam propagationem. Secundo dicimus fieri per corpus & per animam. Ad quod intelligendum, notandum est. Animam cujusque hominis moralitèr & fœderalitèr in Adamo peccante fuisse, quia Deus voluit ex uno sanguine deducere totum genus humanum, adeoque ream fuisse peccati Adami. Secundò creari animam à Deo etiam spectato ut judice, & sic denegari justitiam originalem. Creari itaque cum intellectu & voluntate, conjungi vero cum corpore quod motus quosdam inordinatos habet impressos, derivatos ab ipsis parentibus, quod corpus animam istam statim inclinat & trahit quasi ad se: unde videmus infantium animas ita immersas esse corpori, ut omnia ad se & suum corpus referant, quod non debebat fieri, & quo ipso à Deo abstrahuntur, ad quem omnia referre debebant.* Et ad verba sequentia Celeberrimi Viri; *Id malim, quàm statuere infici ab humano corpore,* hæc annotaveram: *Si hoc rectè explicetur, ut factum à nobis, nihil habet absurditatis, & ipsa experientia testatur, quod animi motus temperamentum corporis sequantur, quod etiam vulgò agnoscitur.*

LX. Sed hæc iterum non probantur Viro Celeberrimo pag. 93. qui ex illis meis verbis, quibus dico, *animam cujusvis hominis esse moralitèr & fœderalitèr in Adamo, & quamlibet creari à Deo etiam spectato ut Judice præditam intellectu & voluntate, sed destitutam Justitiâ Originali,* infert, *juxta me esse in statu puræ naturæ Jesuiticæ, nec peccatricem, nec justam.* At cùm ego

expressis

expressis verbis animæ tribuam privationem Justitiæ Originalis, quæ ut refertur ad Deum Creatorem & Judicem est negatio, & simul concupiscentiam pravam, quam exprimo per inclinationem ad creaturas & aversionem à Deo, utique ambas partes Peccati Originalis, quam communitèr considerant Theologi, ei assigno; Quomodo ergo assero statum Puræ Naturæ? Quomodo nego animam peccatricem, dum inclinatam dico ad creaturas & aversam à Deo? Mirum est tales consequentias potuisse Viro Celeberrimo venire in mentem. Nec potest ferre, quod tribuam *corpori motus inordinatos*, dicens: *Quasi verò motus vitiosi & moralitèr inordinati cadant in corpus adhuc brutum & animâ destitutum.* Ego vero quando corpori motus inordinatos tribui, non dixi esse *moraliter inordinatos & vitiosos*, neque id dici posse puto, si formalitèr & in se præcise spectentur; sed motus inordinatos vocavi, qui excitant in animâ pravam concupiscentiam, quâ conversa ad creaturas, avertitur à Deo. Scilicet si fortes sint satis impressiones spirituum, qui tendunt ad cupiditatem rerum terrenarum excitandam, Anima verò destituatur Justitiâ Originali (quâ si armata esset, posset sistere istos motus juxta ea quæ diximus §. 49.) fortiuntur omnino suum effectum, & anima sentit cupiditatem rerum terrenarum, quæ utique est vitiosa illa concupiscentia.

LXI. Sed *mirum hoc contagium* appellat, & provocat *ad judicium Theologorum & Cartesianorum, an hæc à me Theologicè dicantur*, additque: *Sic quidquid inest animæ jam conjunctæ corpori peccati Originalis à glandulâ pineali* debere *pendere*. Ego verò non miror, miras videri explicationes Philosophicas iis, qui nolunt ad earum deductionem ex interioribus Philosophiæ penetralibus attendere, sed reverà miror, quâ ratione hanc possit ex meis nectere consequentiam, cùm ad Peccatum Originale explicandum non tantum adduxerim motus glandulæ pinealis excitatos à spiritibus, sed etiam imputationem Peccati Adami & privationem Justitiæ Originalis, ut præcedenti articulo ostensum. Cæterùm, non refugio judicium Cartesianorum nec etiam Theologorum, modò periti sint veræ Philosophiæ, cujus si imperiti sint, judices in hoc negotio esse nequeunt. Sed illis non est judicandum, *an hæc à me Theologicè fuerint dicta*, quæ spectant modum propagationis Peccati Originalis. Est enim Explicatio hæc mea, suppositis iis quæ Theologia tradit de Peccati Originalis existentiâ, Philosophica, spectans modum Propagationis, quam si Theologus nequeat capere, sufficere ei posse dixi, quod Scriptura docet τὸ ὅτι, fieri nempe propagationem Peccati Originalis.

LXII.

LXII. Hactenus tamen Theologi communiter conati sunt explicare modum propagationis Peccati Originalis, & quidam eorum cùm positâ animæ immediatâ creatione, non possent percipere modum propagationis Peccati Originalis, Immediatam animæ creationem rejecerunt, eam vero propagari volunt ex nescio quo traduce seminali, quo fiat, *ut rationalis anima educatur ex potentiâ materiæ seminis, vi seminalis & prolificæ virtutis*, qui,ut sunt errorum mille figuræ, in diversas partes abierunt in modo figmenti istius explicandi. Horum quidem sententiam rejicit Vir Celeberrimus §. 50. Loci V. Systematis sui,sed ibidem inclinat ad aliam sententiam quorundam, *qui formas sese promovere, & animam ab animâ accendi, ut lumen ex lumine statuerunt*, putatque *facilius ex illâ hypothesi propagationem Peccati Originalis defendi posse.* Sed non videtur consultum, ut ad difficultatem solvendam, quæ oritur ex Scripturæ locis,qui docent,fieri Propagationem Peccati Originalis à parentibus ad liberos, nos conjiciamus in alias multò majores per sententiam, cujus tamen nulla alia est causa præter merum humani cerebri figmentum.

LXIII. Nec posterior sententia multum à priori differt, nisi verbis, utraque hoc habens commune, quod mentem planè cum corpore confundat, corporea attributa & actiones menti assignando, quod quàm maximè est absurdum. Quando enim lumen à lumine accenditur, manifestum est, transire aliquid substantiæ corporeæ ex lumine accendente ad lumen accensum. An ergo similitèr dicemus transire aliquid substantiæ ex animâ parentum ad animam liberorum? At sic animas divisibiles & corporeas faciemus. Si verò id non asseramus, quid luminis accensi à lumine comparatio huc faciat, non utique apparet. An fortè dicendum lumen valdè accedere ad spiritualem, hoc est animæ substantiam? at qui hoc dixerit confundet spiritum sive mentem cum corpore, & medium aliquod concipiet inter ea, quæ nihil habent commune, imò medium reperiet inter ea, quæ sibi mutuò contradicunt. Quod enim est cogitans, est non extensum, & vice versâ, quod est extensum, est non cogitans. Præterea si anima filii accendatur ab animâ parentum: Ergo parentes communicant vel totam suam animam cum filio, vel partem; Si partem, anima erit divisibilis, & per consequens corporea: Si totam, ergo parentes eam perdent, vel similis fingenda hîc erit cogitatio ei, quæ obtinet inter personas Trinitatis,quâ Pater eam Filio & Spiritui Sancto communicat eandem numero & individuam essentiam; unde consequetur, quod

omnes

omnes & singuli homines unicam & eandem numero habeant animam. His addi potest, animam istam filii vel accendi ab animâ solius Patris, vel ab animâ solius matris, vel ab animâ utriusque: Si priorum duorum alterum eligas, detur ratio, quare potius à Patris vel matris animâ accendatur: Si posterius statuas, partem ergo accipiet ab animâ patris, partem ab anima matris, sicque iterum anima plane divisibilis introducetur. Judicent nunc qui possunt, quænam sententia nitatur ratione, an mea, an eorum, qui accendi animam ab animâ parentum tanquam lumen à lumine putant?

CAP VII.

Usus Philosophiæ in considerandis operibus creationis. Ea docet non uno intuitu contemplari, sed prout fieri potuissent per leges naturæ, si Deus ea paulatim oriri voluisset. Ex tali consideratione nihil quidquam sequitur absurdi. Quid in Lunâ sit præter loca alta & depressa, similia nostris montibus & vallibus, non potest definiri. Scriptura non docet, omnia cujuslibet diei opera momento esse facta. Explicatur Rom. IV. 17. similis est ratio Gen. I. 3. Ps. XXXIII. 9. Potius ex Scripturâ contrarium probabiliter potest elici. Ex rationis vero lumine evidens potest sumi argumentum, quo probatur, implicare contradictionem de quibusdam operibus intra hexaêmeron Creationis formatis, ut momento dicantur facta.

LXIV. QUod Deus creaverit mundum ex nihilo, & quomodo varia opera ex materiâ illâ, quam primo die ex nihilo produxerat, sequentibus diebus formaverit, quanto item temporis spatio usus fuerit ad mundum omnis generis Creaturis ornandum & perficiendum, Scripturam docere nemo Christianorum it inficias. Philosophiam tamen, cujus est operum Dei interiorem naturam & texturam indagare, debere ea, non uti nunc sunt in statu suæ perfectionis absoluto, uno quasi obtutu inspicere, sed potiùs ea contemplari, prout paulatim fieri potuissent ac debuissent ex legibus naturæ à Deo positis, si Deus ea paulatim oriri voluisset, existimavit Cartesius Princip. III. §. 45. Ad quod obtinendum, hypo-

hypothesin quandam falsam assumit. §. 46. atque juxta eam ex legibus naturæ omnes effectus, qui in hoc mundo apparent, in seqq. deduxit. Quam sententiam confirmavit, & exemplo Theologorum declaravit in Consensu Veritatis pag. 337. & seqq. Wittichius, quæ, ne actum agamus, huc transcribere nolumus, neque videmus quid cum ratione iis objici possit.

LXV. Hoc verò, quamvis sit fori merè Philosophici, non fert Theologus Celeberrimus & §. 49. dicit, *jure dubitari, num fas fuerit homini Christiano ejusmodi* Principia *excogitare de primâ rerum origine, quæ cum Dei verbo, & fide Christianorum non consentiant, & ex quibus Contemtores Scripturæ eam rejiciendi & naso adunco suspendendi facilem ansam sint arrepturi, & dicturi de Mose cum profano illo Philosopho Gentili*, multa dicit cornutus iste, sed nihil probat: *Nam certè ex illis sequi videtur, nisi ea utcunque emollivisset, Deum nihil aliud propriè condidisse, quam motum, & posito juxta sententiam Aristotelis primo Motore, & motu ab æterno mundum necessitate quâdam naturali ex particulis insensibilibus coaluisse, citra Dei attentionem & liberam dispositionem, ac ipso nec dirigente, nec cogitante.* Sed cum ista Principia, de quibus hic est sermo, sive hypotheses, tantum cum in finem sint excogitata, ut opera divina, quæ unico actu distinctè intelligere non possumus, per partes spectemus, ne quidem quæri debet, an liceat talia excogitare, cùm necessitatem nobis imponat humani intellectus imbecillitas. Si enim ipsa decreta Dei, quæ novimus non differre à Deo decernente, & unico & simplicissimo actu, idque ab æterno non tantùm facta, sed etiam non nisi unico actu fieri potuisse intelligimus, liceat Theologis spectare non alitèr ac si successivè essent formata, ordinemque in iis constituere talem, qui legibus sapientiæ est conveniens, multò magis licebit opera Dei externa, opera Creationis; quæ ab ipso Deo totâ essentiâ differunt, quæque non tantùm *potuerunt* diversis actibus fieri, sed etiam in tempore, saltem tot actibus diversis sunt *facta*, quot fuerunt Creationis dies, contemplari tanquam successivè formata, ordinemque in illis constituere talem, qui legibus naturæ à Deo ipso sancitis sit conveniens, quod argumentum latius deductum videri potest in Wittichii Consensu veritatis §. 338. Inde verò non majorem ansam contemptores Scripturæ eam rejiciendi arripere possunt, quam ex descriptione Mosaïcâ sumit Philosophus ille gentilis, de quo loquitur Vir Clarissimus. Quam ansam calumniandi, ut arripiant homines profani, cùm nec ipsa Scriptura impedire possit, non debet do-

ctrina

doctrina vera eo nomine sugillari, quod quis ansam convitiandi indè arripiat.

LXVI. Sed mira sunt, quæ subjunguntur à Viro Clarissimo, *videri sequi ex illis, nisi ea utcunque emollivisset, Deum nihil aliud propriè condidisse quam motum*, &c. ad quæ ego subsumo: Atqui Cartesius verba sua art. 45. utcunque emollivit, *quod conceditur à Viro Clarissimo*: Ergo non videtur sequi ex illis, Deum nihil aliud propriè condidisse quàm motum, &c. Nec utcunque tantum emollivit ea Philosophus, sed talia posuit fundamenta, ex quibus nullo modo id, quod hic dicit Vir Clarissimus, possit derivari. Hic enim ponit, *Deum ab initio creavisse mundum cum omni suâ perfectione*: passim quoque docet, Deum non tantum totam istam materiam conservare, sed etiam Auctorem esse omnis realitatis, atque omnem omninò actionem, quicquid est veri, quicquid est boni, id totum à Deo pendere. Quomodo ergo ex sententia ipsius elicietur, mundum necessitate quâdam naturali coaluisse, Deo nec dirigente, nec cogitante?

LXVII. Dixerat quoque Philosophus Diss. de Meth. pag. 41. *Etsi Deus nullam mundo aliam formam, quam chaos ab initio dedisset, dummodo post naturæ leges constitutas ipsi concursum suum ad agendum, ut solet, commodaret, sine ullâ in Creationis miraculum injuriâ credi posse, eo solo res omnes purè naturales cum tempore, quales nunc esse videmus, effici potuisse*, cujus suæ assertionis fundamentum ponit, *certum & vulgò inter Theologos receptum, eandem esse actionem, quâ ipsum nunc conservat cum eâ, quâ olim creavit.* Quibus sese opponit Vir Clarissimus §. 57. dicens, *non opus fuisse miraculoso opere creationis, si ipsum Chaos potuisset vim & facultatem sufficientem recipere, discordia semina rerum è suo sinu excludendi, &c. quod ista exigant vim infinitam, quæ in Chaos finitum cadere non potuerit.* Sed non videtur horum verborum vim esse assecutus. Sensus est, Deum eandem potentem, infinitam & efficacem actionem fuisse exserturum, (si post creatum Chaos, & motum ei inditum, ad istum motum juxta leges naturæ concurrisset, sive eum porrò effecisset, hoc est conservasset, atque hoc modo res omnes naturales cum tempore effecisset,) quam exseruit, quando mundum tali modo formavit, quem Moses descripsit, eò quod Conservatio & Creatio à se invicem realiter non differant, sed istam eandem actionem, quam cum Mose appellamus Creationem aliud tantum nomen, Conservationis nempe, fuisse suscepturam. Ita ergo non opus fuisset quidem opere miraculoso, quod Creatio appellaretur, sed opus fuisset eodem opere miraculoso, quod nomine

minae Conservationis veniret, eademque vis Dei infinita fuisset exserta in Chaos illud, quam exsertam fuisse dicit Moses in materiam primo die creatam, per Creationem, quam Theologi appellant, Mediatam.

LXVIII. Illud vero mirandum, quòd in dubium §. 58. revocet axioma certissimum, *Eandem esse actionem, quâ Deus mundum nunc conservat, cum eâ quâ olim illum creavit*, cum tamen ipse Loco IV. §. 29. absolute asserat, *Conservationem esse continuatam Creationem & ipsam legem naturæ*. Nunc autem inquit, *non certum nec verè Theologicum esse illud axioma, imò longe certiorem dicit esse hanc Scholasticorum affirmativam, aliam esse actionem Dei, quâ rebus dedit ut essent, ab eâ, quâ illas conservat in suo esse*. Scholasticos consuetos de omnibus in utramque partem disputare non miror & hoc ipsum in dubium revocasse, quamvis à meliori ipsorum secta, Thomistis scilicet, constanter teneri dicatur à Roberto Baronio in Metaph. pag. 123. Suarius quoque, item Scaliger Exercit. 31. Franciscus Amicus etiam hîc Auctori citatus, aliique eandem defendant, atque Scheiblerus in Metaphys. pag. 167. ferè receptam sententiam dicat. Et reverâ vel ipsa terminorum perceptio assensum extorquet huic axiomati. Conservatio enim est continuata Creatio; Ergo utique Conservatio est Creatio: Creatio autem est sanè actio eadem cum Creatione, secus idem non foret idem. Erit igitur quoque Conservatio, quæ est Creatio, eadem actio cum Creatione. Cartesius Medit. 3. id axioma quoque ita manifestè explicuit, ut de ejus veritate dubitari nequeat: *Perspicuum enim est*, inquit, *attendenti ad durationis naturam, eâdem plane vi & actione opus esse ad rem quamlibet singulis momentis, quibus durat, conservandam, quâ opus esset ad eandem de novo creandam, si nondum existeret, adeo ut Conservationem solâ ratione à Creatione differre sit etiam unum ex iis, quæ lumine naturali manifesta sunt.* Quod si Conservatio non sit eadem actio cum Creatione; dicatur ergo in quo differant: an ergo alius est re ipsâ terminus, sive effectus, qui producitur per Creationem ab eo, qui per Conservationem? at per utramque ipsum esse producitur, quod sanè ejusdem rei à se ipso non differt.

LXIX. Sed inquit Vir Venerandus: *Ipse Amicus fatetur, Creationem distingui posse à Conservatione bifariam, quia Creatio importat negationem præexistentis esse, & ponit acceptionem primi esse.* At hæc differentia non infert distinctionem realem, de quâ solâ est quæstio, sed tantùm distinctionem rationis, quàm utique concedimus. Pergit: *De Creatione dicitur Gen. II. 2. Deum quievisse ab omni opere suo, quod fecerat, id est, desiisse creare; Sed de Conservatione*

ſervatione dicit Chriſtus Johan. V. 17. *Pater meus uſque operatur & ego operor.*
℞. Hæc quidem iterum inferunt diſtinctionem rationis, non realem. Non enim ex iis ſequitur, quod Conſervatio non ſit continuata Creatio, ſed tantùm, quod eadem illa actio Dei poſt abſolutum Hexaëmeron non amplius Creatio, ſed potius Conſervatio & Concurſus debeat appellari, quod ipſum locus Auguſtini citatus ediſſerit. Objicit art. 114. num. 28. Conſervationem à me minus accuratè dici *continuam creaturarum reproductionem*, additâ hâc ratione; *Nam aliud eſt, rem in ſuo eſſe conſervari, aliud eſt eam reproduci, id eſt, novum eſſe poſt primum deperditum acquirere.* Ego vero dictaveram ad Loci IV. §. 29. debere continuò quaſi reproduci creaturas, unde ſatis apparet, me non eo ſenſu dicere reproductionem, quaſi novum eſſe poſt primum deperditum acquirant, ac ſi per momentum temporis eſſe deſinerent, & poſtea denuò producerentur; ſed hoc ſenſu dico Conſervationem eſſe quaſi continuam reproductionem, quatenus creaturæ nullum unquam eſſe ex ſe ipſis habent, cum earum exiſtentia ex eſſentiâ non fluat, ac proinde ſi Deus unquam operari deſineret, ſtatim eſſe ceſſarent, ita ut ob naturam durationis, de quâ art. præced. dictum, ſingulis momentis novum quaſi eſſe creatura à Deo debeat accipere. Non enim quia præcedente momento habet eſſe, etiam habet illud ſequente, ſed quia iterum accipit à Deo. Ita in hâc re nihil quicquam videtur eſſe difficultatis.

LXX. Sic aſſertum manet quod ſtatuit Carteſius, poſſe aſſumi falſam hypotheſin (ſive eam, quæ eſt Princip. III §. 46. ſive, quâ dicatur, Deum initio mundo formam chaos dediſſe) ad opera Dei diſtinctè conſideranda, neque ſic ullam injuriam fieri deſcriptioni Moſaicæ. At Vir Clariſſimus §. 49. laudato eo nomine Carteſio, quod meminiſſet falſas eſſe illas hypotheſes, addit; *Benè eſt, quod terram à Sole, Lunâ & Sideribus ita diſtinguit, ut Lunam Sideribus accenſeat, & terram eximat ex eorum numero: quod ſufficit eorum evertendæ Lunaticæ imaginationi, quam miror ſatis palam fovere non-nullos Theologos, qui non ſolum terram accenſent Sideribus, ſed ipſam Lunam terræ huic noſtræ faciunt homogeneam, in quâ ſint montes, ſylvæ, maria, beſtiæ, & etiam fortè homines. Eſt enim Theologus Nuperus qui conceptis verbis non ſolùm negat id eſſe impoßibile, ſed etiam veroſimilius ſtatuit id eſſe aſſerendum, quam negandum.* In quibus mentem Carteſii non eſt aſſecutus. Quando enim hic Lunam & Terram diſtinguit à Stellis, intelligit fixas: nam art. 10. & 11. & imprimis 13. Terram ſatis apertè inter Planetas numerat. Quod ſi

 jam

jam sideris nomine generatim velimus comprehendere & Planetas & stellas fixas, uti fert usus, non minus sideris nomine ac Planetæ Terram posse venire, facilè cuilibet patebit. Sic quæstio ista fuerit tantùm de nomine. Altera autem non multo majoris est momenti. Dictavi olim ad ipsius Systematis Paragr. 17, *ex Hevelii observationibus constare, in Lunâ esse loca alta & depressa, similia nostris montibus & vallibus, an vero in Lunâ sint animalia & homines definiri non posse*, neque potui judicare id impossibile esse, quod nullum Argumentum, quo ista impossibilitas evinceretur, viderem. Addidi, *verosimilius esse id asserere, quàm negare, si attendamus ad Dei immensam potentiam*: quibus verbis me comparativè locutum facilè appareat, cum existimem, *absolutè loquendo hâc de re nos nihil posse determinare*, & reverâ nescire, an in Lunâ sint homines, an aliæ creaturæ; sed si omninò judicare velimus, verisimilius fore statuere, ibi homines esse, quàm negare esse. Negare enim non debemus aliquid esse, eo nomine, quod ejus nullam habeamus notitiam, quam ex Scripturâ hac de re nos consequi posse frustrà existimari puto. Non enim sequitur: Apostolus Act XVII. 26. nullam facit mentionem aliorum hominum extra hanc terram præter eos, qui ex Adamo prodierunt; Ergo non sunt alibi in globo aliquo huic terræ simili extra hanc terram: sicut non sequitur: Moses nullam facit mentionem creationis metallorum: Ergo non sunt metalla creata; vel, scriptura non facit mentionem aliarum multarum rerum in intimis penetralibus terræ: Ergo ea non sunt. Quæ scriptura non docet ea vel aliundè cognoscenda sunt, si fieri id possit; vel judicium nostrum de iis est suspendendum, uti hoc in negotio fieri debere existimo.

LXXI. Sic scriptura non docet, omnia cujuslibet diei opera momento esse facta; Hoc ergo ex scripturâ à nobis eo ipso non potest adstrui. Quæ enim adducuntur loca à Celeberrimo Viro §. 53. ea id nullatenus evincunt. Rom. IV. 17. docetur, quod omnia ad potens Dei imperium & voluntatem se sistant, idque sint & faciant, quod ea vult esse & facere. Vocatione Dei vocantur ea quæ non sunt ac si essent, nec minus illa veniunt & fiunt, quamvis nondum sint, dum vocantur, ac veniunt servi vocati à Domino. Sed hoc æque dici potest de iis, quæ fiunt successu temporis, ac quæ fiunt momento. Eo modo omnia fiunt à Deo, & eo tempore, quo Deus ea vult ac jubet fieri. Nullo molimine opus habet Deus, nullis adminiculis indiget, solâ opus est ejus efficaci voluntate, quâ positâ, fiunt talia, qualia esse debent. Sic Abraham credidit, Deum vocare

ea

ea quæ non ſunt, ac ſi eſſent, dum credidit, ſe futurum eſſe Patrem multarum gentium, etſi Sara ſterilis eſſet, quod ex ſequentibus apparet, quo ipſo non credidit momento genitum iri Iſaacum. Similis ratio Locorum Gen I. 3. Pſ. XXXIII. 9. & ſi quæ ſunt alia, ex quibus rectè elicitur, omnia à Dei nutu & juſſu pendere, non aliunde atque à nullis aliis intercedentibus cauſis, ſine ullâ difficultate, omnia à ſolo Deo fuiſſe creata. Unde nec Longini, nec Ambroſii, aut Julii Africani dicta citata mihi contrariantur. Ut autem Vir Clariſſimus §. 54. judicat, ſe non teneri illorum Patrum ſententiâ, qui putant, Deum uno momento omnia condidiſſe, ſic nec mihi præjudicare poſſunt, quicunque alii contra meam ſententiam ab ipſo laudantur, præſertim in quæſtione planè problematicâ, de quâ profectò miror, quòd Vir Celeberrimus tantos motus citaverit, & meam ſententiam indignam homine Chriſtiano cenſeat.

LXXII. Potius ex ſcripturâ exiſtimo, contrariam ſententiam poſſe ſtabiliri, ſaltem probabiliter; ex rationis verò lumine argumentum evidens poſſe deſumi ad evincendum, implicare contradictionem de quibusdam operibus intra Hexaëmerum Moſaicum formatis, ut momento dicantur facta. Propterea hæc dictaveram ad Syſtematis ejus Locum V. §. 10. *De momento Mathematico, hoc abſolutè dici nequit; quia tale in re dari nequit, ſed tantum in noſtro conceptu; De momento vero Politico ſive breviſſimo temporis ſpatio, neque id verum eſt: ſed potius cenſendum eſt quod ad ſingula opera ſingulorum dierum, etiam ſinguli dies fuerint adhibiti, propter ſequentes rationes; Nam 1. dicendum eſſet alias, quod Deus ſingulis diebus quieviſſet toto die, excepto illo momento, cum tamen ſcriptura tantum quietis Dei mentionem faciat die ſeptimo. 2. Nulla ratio foret, quare Deus voluerit adhibere ſex dies, ſi cujuslibet diei opus momento fuiſſet productum; nam ad diſtinctionem inter res creatas non opus fuiſſet tanto temporis intervallo, ſed ſufficere potuiſſet v. g. intervallum unius horæ. 3. Quædam res tales ſunt, ut non potuerint momento fieri, ſive ut implicet contradictionem, ut fierent momento: Sic v. g. ſeparatio aquarum cum debuerit fieri per motum, motus autem tota natura in ſucceſſione conſiſtat, non potuit etiam fieri ſine ſucceſſione. Sic opus ſexti diei, quo adducta fuerunt omnia animalia ad Adamum, item quo fuit formata Eva, proculdubio majus ſpatium requiſivit quam momentum.*

LXXIII. Hæc dixi nullo ſpiritu contradictionis abreptus, non ut viderer ſuperare ipſum Magiſtrum meum, & quæ alia de me ſuſpicatur Vir Clariſſimus §. 51. (quæ à me eſſe maximè aliena conſcientia mihi teſtis

 eſt,)

eſt) ſed quòd veritas me ad ita ſentiendum adigeret. Etſi autem ipſe nihil definiviſſet in ſuo Syſtemate de momento, an Mathematicum intelligeret, an Politicum, putavi me rectè explicuiſſe ejus mentem, ſi de Politico interpretarer, quo ſanè ſenſu ipſa illa Scripturæ loca Luc. IV. 5. & 1 Cor. XV. 51. quæ adducit, neceſſariò ſunt exponenda, ut reverâ ea, quæ toto art. 51. tam largè contra me effudit, nihil me attingant.

LXXIV. Sed inquit §. 52. *ſi Deus potuit creaſſe Angelos & Animas protoplaſtῶn ſine ſucceſſione & motu, cur non potuerit abſque illis lucem & ſidera, & plantas & beſtias momento produxiſſe? ſi juxta ipſummet Carteſium p. 3. Princ. §. 64. poſſimus aſſequi, quo pacto actio illa, quam pro luce accipit, à Solis vel cujuslibet Stellæ fixæ corpore in omnes partes æqualiter ſe diffundat, & in minimo temporis momento ad quamlibet diſtantiam extendatur, eritne nobis ἀκατάληπτον & incredibile Deum ἐν ἀκαρεῖ χρόνῳ unumquodque Hexaëmeri opus abſolviſſe? Annon eo momento quo lux extitit, tenebræ quæ lucebat evanuerunt & deſierunt eſſe? Quid ſtultius quam negare motum Solis diurnum, quoniam quâque horâ deberet 1272. milliarium aut circiter conficere, & tamen concipere, quòd in primâ quercu producendâ, à primo ejus ſeminio ad eam perfectionem, quam in naturâ conſtitutâ conſequitur, motus particularum inſenſibilium, per quem putant Viri Docti arbores capere ſuum incrementum, æque tantum itineris confecerit in creatione per unum diem, quantum nunc vix poteſt per centum annos.*

℞. 1. Ex dictatis meis patet, non me ſtatuere, nullas creaturas potuiſſe momento fieri, ſed tantùm in quibusdam implicare contradictionem, ſed, quod ad ſingula opera ſingulorum dierum etiam ſinguli dies fuerint adhibiti, me affirmare ob rationes duas priores, quas ex ſcripturis derivavi. Creationem itaque, quam Immediatam vocant Theologi, momento peractam eſſe nunquam negavi. 2. Quare autem lucem, plantas, beſtias & ſidera, hoc eſt, cujuslibet diei opera non unico momento cenſeam facta, dedi rationes in dictatis. 3. Lucis gradus eſſe varios neminem ambigere puto: quàm primùm ergo lux cœpit, deſierunt tenebræ, ſed non totæ ſimul & ſemel, verum prout magis lux fuit aucta, ita magis tenebræ fuerunt imminutæ, ſicut videmus quotidie fieri, quò magis Sol ad noſtrum Horizontem appropinquat. Etſi autem lux momento temporis ad quamlibet diſtantiam extendatur, idque quomodo fiat explicet Carteſius, non tamen ideo negari poteſt, quin lux queat concipi magis augeri juxta dicta. Non negamus Solis motum diurnum eâ de cauſâ, quod quâque hora deberet ultra millia milliaria conficere; facile enim concedimus, motus celeritatem

leritatem in infinitum posse augeri: at arborum incrementum majus non tantùm celerior motus particularum insensibilium præstat, sed imprimis copiosior particularum talium affluxus, quem facilè Deus potuit suppeditare.

LXXV. Sed putat art. 129. num 84. me mihimet ipsi contradicere, dum *statuam* ad Loc. XIV. §. 24. Systematis ipsius, *creaturas singulis momentis reproduci per generalem earum conservationem, sicque immemorem fuisse, quòd earum singularum creationem momento factam antea negâssem.* Quid verò ego negaverim ex antecedentibus jam satis patet. Nego omnia cujuslibet diei illius Hexaëmeri opera fuisse momento facta, sed dico, ad opus cujuslibet diei adhibitum fuisse spatium illud 24. horarum, ob ea quæ jam dicta sunt & in seqq. sunt dicenda: statuo tamen, & Angelos & totum illud extensum factum esse die primo unico momento, quod posteà intervallo hujus & sequentium dierum in varia corpora est distinctum; sic quoque animam cujuslibet hominis momento produci existimo. Hoc ergo totum extensum & Angelos & animas cujuslibet hominis semel creata sive primo momento ex nihilo producta, per Conservationem singulis momentis reproduci censeo, juxta id quod dicit Vir Celeberrimus §. 29. Loc. IV. *Conservationem esse continuatam Creationem.* Nulla hic est species contradictionis.

LXXVI. Videamus nunc examen, quod adhibet, rationum à me dictatarum, quas tipulâ leviores esse dicit. *Singulis diebus,* inquit §. 55. *suum opus distinctum assignatur, non quod tota dies, sive naturalis, sive civilis, cuique operi expoliendo, lambendo & absolvendo, fuerit impendenda, aut quod ad id peragendum Deus illo temporis spatio indiguerit, sed quod singulis illis diebus distinctis nihil praterea Deus produxerit: Quod si Deus per totum primum diem naturalem fuit occupatus in luce excitandâ & accendendâ, debuit demum lucem absolvisse sub auspicium noctis diei sequentis: quod est cogitatu absurdissimum, quia tunc absolutâ luce non fuisset prima dies, sed prima nox privativa (pracedens negativa fuerat) incœpisset. Et cum Dei quiescere septimo die fuerit cessare ab omni novâ specie creandâ, nequit censeri quievisse ullâ die primi hexaëmeri, siquidem earum quâlibet aliquid operatus est & creavit, quod pertineret ad complementum universi. Frustrà verò Censor clamitat, nullam fore rationem, quare Deus voluerit adhibere sex dies, si cujuslibet diei opus momento fuisset peractum, cum distinctioni notanda inter res creatas, intervallum unius hora sufficisset; Etenim omnes Theologi hactenus, tam Veteres, quam Neoterici, agnoscunt, Deum*

potuisse

potuisse si voluisset uno momento omnia simul producere, sed suis de causis placuisse ipsi sex dies distinctos ei rei adhibere: quæ causa etsi nos laterent, ipsa Dei voluntas nobis deberet sufficere: Causas tamen sextidui adhibiti à Deo nonnullas assignavi Syst. Loco V. §. 16. (inter eas tamen non recensui distinctionem inter creaturas, quæ à parte rerum innotescit) *ubi meus Censor sui immemor, hoc annotat; hæ rationes sunt probabiles, sed suprema ratio est Dei voluntas. Ergo inquam ego nulla necessitas fingenda est vel ex parte Dei, vel ex parte rei, cur res non aliter creari potuerint, quam successivo motu.*

LXXVII. Ubi non videtur Vir Clarissimus vim mearum rationum satis fuisse assecutus. Secundam meam rationem videtur impetere prima ejus periodus & ultima. Ego verò negavi, quod, si singulorum dierum creatio fuisset momentanea, ratio ulla possit esse distinguendi ea opera per dies potius, quàm per horas, vel etiam minus intervallum. Ex omnibus enim rationibus, quæ adduci possunt, puto eam fore primariam, ut distinctio esset inter res creatas; at hanc nihil evincere satis patet, cum distinctio inter res creatas obtineri possit æquè distinctione temporis per horas, vel minus quoque temporis spatium, tantum scilicet, quantum impensum fuisset ad rerum productionem, ac distinctione per dies. Quòd ergo Deus distinxerit per dies opera sua, ejus rei unicam rationem esse puto, quod hoc temporis spatium his operibus fuerit impensum. Alia verò quæstio est ea, quæ nobis cum Veteribus intercedit, de quâ agit Vir Clarissimus §. 54. sui tractatus, & in Systemate art. 16. ab eâ, quæ hic inter nos intercedit. Convenit inter nos, spatium illud hexaëmeron esse propriè intelligendum, & rejicimus uterque illam sententiam Patrum quorundam, statuentium opus totius Creationis fuisse momentaneum; sed nostra controversia est: An cujuslibet diei opera momento sint producta? Priorem quæstionem spectant ea quæ habentur Syst. Loco V. §. 16. ubi rationes adducit, quare Deus non momento, sed sex diebus voluerit uti, *quas rationes* dixi in dictatis *esse probabiles, sed supremam rationem esse Dei voluntatem*, in quo non immemor mei fui: Etsi enim probabiles sint ad probandum, non unico momento omnia fuisse producta, non tamen sunt probabiles ad probandum (supposito quòd verba Mosis sint propriè sumenda de sex dierum intervallis adhibitis) singulorum dierum opera momento fuisse facta. Sic quoque, etsi unica causa, & ratio suprema, quare Deus non momento omnia peregerit, sed diebus sex usus fuerit ad creandum, sit ipsius voluntas, tamen supposito, quod narratio Mosis de hexaë-

mero

mero Creationis non ſit allegorica, ratio, quare Deus non ſex horis potius, quam ſex diebus fuerit uſus, ex ipſâ natura dierum & voluntate ejus ſimul debet ſumi, quòd ſcil. voluerit iſtud ſex dierum ſpatium potius impendere operi cujuslibet diei abſolvendo, quàm ſpatium ſex horarum.

LXXVIII. Reliqua quæ in iſto art. 55. habet ſpectant partim rationem meam primam, partim continent Objectionem contra meam ſententiam. Hæc Objectionem continent: *Quod ſi Deus*, &c. cui reſpondeo, mihi veriſimile videri, primo νυχθημέρῳ Deum creâſſe primùm unico momento totum extenſum quantum eſt, dein Terræ maſſam informem, quæ תהו ובהו appellatur, omni luce, quâ illuminaretur deſtitutam, & poſtea lucem accendiſſe, quod per gradus, quin potuerit fieri, non negari poteſt, ſi attendatur ad art. noſtrum LXXIV. reliquo verò primi diei tempore tùm in Cœlo viſibili, quod nunc ſtellis eſt refertum exornando, tùm in Supremo, quod ultra illud viſibile in indefinitum extenditur, plenè abſolvendo & perficiendo fuiſſe occupatum, eoquè abſoluto creaviſſe Angelos ejus incolas. Sic non opus fuerit, ut dicam, Deum lucem abſolviſſe ſub auſpicium noctis diei ſequentis.

LXXIX. Rationem meam primam ſpectant hæc Viri Celeberrimi verba: *at cum Dei quieſcere*. &c. Vis meæ rationis in eo conſiſtit, quod ſi ſingulorum dierum opera unico momento fuerint facta, debeat dici, toto reliquo ſpatio temporis, excepto hoc unico momento, Deum quieviſſe, cùm Scriptura tantùm unius Dei quietis faciat mentionem, die nimirum ſeptimo; id ſequi hîc negatur, *quia Dei quieſcere ſeptimo die fuit ceſſare ab omni novâ ſpecie creandâ:* At non minus quies fuit, quâ Deus ceſſâſſe ſupponitur à novâ ſpecie creandâ quovis die, quàm quâ ceſſavit ab omni novâ ſpecie creandâ: quies enim in ceſſatione creationis utique propriè, & formalitèr conſiſtit. Sic igitur robur mei argumenti non eliditur.

LXXX. Tertiam meam rationem aggreditur §. 56. his verbis; *Quantùm ad ea quæ putat ſubtiliſſimus Cenſor non potuiſſe produci à Deo ſine morâ temporis & ſucceſſione motus, miror hominem tam acutum, ut poſſit inſenſibiles particulas ſecare in infinitum, eò confugere. Adductionem omnium animalium ad Adamum nemo dixerit eſſe opus creationis. Et quamvis aliquod opus creationis non potuerit momento fieri, tamen ridiculum eſt argumentari à particulari ad univerſale; dato enim, non conceſſo, aliquod hexaëmeri opus non potuiſſe peragi ſine motu & ſucceſſione, inde non ſequitur, vel cætera fuiſſe ejuſdem ordinis, vel non momento fuiſſe peracta ea, quæ momento abſolvi potuiſſe ipſe non inficiatur;*

Frustra enim fieri per plura, quod aquè benè, aquè commodè & etiam ad majorem Dei gloriam, per pauciora fieri posset, nemo credo inficiabitur. Fateor varia opera commemorari sexta diei, sed unumquodque eorum fuit momento absolutum: Adami corpus momento Deus creavit ex pulvere terra; momento altero, animam ei inspiravit; momento, illi somnum immisit, qui tamen per aliquod tempus duravit; momento costam ei evulsit, ex quâ momento altero Evam fabricatus est. Ipsa quoque bestia momento acceperunt impetum veniendi ad Adamum, licet ex illo impetu successivè processerint.

LXXXI. Ubi observandum primùm, me in dictatis meis hanc formâsse conclusionem, per tres rationes sequentes probandam; *Censendum est, quod ad singula opera singulorum dierum singuli dies fuerint adhibiti*, ad quam probandam utique facit *adductio omnium animalium ad Adamum*, etsi non sit strictè loquendo opus Creationis, cùm sit opus sexti diei. Dein conclusio Viri Celeberrimi est universalis affirmans: *Uniuscujusque diei*, qui continetur spatio hexaëmeri creationis, *opera momento, non successivè fuerunt peracta*, prout habetur §. 10. Loc. V. cui propterea contradicitur per particularem negantem: *Quorundam dierum opera momento fieri implicat contradictionem*. Ego vero nusquam argumentatus fui à particulari ad universale. Quid verò ad majorem Dei gloriam faciat nos sæpè à priori definire non possumus, ideo à posteriori potius dicendum est nobis, id facere ad majorem Dei gloriam, quod factum esse novimus, quàm id quod fieri tantùm posse dicimus. At nego, ad majorem Dei gloriam facere, quòd uniuscujusque diei opera momento fuerint facta, non magis, quàm quod statuunt quidam è Patribus, omnia opera Creationis, quæ per sex dies à Mose distinguuntur, momento fuisse peracta. Quod porro dicit unumquodque ex variis operibus sextæ diei fuisse absolutum, dicit tantùm, non probat. Animam Adami momento fuisse creatam & cum corpore conjunctam facilè concedo, non item: *Adami corpus momento Deum creavisse ex pulvere terra, momento costam revulsisse, momento Evam ex eo fabricatum esse*; quæ citra probationem evidentem, ut admittam, non est necesse. Sed & quòd somnus duravit per aliquod tempus, cum ista somni continuatio à Deo fuerit profecta, fueritquè opus sexti diei, evincit hoc ipsum opus sexti diei momento non fuisse absolutum, quæ mea fuerat conclusio. Similiter dicendum de animalium adductione, quam concedit successivè fuisse factam, licet impetum veniendi ad Adamum putet eadem momento accepisse.

LXXXII. Altera pars rationis meæ tertiæ spectabat separationem aquarum tùm superiorum ab inferioribus tùm earum separationem sive fluxum intra terræ cavernas & ad depressiora terræ loca, quam probavi, momento factam non posse concipi, quia debuit fieri per motum cujus tota natura in successione consistit. Quomodo ergo dicit, *me nullam posse reddere rationem, ex quâ fingam, non momento fuisse factam?* Sic enim pergit art. 56. *Quantum ad aquarum separationem, negamus eam momento fieri nequivisse. Si agat Censor de separatione aquarum superiorum ab inferioribus secundo die, nullam potest reddere rationem, ex qua fingat eam momento non factam fuisse: Si de aquarum secretione à terrâ tertio die, quemadmodum Deus momento effecit ut terra sive arida, aquis, quibus cingebatur undiquè, superemineret, quod non potuit fieri, quin eo ipso, meatus & cavernas & declivitates in inferioribus & interioribus suis partibus, consequeretur, ita eodem momento indidit motum aquis per quem inceperunt confluere & moveri ad illas cavernas & per eos meatus ac declivitates; Agnosco utique motum illum successivum; sed debes unà agnoscere momentum, quo illum motum Deus aquis inspiravit, aridam ab earum mole liberando & explicando.* An verò aquæ superiores ab inferioribus, quæ antea erant conjunctæ inter se invicem, magis possunt concipi separari absque motu, ut evadant superiores, quàm aquæ terram anteà tegentes se recipere intra cavernas terræ & ad ejus depressiores partes confluere? atquè hic motus æquè est opus Dei, atquè istius *motus*, ut loquuntur, *inspiratio*, & ipsa separatio per illum motum facta est, unde negari non potest, *eam separationem momento fieri nequivisse.*

CAP. VIII.

Usus Philosophiæ in considerandâ quantitate Mundi. Hæc uti docet, Deum non esse extensum, atquè adeò nec habere extensionem infinitam, ità tradit mundum esse extensionis indefinitæ. Mundum tamen potius indefinitum dici, quàm Infinitum, quamvis nullam repugnantiam deprehendat, si mundus dicatur actu infinitus.

LXXXIII. DE mundi quantitate agit & Philosophus & Theologus, potestquè consideratio Philosophica Theologo insignem præbere usum. Theologus nempe, postquàm didicit ex Mose,

Deum Auctorem esse & Creatorem totius hujus Universi, quod nomine Cœli & Terræ comprehendi solet in sacris literis, inde rectè colligit, omnes illas creaturas, totumque hunc mundum, perfectionis suæ aliquos limites habere, cum nequeant habere independentiam, quâ negatâ etiam alias perfectiones soli Deo proprias iis negari est necesse, atque hoc sensu solum Deum Infinitum dici, reliqua omnia finita, cui Philosophia planè concinit. Quod si porro Theologus hujus Universi naturam consideret, quæ in extensione consistit, facilè attendendo ad Dei perfectionem infinitam, quam passim prædicatam in scripturis reperit, & in consilium adhibitâ Philosophiâ videre potest, Deum non admittere extensionem, quæ minor quædam est perfectio atquè adeò imperfectionem implicat. Philosophia docet, passivè tantùm adeoquè dependenter planè se habere extensionem, etiam dum partes ejus moventur, adeoquè dum maximè actuosa est. Non enim fluit iste motus ex naturâ materiæ, neque ullo modo cum eâ est connexus, sed ab eâ potest abesse, cum materia nihilominus sit extensa, etsi ut quiescens concipiatur. Variatio igitur formarum & modorum, quæ ex isto motu exoritur, (quæquè ipsa in Deum immutabilem cadere nequit) non est adscribenda inerti & ex se otiosæ materiæ, sed aliunde planè dependet iste motus, & extrinsecus introducitur, à quo variatio illa ortum habet. Deo igitur extensio non potest adscribi, qui nullo modo passivè se habere potest, neque aliunde quid recipere, cum sibi ipsi plenissimè & perfectissimè sufficiat. Quod si verò extensionem concipias sine motu, non tamen in eâ poteris cogitare ad motum repugnantiam, sicque poterit recipere motum, adeoquè variationem, atque ita passivè se habebit, quod de Deo cogitari nequit. Neque verò dici potest, in Deum non quidem cadere extensionem finitam, sed tamen infinitam ei non esse denegandam, quam multi incautius de Deo Philosophantes, dum ubiquè diffusum concipiunt, ei assignant. Nam extensio etsi infinita dicatur, omnia tamen habet, quæ sunt extensionis, atquè adeò possunt semper in eâ concipi partes, quas cogitatione possumus præscindere, atque adeò juxta dicta passivè se semper habebit.

LXXXIV. Alia quoque suppeditat Philosophia argumenta, ex quibus intelligi potest, extensionem omnem à Deo esse removendam. Si enim Deus esset extensus, posset utique, quæ est natura extensionis, in partes dividi. Vel ergo unaquæquè pars sibi ipsi ad existendum sufficeret, vel non. Si posterius dicas, pars utique ista esset creatura, quæ à Deo conti-

continuò penderet, atque ab eo continuò produceretur, sicque ad Deum nihil magis, quàm reliquæ creaturæ, pertineret, quod est contra hypothesin, cum ut pars Dei fuerit concepta. Si verò unaquæque res sibi ipsi ad existendum sufficit, unaquæque necessariam existentiam involvit, & per consequens erit Deus. Sic igitur plures erunt Dii, quod manifestam implicare contradictionem, attendenti ad naturam Dei patet. His adde, quòd semetipsum actuare ejusque esse intimè conscium, longè major sit perfectio quàm semetipsum actuare non posse, quod est extensionis quâtenus talis, juxta superius dicta. At Deus non potest concipi, nisi ut summa perfectio. Non igitur potest ei assignari aliqua perfectio, quâ major potest reperiri. Neque enim est, quod dicas, utrunque, &, semetipsum actuare, &, esse extensum, esse perfectionem in suo genere, & proindè non esse inter se invicem commensurandas. Conveniunt enim in eo, quòd utrumquè sit perfectio, unde inter ea potest institui comparatio & commensuratio. Est enim in altero quid quod alteri deest, quòd tamen in se est perfectio absoluta, cujusmodi est, *semetipsum actuare*; quod igitur istam perfectionem absolutam in se non complectitur, ut extensio, id imperfectum est dicendum, carens quippe perfectione absolutâ, nec propterea ullo modo Deo est attribuendum. Atque ita Theologus, dum Deum Infinitum statuit, cavere debet, ne id de extensione, aut diffusione, quæ est quædam extensio, sed de summâ ejus perfectione intelligat, sicque distinctum conceptum de Infinitate Dei efformet.

LXXXV. Idem autem de mundi quantitate cogitans, dicit ex Jerem. XXXI. 37. *non mensurari posse Cælos supernè*, atque in consilium adhibendo Philosophiam inde cognoscit, id non tàm ex mentis humanæ imbecillitate aut impotentiâ aliquâ proficisci, quàm ex ideâ mundi, quam quilibet in se talem experitur, ut nullos in eâ terminos valeamus concipere, quin, positis quibuscunque mundi terminis, semper ultra eos aliquid extensum concipiamus, quod multi sub nomine vacui aut spatii considerant, non attendentes, se isti vacuo sive spatio reverâ assignare extensionem hoc est reale attributum, & per consequens reverâ ut corpus concipere, cùm non Entis nulla sint attributa realia. Unde patet, non posse fines mundi concipere, atque ubicunque illi fines ponuntur, non esse fines mundi, sed tantùm fines corporis alicujus particularis, quantumvis magni, ultra quod iterum aliud concipiant, quod simul cum priori ad mundum constituendum pertineat. Sic ergo quòd quidam extra hunc mundum spatia conci-

piant imaginaria in infinitum extensa, inde est, quòd habeamus talem mundi ideam, ut, quoscunque ei assignemus fines, semper ultra eos aliquid extensi concipiamus. At error eorum in hoc consistit, quod non attendentes, ideam spatii & corporis non nisi ratione differre, quamvis in illis reperirent reale attributum, extensionem, mallent ea imaginaria quàm realia appellare. Sic quoquè ex istâ ideâ mundi exorta fuit quæstio illa Henrici Mori Angli, quæ est 68. epistolæ primæ partis Cartesii. *Si quis*, inquit, *mundi hujus finibus prope assideret, quæro, an possit gladium per mundi latera ad capulum usque transmittere, ita ut totus fere gladius extra mundi mœnia emineret. Quod enim nihil extra mundum sit, quod resistat, videtur factu facile; quod autem extensum sit extra mundum quod recipiat, videtur ex ea parte impossibile.* At in istiusmodi quæstione mundus sumitur perperam pro compage Terræ & eorum Cœlorum, quousque visus noster se extendit, cum mundus sit compages omnium corporum, etiam remotione suâ longissimâ visum nostrum non incurrentium. Cum igitur juxta ideam nostram debeamus judicare, atquè id, quod in cujuslibet rei ideâ reperimus, ei oporteat assignare, opus igitur est, ut cum tantam in ideâ mundi reperiamus extensionem, ut majorem eâ concipere non possimus, eam quoq; ei assignemus, & per consequens fines in mundo non debemus concipere, quia si id faceremus, majorem extensionem conciperemus eâ, quæ est mundi.

LXXXVI. Ex his apparet, *quomodo olim spatia imaginaria scholasticorum quorundam cum* Celeberrimo Viro *improbaverimus*, quod dicit art. 65. quia nempe hi pro imaginario perperam habebant, cui attributum reale, extensionem assignabant. At dicit ibidem: *nunc nos eousque ex nominalibus in reales abiisse, ut realia spatia in infinitum extensa supra & ultra Cœlos cœlorum propinemus juventuti Christianæ, quo scilicet aliquid Deo & mundo majus cum Hermogene concipere assuescat, & obstrepere Calvino lib. 1. Instit. cap. 1. §. 1. Certe quantumvis latè pateat, cœlorum circuitus est tamen aliqua ejus dimensio: Nunc si quis cum Deo expostulet, quod centuplo superet vacuitas, an non piis omnibus detestabilis erit petulantia?* &c. his adjungit 2. seq Test. Augustini, quæ qui contulerit cum iis quæ à nobis præced art. & à Cartesio Princip. II. parte, art. 21. & Tomo I Epist 67. & 69. fuerunt dicta, facile videbit Clariss. Virum mentem Cartesii, & horum qui ejus Philosophiam sequuntur, non esse assecutum. Non enim *realia spatia in infinitum extensa supra & ultra Cœlos Cœlorum dicimus*, sed mundum, ad quem pertinent Cœli Cœlorum, in indefinitum dicimus extensum, & quæ alii

spatia

ſpatia imaginaria extra mundum dicunt ſe concipere, ea dicimus eſſe realia & ad hunc ipſum mundum pertinere, ſed illos conceptum mundi perperam aſſignaſſe corpori illi, ultra quod majus poteſt concipi, quod mundus appellari non debet, ſed tantum pars aliqua mundi. Quouſque verò corpus iſtud, quod Cœlos Cœlorum ſcriptura appellat, ſe extendat; an ſupra illud alia corpora, quæ non ſint Cœli Cœlorum, ſint concipienda, nec ne, indeterminatum relinquimus. Quod ſi quis per Cœlos Cœlorum intelligere velit, quicquid eſt extenſionis ultra Cœlos illos viſibiles, nihil repugnabit, quò minus illis indefinitam extenſionem poſſimus aſſignare. Sic non docemus Deo & mundo majus quid concipere, cùm mundo aſſignemus tantam extenſionem, quâ majorem concipere non valemus. At hoc faciunt, qui mundo finitam aſſignant extenſionem, quæ ſane ſi detur, poterit numero aliquo ſemidiametrorum terræ, quantuscunque etiam ſit, menſurari, adeoque poterit concipi majus mundo corpus. Locus Calvini non minus obeſt ſententiæ Venerandi viri, quam meæ. Satis enim apparet, quod Calvinus *vacuum extra mundum concipiat*, quod Vir Venerandus negat. Auguſtinus de Civit. Dei lib. 11. cap. 5. agit de infinitis locorum & temporum ſpatiis ante mundum conditum, de quo hic non eſt quæſtio.

LXXXVII. Non video autem, quomodo poſſit ſtatui mundus finitus, & tamen inpugnari ſpatia imaginaria extra mundum; cùm eo ipſo, quo impugnantur, concipiantur extra mundum. Niſi enim conciperent qui contra ea pugnant, non perciperent utique id, de quo diſputant; quid ergo diſputant de re quam non percipiunt? Si ergo & ipſi concipiant ſpatia extra mundum, cùm imaginaria non ſint, & hoc ipſum ſolum ſit implicans contradictionem, ut id, cui extenſio, hoc eſt, realitas quædam attribuitur, dicatur imaginarium, realia utique erunt, ſicque ad mundum pertinebunt, qui proinde dicendus eſt indefinitæ magnitudinis. Sed fortè quoſdam hæc difficultas arcet à veritate, quòd cùm audiant, iſta ſpatia, quæ aliqui extra mundi fines tanquam imaginaria concipiunt, à nobis realia appellari propter extenſionem quæ in iis percipitur, exiſtiment, extenſionem iſtam non debere referri ad *Mundum*, cùm in eo præter extenſionem videantur ſibi percipere varias qualitates ſenſibiles, lucem, colores, calorem, frigus, &c. his igitur reſpondemus, nos quidem ex ideâ mundi, de illis corporibus, quæ ſunt ultra cœlos viſibiles, nihil aliud poſſe dicere, quàm quòd ſint extenſa, cum in ſenſus noſtros non incurrant,

quem-

quemadmodum si quis ibi esset constitutus, ubi est remotissima quam videmus stella, de nostrâ Terra, Lunâ & planetis, nihil aliud quoque perciperet, quam meram extensionem, modum verò extensionis & per consequens qualitates illas sensibiles, (quæ nihil aliud sunt, quàm certæ quædam modificationes & variationes istius materiæ à motu ortæ, unde variæ istiusmodi perceptiones in nostris sensibus oriuntur, prout à Cartesio in II. Principiorum parte est demonstratum) ignoraret. Inde tamen non sequetur, non esse istius materiæ, quam ultra Cœlos visibiles percipimus certam quandam extensionis modificationem, quæ in nobis si adeò propinqui essemus, ut in sensus nostros posset incurrere, variarum qualitatum sensibilium perceptiones posset excitare.

LXXXVIII. Sic Theologus, si in consilium velit adhibere Philosophiam, poterit discere, quantitatem mundi esse tantam, ut nullis majoris corporis conceptum formare queamus, dùm Philosophia ipsum ad ideam mundi jubebit attendere, & juxta eam formare judicium. Sed & alio argumento id probat, dum jubet nos attendere ad infinitam Dei perfectionem, & ab altera parte ad nostram infirmitatem, quod argumentum videre licet apud Cartesium Princip III. §. 1. & 2. *De quâ* (generali totius mundi hujus adspectabilis constructione) *ut rectè philosophemur, duo sunt imprimis observanda: Unum, ut attendentes ad infinitam Dei potentiam & bonitatem, ne vereamur nimis ampla & pulchra, & absoluta ejus opera imaginari; sed è contrariò caveamus, ne si quos fortè limites, nobis non certo cognitos in ipsis supponamus, non satis magnificè de creatoris potentia sentire videamur. Alterum ut etiam caveamus ne nimis superbe de nobis ipsis sentiamus. Quod fieret non modo, si quos limites, nobis nulla cognitos ratione, nec divinâ revelatione, mundo vellemus affingere, tanquam si vis nostra cogitationis ultra id, quod à Deo reverà factum est, ferri posset;* quod argumentum satis cum Theologiâ concordat, quæ undique Deum gloriosum nobis repræsentat, & nos, comparatione cum ipso factâ, cinerem & pulverem esse docet.

LXXXIX. Ita ergo de mundi quantitate philosophatus Renatus des Cartes, & nos cum illo, *Mundum tamen indefinitum potius quam infinitum voluit dicere, ut nomen infiniti soli Deo reservaretur,* Princip. I. §. 27. *quia in eo solo omni ex parte, non modo nullos limites agnoscimus, sed etiam positive nullos esse intelligimus,* quod Epistola 69. ad Henricum Morum hoc modo exprimit: *Dico idcirco mundum esse indeterminatum vel indefinitum, quia nullos in eo terminos agnosco, sed non ausim vocare infinitum, quia percipio Deum esse*

mundo

mundo majorem, non ratione extensionis, quam ut sæpe dixi nullam propriam in Deo intelligo sed ratione perfectionis, & Epistol. 36. Tom. I. sic inter Infinitum & Indefinitum distinguit: *Ut dicamus rem aliquam esse infinitam, oportet ut habeamus rationem, quæ faciat, ut talem cognoscamus, quam non nisi de Deo solo possumus habere, sed ut dicamus, eam esse indefinitam, sufficit quod non habeamus rationem, quâ possimus probare, quòd habeat limites. Ita mihi videtur, nos non posse probare, nec concipere etiam, quod sint limites in materia, ex quâ mundus est compositus.* Et paulò post: *sed non possum propterea negare non posse esse forte limites à Deo cognitos, quamvis mihi sint incomprehensibiles.* At Celeberrimus Vir, cui probare hæc nostra hic satagimus, art. 61. inquit, Cartesii *sectatores, etiam qui Theologi volunt haberi eousque processisse temeritatis, ne dicam impietatis, ut infinitatem mundo auderent adscribere*, quod in s. qq. quoque passim inculcat. Verum is, qui negat mundum finitum, aut qui negat, infinitatem extensionis mundi implicare contradictionem, quæ duo sola (NB) in meis dictatis potuit deprehendere, non asserit, mundum esse infinitum. Nam & indefinitum qui statuit mundum, negat quidem esse finitum, sed propterea mundo infinitatem non adscribit.

XC. Sed pergit & putat §. 62. *Cartesium nec satis circumspectè nec satis Christianè in eo locutum fuisse.* Reddit rationem prioris: *Nam primum,* inquit, *accurati philosophi non erat limites, quos Deo abrogat, conferre cum limitibus, de quibus dubitat sintne mundo tribuendi, nec ne: Nam limites qui Deo abrogantur, sunt utique limites perfectionis, virtutis & potentiæ: at in limites mundi dum inquiritur, intelliguntur limites extensionis, alterius plane ordinis & naturæ.* Sed quæ major potest esse circumspectio, quam adcò accuratè sibi cavere à confusione Dei cum creaturis, ut & aliis verbis censeas utendum de Deo ac de creaturis? Quod facit Cartesius, qui propterea solum Deum dicit infinitum, alia omnia potius censet indefinita quam infinita dicenda. Distinguit expressè inter extensionem & perfectionem, & per consequens inter limites extensionis & perfectionis, extensionem à Deo removet, & per consequens ejus quoque modificationem per limites, perfectionem & Deo & mundo assignat, sed huic finitam, illi verò infinitam: Mundo verò extensionem tribuit, ac de modificatione istius extensionis hactenus ex ideâ mundi est persuasus, ut censeat nullam majorem extensionem mundi extensione concipi posse; quo nomine ista extensio sit nominanda deliberat, quam cum finitam non deprehendat, infinitam tamen appellare non vult, ut nomen infiniti soli Deo servet. Confert

fert ergo limites, quos Deo abrogat, cum limitibus, de quibus quæri potest, an mundo possint assignari, non ut confundat inter se invicem, sed ut distinguat, quæ utique collatio hoc sensu vitio verti non potest, sed potius laude digna censenda, tanquam argumentum doctrinæ accuratæ.

XCI. Gravior est quæ sequitur accusatio: *Sed Achristianum est dubitare de limitibus rerum creatarum & mundi num dentur, nec ne:* probat id ex Scriptura, his verbis; *quid quod Scriptura non uno loco docet, Deum posuisse suos limites & terminos, non solum singulis creaturis, ut terra, mari, nubibus, sed etiam earum universitati, quod satis colligere est ex Iobi xxvj.* 7.8.9. 10. *xxviij.* 24. *xxxviij.* 5. 6. 7. 8. *&c. Psalmo* CIV. 2.3.5. *Prov. viij.* 27. 28. 29. *Esai. xl.*12. *& alibi.* Achristianum est Christi contradicere verbo & doctrinæ, vel in moribus se indignum Christo servatore nostro gerere. Videamus ergo, an Scriptura doceat, Deum posuisse mundo suos limites, extensionis scil. de quibus hic est quæstio, ullo ex locis citatis. At omnes illi loci, Iobi XXVI. 7. 8. 9.10. XXVIII. 24. XXXVIII. 5.6.7.8. Psal. CIV. 2. 3. 5. & Prov. VIII. 27. 28. 29. agunt de corporibus variis particularibus, non de corporum universitate, quo nomine mundum intelligimus, unde nihil plane ad rem faciunt. Locus verò Esa. XL. 12. tantum abest ut probet mundum finitum, ut potius particularia quoque corpora doceat ab hominibus nullâ mensurâ posse determinari.

XCII. Quoniam autem contra hanc sententiam Cartesii, de mundi quantitate indefinitâ argumenta quædam objiciuntur, quibus probari intenditur, mundum esse actu finitum, imò implicare contradictionem, dari infinitum extensione, atque his omnibus ex doctrinâ Philosophi facile censuerim posse iri obviam, cum ad indefinitum requiratur, ut non possit probari, mundum habere limites, juxta art. 85. & Vir Celeberrimus mundum quoque finitum in suo systemate quibusdam argumentis asserat, dictavi olim breves quasdam ad ea responsiones, quæ visum est art. 65. & & seqq. vindicare. Sed pace ipsius dixerim, mihi nondum esse satisfactum, nec pondus eorum assertum. Argumentum suum primum meamque responsionem ad illud proponit art. 65. *Probaveram,* inquit, *in meo systemate V. S. Extremum cœlum, eo quod sit corpus, suo loco & spatio commensurato finiri & terminari debere. Nec enim in infinito mundum esse conditum, ut olim Metrodorus volebat, sed spatium, quod occupat, esse locato adæquatum. Respondetur à non nemine, ex eo non sequi, quòd debeat mundus, aut extimum cœlum certis terminis definiri, cum ad naturam corporis requiratur tantum extensio*

tensio non verò finis istius extensionis ; Nec inde quod mundus vel extimum cælum spatio certo contineatur quod est adæquatum locato , magis dici posse, an spatium illud sit finitum an infinitum, quam an mundus sit finitus an infinitus.

XCIII. Hìc verò regerit. *Verum* , inquit , *ea ratione primo satis profitetur, se affinem esse delirii Metrodori hominis gentilis & impii, siquidem inter suam & illius sententiam nihil notat discriminis.* An ergo non novit Clarissimus Vir , quid sit discriminis inter meam & Metrodori sententiam ? Metrodorus unà cum Epicuro aliisque plurimis philosophis ponebant infinitos mundos in infinito , & ad id probandum is utebatur hoc argumento : *absurdum esse ut una spica in magno campo produceretur , & pariter unus mundus in infinito.* At me secum agnoscere , non tantum unum esse mundum sed etiam plures esse non posse, apparet ex dictatis meis, in quibus argumentum ejus , quod habet Loc. v. §. 17. quod nullum spatium intermedium intercedere posset, inter duos mundos deduxi. *Si duo essent mundi*, duo ibi, *intercederet inter illos vel spatium aliquod vel non , si intercedat aliquod spatium, illud eo ipso quo est extensum est corpus , & sic duo illi mundi per illud spatium conjungerentur, & per consequens non essent amplius duo, sed unus. Si vero nullum spatium intercedat , ergo jam sunt conjuncti & per consequens tantum est unus mundus, inter quæ enim nihil intercedit, illud non est distinctum. Propterea habemus ideam mundi indefinitam , ita ut positâ quâvis magnitudine mundi semper aliquid ulterius extensum concipiamus ; itaque non potest excogitari locus, sive spatium in quo novus mundus poneretur , cum omnia spatia imaginabilia jam sint impleta à nostro mundo, debemus autem judicare ex ideis claris & distinctis, & id statuere de rebus , quod in earum ideis clarè & distinctè percipimus.* An ergo oculos tantum advertit ad pauca ea , in quibus ab ipso dissentio ? an præ irâ in me conceptâ non potuit videre tam multa dictata quæ faciunt ad illustrandum , explicandum & confirmandum ejus systema ? Sed & Metrodorus nescio quod infinitum vacuum cogitabat cum suo Epicuro & tota sectâ Italicâ, in quo volebat infinitos conditos mundos, ut totum illud vacuum impleretur : Ego verò omne vacuum rejicio , quod & ipse satis novit, quando art. 63. dicit. *Qui olim, cùm minus saperent , spatia imaginaria scholasticorum quorundam nobiscum ceu commenta cerebrina improbabant.* Non ergo erat, ut notarem discrimen illud , quod per se meis discipulis patebat ; neque ut ille meam sententiam affinem Metrodori diceret, cum tamen inter eas discrimen facile, modò vellet, videre posset.

XCIV. *Secundò* inquit Vir Celeberrimus, *dum supponit corpus posse dari*

infinitum, cui adæquetur spatium quod occupat duo sunt infinita ejusdem ordinis, &c. quod utique ex meâ sententiâ sequi nullo modo patet, cum statuam, spatium & corpus, quod illud occupat, non realiter sed solâ ratione differre, quod passim in meis dictatis videre potuit, inter alia ex notâ præced. art. citatâ. Sic non duo facio infinita ejusdem ordinis, sed tantum statuo, non implicare contradictionem, si mundus extensione infinitus appelletur.

XCV. Pergit: *Tertiò planè ἀφιλόσοφον est, ita requiri extensionem ad naturam corporis, ut illius extensionis finis non requiratur*; Quî sic? *Nam*, inquit, *cum extensio corporis fiat in longum, latum & profundum, adeoque omne corpus trinâ constet dimensione, non capio pro meo stupore, quî possit fieri, ut ipsum corpus, ejusque extensio non debeat finiri & terminari: Si infinitas concipiatur in corporis extensione, erit simpliciter defectiva, quod non habeat perfectionem omnem sibi debitam, ut scriptus & in tergo necdum finitus Orestes.* At si corpus ponatur infinitum, ista trina dimensio quoque erit infinita, hoc est, erit corpus quo ad longitudinem, latitudinem & profunditatem in infinitum extensum. Neque hæc infinitas erit defectiva sed potius perfectiva, cum fines ponant defectum, non eorum negatio, nisi in sono vocabulorum hærere velimus. Altera ratio quâ putat planè ἀφιλόσοφον esse meam sententiam, est: *Tum implicat contradictionem dari tres dimensiones in corpore infinitæ extensionis: Nam possunt dimensiones mensurari. Sed extensio infinita mensurari nequit; Ad quam enim ulnam vel decempedam illa mensuratio fieret? Nec etiam infinito quicquam demi potest; tùm desineret esse infinitum: Sed nullum est corpus, de quo aliquid demi non poterit, cum sit divisibile in infinitum: Ergò nullum est corpus quod possit infinitum statui. In infinitum enim actu, majus & minus, accretio & diminutio cadere nequit. Et qui propugnant ubiquitatem carnis Christi, facile reperirent subsidium suæ causæ in hoc paradoxo. Si enim non repugnat, dari corpus quod sit infinitæ extensionis, quare repugnabit corporis Dominici præsentiam extendi vel infinitè vel indefinitè ad omnia spatia?* Nisi velit hærere in vocabulo *dimensiones* (quo uti hic non est opus, quando agitur de corpore infinito, cujus essentia consistit in extensione undique infinitâ, in longum, latum & profundum, cum vocabulum dimensionis quid respectivum sive relativum inferat) dicerem, dimensionem infinitam non posse mensurari. Relinquamus igitur potius hoc vocabulum, quod obscuritatem pareret. Ego verò nego extensionem infinitam in longum, latum & profundum posse mensurari à creaturis, cum ab iis nequeat comprehendi.

prehendi. Etsi autem corpus quodvis sit divisibile in infinitum, adeoque etiam corpus infinitum, si detur, non tamen per istam divisionem, quid corpori infinito demitur; Non enim per istam divisionem pars illa abit in nihilum, sed cum nunc huic parti fuerit juncta, pòst cum aliâ conjungitur, & novam tantum relationem, amissâ priori, suscipit. Pro ubiquitate carnis Christi nihil hic reperitur præsidii. Quæ enim hæc erit consequentia? si non repugnat mundum in infinitum extendi, etiam non repugnat corporis Dominici præsentiam extendi vel infinitè vel indefinitè ad omnia spatia. An ergò corpus Dominicum non est corpus humanum certâ figurâ, certis lineamentis, certisque terminis constans? An non distinctum est ab aliis corporibus humanis? An non distinctum ab aliis quoque quibusvis corporibus particularibus, sole, lunâ, terrâ? &c. An debet itaque corpus Christi commensurari mundo, qui notat compagem omnium omninò corporum? Sic cum ubique esse, ex sententiâ Clarissimi Viri, sit esse in omnibus locis, in quibus est mundus per suas partes (negat enim spatia extra mundum) an ergò sequetur, non repugnare corporis Dominici præsentiam extendi ad omnia spatia, in quibus est mundus per suas partes?

XCVI. Art. LXVI. & LXVII. repetit Vir Celeberrimus argumentum suum secundum in systemate propositum, illudque vindicat. *Pertenderam*, inquit, *in meo systemate soli Deo infinitatem esse tribuendam, ut saltem Cartesius illi soli nomen infiniti optavit reservari, eo quod præter Deum non detur infinitum actu. Idem respondet in hac verba; Alia est longè ratio infinitatis Dei quam infinitatis mundi, si mundus esset infinitus; Dei enim infinitas est perfectionis, mundi verò esset tantum extensionis, cujusmodi in Deum non cadit; cum omnis extensio imperfectionem implicet, sive ea sit finita sive infinita, mundus eo ipso quod est extensus, non potest dici infinitus perfectione.* Huic meæ responsioni regerit, *plura in eâ esse σφάλματα quam vocabula*: Ea ergò videamus. *Primò enim*, inquit, *etsi pyrrhonice loquatur de mundi infinitate, tamen putat mundum posse concipi & revera dari infinitum actu, ut Deus infinitus actu est statuendus; alias dixisset, Deo convenire infinitatem actualem, & categorematicam, mundo non nisi potentialem & syncategorematicam, quod vulgò dicitur, non tot quin plura; Nec enim tam magnus mundus concipi potest, quin adhuc major posset fieri, si Deo ita videretur.* Pyrrhonicè me dum dicit locutum de mundi infinitate, agnoscit ergò, me *infinitatem mundo non audere adscribere*, quo tamen nomine Cartesii sectatores accusavit, in fine art. 61. Non re-

pugnare puto, posse dari *mundum actu infinitum*, sed talis mundus infinitus actu, non nisi convenientiam nominis haberet cum Deo, qui dicitur *actu infinitus*. At perperam à convenientiâ nominis argumentum ducitur ad convenientiam rei. Illud *actu infinitum* quale mundus diceretur, totâ naturâ differt à Deo *actu infinito*, qui complectitur omnes perfectiones, cum mundus, etsi infinitus daretur, implicet imperfectionem. Quomodo major aut minor mundus possit fieri, cujus tantam habemus ideam, ut nullum majus eo corpus concipere queamus, fateor me non concipere; at quid Deus non possit, non audeo determinare, cum finitum me sciam, Deum vero infinitum.

XCVII. *Deinde, sic pergit, non video qui extensio ut est modus entitativus & proprietas essentialis ipsius corporis, imperfectionem implicet; cum sit ipsius corporis constitutiva & perfectiva: Quod si forte putet, esse imperfectionem comparative ad Deum, in quem extensio non cadit, pari ratione posset dici, visibilitatem in sole, visibilitatem in homine, mobilitatem in corpore, esse annumerandas rerum illarum imperfectionibus, quod Deus sit expers earum. Quidni pari ratione, cogitatio humanæ mentis imperfectio erit illius, siquidem alterius plane est ordinis, quam cogitatio divina? si Esaiæ credamus Esa. Lv.* 8. 9. Dixi *extensionem omnem implicare imperfectionem, & proinde in Deum cadere non posse*, quod quia Vir Venerandus inquit, se non intelligere, videat art. 83. & seqq. hujus Tractatus in quo plenius meam mentem explicui. Conferat distinct. Castanæi pag. 162. in fine: *Perfectio secundum quid, seu in genere certo, quæ in conceptu formali, aliquam imperfectionem includit. Et ejusmodi perfectiones sunt in Deo eminenter, non formaliter.* Quod si velit *imperfectionem comparative ad Deum* appellare per me quidem licebit, modo cogitet, inde sequi, in Deum cadere non posse formaliter, quod Castanæus monet, & ego hoc meo argumento urgeo. Ejusmodi perfectio cujusvis creaturæ, quâ constituitur in suâ essentiâ, & differt à re quâvis aliâ, non est quidem mera imperfectio respectu creaturæ, sed tamen includit imperfectionem, & cum eâ est connexa, & propterea in Deum cadere nequit. Sic cogitatio mentis humanæ, non est quidem imperfectio mentis humanæ, quatenus eam constituit, sed implicat sive includit imperfectionem, cum non fiat uno actu, quippe in quâ est discursus quo progreditur à noto ad ignotum, quæ utique à Deo removenda. Tale igitur meum est argumentum: Quod ita est perfectio, ut tamen implicet sive includat imperfectionem id Deo tribui nequit: At extensio, &c. E. ubi quid negari possit equidem non video.

XCVIII.

XCVIII. *Praterea* dicit art. LXVII. *me impugnere in secta mea principia. Nam nihil extensum juxta Cartesianos, si secum consentiant, potest concipi infinitum actu: Etenim ut rejiciant Epicuri & Democriti atomos, statuunt vel minima corpuscula esse adhuc divisibilia in infinitum; ita ergo, ut suis stent principiis, debent profiteri, vel maxima corpora esse adhuc extensibilia in infinitum, adeoque infinitatem actualem, non posse vel maximo corporum, cujusmodi mundus est, competere.* At nulla planè est hæc ejus consequentia: *si minima corpuscula adhuc sunt divisibilia in infinitum: Ergo maximum corpus adhuc est extensibile in infinitum.* Quod enim minimum corpusculum est divisibile in infinitum, habet ex eo quod est corpus, adeoque extensum in longum, latum & profundum: Eo ipso ergò sequetur, posse & undique, tum respectu longitudinis, tum respectu latitudinis, tum respectu profunditatis aliquid demi. At natura corporis quâtenus talis, non infert, ut id possit in infinitum augeri, imo contradictionem implicat, ut maximum corpus & infinitum extensione adhuc magis augeatur.

XCIX. Addit ibidem: *Tum illa distinctio inter infinitum perfectione & extensione, est hic ineptissima & planè indigna istorum hominum claris & distinctis perceptionibus: Ideo enim negatur quicquam actu infinitum esse extensione, quia nihil actu est infinitum præter Deum quem omnes inextensum fatentur: Et, si mundus esset actu infinitus extensione, esset quoque talis perfectione; quia ejus perfectioni & amplitudini, nihil addi posset, nequidem ab ipso Deo, eoque deberet admittere definitionem infiniti, in quo semper aliquid sumendum restat, etiamsi bis idem non sumatur.* Huc faciunt ea quæ referimus huc ex art. LXII. *Si enim mundus limitibus careret, non amplius esset nobis magnitudinis indefinitæ, sed simpliciter & actu infinitus: at duo dari infinita actu, omnes Theologorum scholæ ideo sunt aversatæ, quod alias non implicaret contradictionem dari plures Deos infinitos; & commensuraretur ac coadæquaretur infinitas mundi infinitati Dei, contra quam testatur tam expresse scriptura 1 Reg. viij. 27. ubi Salomon profitetur quod Cœli Cœlorum ipsum non capiant, & Iob. xj. 7. 8. 9. Tzophar Nahamathites sic loquitur; An profunditatem Dei invenias, aut ad perfectionem omnipotentem reperias? Altior est altissimis Cœlis, quid agas? Profundior abysso, quid cognoscas? Longior terrâ mensura ejus & latior mari.* Sed ferre nequit distinctionem inter *infinitum perfectionis & extensionis*, quia per eam cadit totum istud ex art. 62. citatum argumentum: Dari enim duo infinita ejusdem ordinis omnino contradictionem implicat, atque ideo non possunt plures Dii dari, quia implicat contradictionem dari duo infinita perfectione,

fectione, quod enim summum est perfectione, id omnes perfectione superat, unde par ei dari nequit: at nulla erit contradictio, si poneretur infinitum aliud perfectione, aliud extensione. Neque commensuraretur aut coadæquaretur infinitas mundi infinitati Dei, cum sit alterius plane ordinis: Mensuram autem mensurato homogeneam esse oportet; non enim lac ulnâ metimur, aut pannum cantharo. At ille distinctionem illam ineptissimam vocat, quod, quo jure faciat, non videmus, cum distinctio quæ distinguit ea, quæ quàm maximè inter se invicem differunt, nullo modo inepta dici mereatur. At mallet ut hæreremus in generali & ambiguo conceptu *infiniti actu*, ut sic inferre posset, quia nihil est actu infinitum præter Deum: E. nihil est actu infinitum extensione. Huc facit quod habet art. 113. num. 18. ubi dicit, *me fateri* ad §. 59. *Syst. II. cum ratione pugnare, fieri infinitum actu*, omittens *perfectione*, sed negare, *repugnare ut fiat infinitum extensione aut numero*. Sed sic habet mea nota; *ut fiat actu infinitum perfectione repugnat quidem, sed non repugnat vel saltem non ostendi potest repugnare, ut Deus faciat actu infinitum extensione vel numero*. Consequentia autem illa per nostram distinctionem evertitur. Non sequitur, si nihil est actu infinitum perfectione præter Deum: ergo nihil est actu infinitum extensione vel numero: Hæc enim toto genere differunt. Si autem hoc sensu majorem ponas: Si nihil est actu infinitum extensione præter Deum: Ergò mundus non est actu infinitus extensione, rectè quidem procedet consequentia: Sed minorem Vir ipse Celeberrimus nolet subsumère. Ratio, quare hanc appellat distinctionem ineptam, sanè hoc non evincit. Si enim mundus esset actu infinitus extensione, non quidem posset ejus extensioni quid addi, sed quam diu negatur infinitus perfectione, tamdiu non concipitur ejus summa perfectio, quæ sola talis est, cui nihil addi potest. Mirari autem satis non possum, quod cum olim Syst. sui V. §. 29. rectè dixerit Deum infinitum, vigoris, virtutis, & perfectionis, à quo infinito perfectionis utique totâ naturâ differt, infinitum extensionis, nunc adeo sese opponat isti distinctioni.

C. Ultimum quod pertinet ad argumenti sui defensionem, prolixius propositum art. 67. totum huc redit, quod si *admittatur distinctio inter infinitatem extensionis & perfectionis, etiam debeat admitti Jesuitarum distinctio inter æternitatem perfectionis, quæ sit solius Dei, & durationis, quæ potuerit esse creaturæ*. Quibus addit: *Nec video qui possis concipere longitudinem actu in infinitum extensam à parte post, quin similiter talem concipias possibilem à parte ante,*

ante, ut non minus careat principio, quam fine. Ego verò nego hanc ſequelam, cum nulla ſit connexio inter iſtas diſtinctiones, nimirum *infinitatis* in eam, quæ eſt extenſionis & eam quæ eſt perfectionis, & *æternitatis* in eam, quæ eſt durationis & eam quæ eſt perfectionis, eò quod duratio & extenſio inter ſe invicem non cohæreant. Nec video ullam rationem iſtius ſequelæ adductam, niſi rationis vim obtinere debeant ultima hujus articuli verba, antea citata, ut ſcil. *per longitudinem poßibilem à parte ante* intelligam eam, quæ ab æterno duraverit, & *per longitudinem à parte poſt*, eam, quæ in æternum ſit futura, quo ſenſu ſi capiantur, carebunt iterum omni ſequelâ; niſi quoque putemus licere inferre, cum mundus quoad ſubſtantiam in æternum ſit futurus, (quod plurimi Theologi, & inter eos Vir Celeberrimus Loco XIV. Syſtem. art. 62. 63. ſtatuunt) eum quoque fuiſſe æternum à parte ante. Si verò per *longitudinem actu in infinitum extenſam à parte poſt*, intelligamus eam quæ nullum habeat finem extenſionis, & per *longitudinem in infinitum extenſam à parte ante*, eam, quæ nullum habeat extenſionis initium, utrumque quidem erit admittendum, ſi dicatur mundus infinitus extenſione, ſed hinc nihil roboris erit, ad introducendam diſtinctionem inter æternitatem perfectionis & durationis; Neque ſequitur, ſi longitudo non habeat initium extenſionis: Ergò nec initium durationis, ſicut non ſequitur: ſi longitudo non habet finem extenſionis, ergò nec habet finem durationis: diverſi enim hæc ſunt planè generis.

CI. Tertium argumentum cum meâ reſponſione, proponit Vir Clariſſimus art. 68. *Dixeram quoque,* inquit, *in meo ſyſtemate, vel ideo mundum eſſe finitum actu, quod partibus finitis conſtet.* Idem argumentum quoque propoſuit in fine art. 62. *Quid quod ratio ipſa dictat, quod totū conſtans ex partibus finitis, & terminatis, terminatum, & finitum eſſe oporteat?* Notam meam ad illud ſubjungit art. 68. *Quid ad hac noſter Heros? Partes illa mundi inquit, quas videmus & novimus, ſunt quidem finita, ſed illa qua in aſpectum noſtrum non cadunt, quamvis habeant initium, tamen an non extendantur in infinitum uſque à nobis determinari non poteſt.* Videamus quomodo illud defendat Vir Clariſſimus. Format id hoc modo: *Quicquid conſtat ex partibus finitis, actu finitum eſt, atqui mundus conſtat ex partibus finitis, ergò actu finitus: Sic enim omnis numerus, qui conſtat ex numeris paribus, par omninò debet eſſe, & totum quod conſtat partibus ſimilaribus, debet eſſe homogeneum, & ſimilare; nec poſſumus concipere, qui poßint partes mundi, quas non videmus, eſſe potius infinita quam illa,*

 qua

quæ cadunt sub visum nostrum; aut qui possit id quod habet extensionis principium, æquari ei quod habet principium durationis, & fine caret, atque sic extensum principium concipi sine terminis & fine. Cujus argumenti majorem sic limito: Quicquid constat ex partibus omnibus & singulis finitis, quarumque numerus est finitus, id actu finitum est, hoc sensu concedo Majorem, sed peto probationem Minoris. Posito, mundum extendi in infinitum, singulæ partes, quæ actu ab aliis partibus præcisæ & separatæ à reliquis spectantur, ut pecudes, homines, Sol, Luna, Terra, &c erunt quidem finitæ, sed restarent adhuc semper partes aliæ atque aliæ in infinitum abscindendæ, ita ut nulli earum fines sint vel esse possint. Largiatur hoc mihi Vir Clarissimus ut formet in animo suo conceptum infiniti mundi, extendatque hunc mundum in conceptu suo ultra minutissimas stellas, quas videmus, ipsemet sanè percipiet, post separatas omnes stellas, se semper reperire extensionem, à quâ in infinitum usque partes possint separari, ita tamen ut semper remaneant infinitæ. Sic poterit percipi, quomodo illæ partes, quæ cadunt sub visum nostrum finitæ sint, reliquis existentibus infinitis. Partes illæ quæ in aspectum nostrum non cadunt, habent initium ibi, ubi contingunt partes visibiles, sed quousque ulterius extendantur, dico non posse determinari. Non capio verò quid sibi velint hæc verba: *Aut quî possit id quod habet extensionis principium æquari ei quod habet principium durationis & fine caret, atque sic principium extensum concipi sine terminis & fine.* Ego enim de principio durationis aut fine nihil sum locutus, sed censeo potius, hæc expressè & accuratè esse distinguenda. Extensionis principium quoque nullum ponitur, si statuatur mundus infinitus extensione, sed potius undique quoad longitudinem, latitudinem & profunditatem in infinitum extensus erit concipiendus, quod jam antea dixi art. xcv. At ego qui pars sum istius mundi, possum facere respectu meæ cognitionis initium aliquod ejus partium, ubicunque voluero, sed inde undique in longum latum & profundum pergendo in infinitum possum progredi.

CII. Addit Vir Venerandus, *sed præsertim illo suo conceptu Vir Doctissimus evertit, quam volebat defendere actualem infinitatem mundi; Etenim, juxta ejus imaginationem, hac extensio in infinitum, non debebit prædicari de toto mundo, sed tantum de illis mundi partibus imaginariis, quæ non cadunt sub nostrum aspectum, & quas non novimus. Verum hæc cerebrina & fumosa idea infinitatis mundi, nata in spatiis imaginariis clararum & distinctarum perceptionum; ita*

fœtet

fætet omnibus bonis & doctis, ut postquam hæc scripsissem inciderim in Disputationem D. Perizonii, quâ prolixe refutatur. Ubi cogitare eum velim, quando mundus supponitur infinitus, intelligi, eum undique esse extensum in infinitum, non respectu omnium & singularum partium, quasi quævis pars esset in infinitum extensa: hoc enim sensu non posset dici, totum mundum in infinitum esse extensum, quâtenus, quibusvis partibus ablatis quæ cadunt sub nostram cognitionem, supersint partes infinitæ auferendæ in infinitum. Quod verò non omnes similiter philosophentur de mundi quantitate, sed quidam boni & docti eum ut finitum considerent, inter quos esse D. Perizonium intelligo, id oritur ex eo, quod non satis attendant ad ideam mundi quam habent, vel putantes verbum divinum docere mundi quantitatem esse finitam, abjiciant omne id quod ex Philosophiâ ei putant reluctari. Quo nomine nemini irascor, laudo potius, quod tanti faciant, verbi divini auctoritatem. Sed non dubito, quin ubi viderint, verbum divinum ei sententiæ non repugnare, si boni sint & docti, tanti sint æstimaturi veritatem, ut ab eâ se vinci & superari facile sint passuri.

CAP. IX.

Fines & consilia Dei, quæ nobis non revelavit non debemus scrutari, nec propterea ex finibus Dei particularibus rerum naturalium nobis incognitis est nobis argumentandum. Scriptura nos dehortatur à consiliorum Dei scrutatione, Rom. IX. 20. & cap. XI. 33. 34. 35. 36. Usus rerum non confundendus est cum fine Dei. Non dicendum est, res omnes, propter nos solos à Deo esse factos, quamvis aliquo sano sensu queat dici, omnia facta esse propter hominem.

CIII. EX infinitate Dei, sive summâ perfectione, comparatâ cum nostro valde finito intellectu deducit Philosophus Princ. I. §. 28. *non causas finales rerum creatarum sed efficientes esse examinandas.* Sic ille inquit art. 24. Princip. I. *Quod* (scil. ut scientiam perfectissimam, quæ est effectuum per causas, acquiramus) *ut satis tutò & sine errandi periculo aggrediamur, eâ nobis cautelâ est utendum, ut semper quam maxime recordemur, & Deum auctorem rerum esse infinitum & nos omninò finitos* & §. 28. *Ita denique*

nullas unquam rationes circa res naturales, à fine, quem Deus aut natura in iis faciendis sibi proposuit, desumemus; quia non tantum debemus nobis arrogare, ut ejus consiliorum participes esse putemus. Affinia iis sunt quæ habet Med. III. pag. mihi 26. edit. Elzevir. 1654. *Dum hæc perpendo attentius, occurrit primò, non mihi esse mirandum, si quædam à Deo fiant, quorum rationes non intelligam; nec de ejus existentia ideo esse dubitandum, quod forte quædam alia esse experiar, quæ, quare vel quomodo ab ipso facta sint, non comprehendo; cum enim jam sciam, naturam meam esse valde infirmam & limitatam, Dei autem naturam esse immensam, incomprehensibilem, infinitam, ex hoc satis etiam scio, illum innumerabilia posse, quorū causas ignorem, atq; ob hanc unicam rationem totum illud causarum genus, quod à fine peti solet in rebus Physicis, nullum usum habere existimo; Non enim absque temeritate me puto posse investigare fines Dei.* & alibi. Ex quibus inter se invicem collatis apparet, eum primo loqui de finibus rerum naturalium, sive operum Dei, quæ à Deo facta esse novimus, dein de finibus particularibus & specialibus, quos rejicit à Philosophiâ, de quâ sermo ipsi est, atque prohibet eum argumentandi modum, quo aliquid negatur factum esse à Deo, quia non intelligimus ejus rationem sive consilium, non verò agere de rebus Theologicis, quæ ex scripturis hauriuntur, nec de finibus universalibus, iisque quæ ex scripturis de his vel illis divinis operibus cognoscuntur. Hæc autem observatio auctoris istius, Theologo insignem potest præbere usum, ut sapere discat cum sobrietate, & quæ de mysteriis divinis invenit, revelata credat & miretur etiamsi non intelligat, nec rationes aut fines eorum habeat perspectos.

CIV. Nec abludit Apostolus Paulus, quando Rom. IX. miratur Dei judicium, quo fiebat, ut gentes admitterent Euangelium Christi, dum Judæi illud rejiciebant. Sic enim inquit versu 20. *Num dicet figmentum fictori, cur me tale fecisti?* & post pertractatam illam doctrinam Prædestinationis, ex quâ fiebat, ut gentes ad fœdus gratiæ admitterentur; sic concludit versu 33. *O profundas divitias tum sapientiæ tum cognitionis Dei! Quam imperscrutabilia sunt ejus judicia, & ejus viæ impervestigabiles!* 34. *Quis enim cognovit mentem Domini? Aut quis fuit ei à consilio?* 35. *Aut quis prior dedit ei, & retribuetur ei?* 36. *Nam ex eo, & per eum, & in ipsum sunt omnia. Ipsi sit gloria in secula, Amen.* In quibus gloriam Dei sapientiæ, justitiæ item & misericordiæ divinæ agnoscit, sed particulares rationes factorum & consiliorum Dei reddi posse negat. Sic nostri Theologi communiter agnoscunt, Electionis quidem & Reprobationis fines esse gloriam Dei miseri-

misericordiæ & justitiæ, sed cur elegerit Petrum & reprobaverit Judam, rationes reddi posse negant. Non possum quin hîc adjiciam Petri Suavis Polani observationem, cum his omnibus apprimè convenientem, qui agens de morte Zwinglii & Oecolampadii, quæ circa eadem tempora evenerat, ubi sic inquit lib. 1. pag. mihi 52. edit. 1658. *Catholici, inquit, utriusque mortem adscribebant providentiæ divinæ, quæ nationem Helveticam commiserata, dissensionum auctores subitis pœnis mulctâsset. Et quidem certe pia est & religiosa ejus cogitatio, tribuere Deo Deique providentiæ omnem humanorum eventuum dispositionem. Sed statuere finem ad quem summa illa sapientia res hominum dirigit, id arrogantiæ sive præsumptionis est proximum. Homines quidem amore tam arcto tamque religioso opiniones suas amplexantur, ut inducant animum credere, eas non minus Deo, quam sibimet ipsis esse charas & dilectas. Sed experientia eorum, quæ sequentibus annis acciderunt, facile evicit, pagos qui dicuntur Euangelici, post mortem horum virorum multò majores quàm antea in doctrinâ ab ipsis acceptâ fecisse progressus; illustri argumento, tam copiosam messem ab altiori causâ, quam Zwinglii coloni operâ provenisse.* Ex quibus satis apparet, in Theologiâ utile esse, ne temerè præsumamus judicare de finibus particularibus, quos Deus in hoc vel illo opere suo intendat.

CV. Sed mentem Philosophi nostri non videtur percepisse Theologus Celeberrimus, quando hæc annotat §. 69. *Per nos sanè licuerit ipsi ita philosophari, quamvis sic Dei potentia elucescat in rebus efficiendis, ut ejus Sapientia patescat in usibus ac finibus earum designandis: Nec putavit Galenus, se posse offerre sacrificium Deo acceptius, quàm ejus Sapientiam celebrando in usu & fine singularum partium, quibus nostra corpora constant.* Nihil enim reverâ est, quod contra istam Philosophi sententiam scripturæ ipsius auctoritate stabilitam queat cum ratione oggeri. Ea verò quæ hic objiciuntur jam antea objecta erant à Gassendo & refutata à Philosopho Resp. Quintis. *De iis quæ in meditationem quartam objecta sunt* statim ab initio: *Quæcunque deinde affers pro causâ finali ad efficientem sunt referenda. Ita ex usu partium in plantis, in animalibus, &c. effectorem Deum mirari, & ex inspectione operum cognoscere, ac glorificare opificem par est, non autem quo fine quicquid fecerit divinare.* Huc facit illud πολυθρύλλητον in Theologorum scholis; *Deus quidem vult hoc esse propter hoc, sed non vult hoc propter hoc.*

CVI. Ex Dei infinitate, collatâ cum mentis nostræ arctis limitibus, etiam sequitur, *cavendum nobis esse, ne nimis superbè de nobis ipsis sentiamus,*

quod piè valdè monet philosophus Princip. III §. 2. addens hoc futurum inter alia, *si res omnes propter nos solos a Deo creatas fingeremus*. Et ut mentem ipsius quivis posset assequi, addit §. 3. *Quamvis enim in Ethicis sit pium, dicere, omnia à Deo propter nos facta esse, ut nempe tanto magis ad agendas ei gratias impellamur, ejusque amore incendamur: ac quamvis etiam suo sensu sit verum, quatenus scilicet rebus omnibus uti possumus aliquo modo; saltem ad ingenium nostrum in iis considerandis exercendum, Deumque ob admiranda ejus opera suspiciendum: Nequâquam tamen est verisimile, sic omnia propter nos fa a esse ut nullus alius sit eorum usus. Essetque plane ridiculum & ineptum, id in Physicâ consideratione supponere; quia non dubitamus, quin multa exsistant, vel olim extiterunt, jamque esse desierint, quæ nunquam ab ullo homine visa sunt aut intellecta, nunquamque ullum usum ulli præbuerunt.* Hoc verò quin insignem habeat usum in Theologiâ, præsertim eâ, quæ vitam nostram & mores informat, extra omne dubium positum esse puto. Sic reprehenduntur illi, qui omnia ad se referunt, non secus, ac si ipsi essent mensura, regula & norma Universi, cujus tamen se tantùm exiguam esse partem agnoscere deberent. Hæc autem istorum opinio inde oritur, quòd opera Dei nimis exigua concipiant, atque terram, in quâ degunt, spectent tanquam primarium aliquod corpus, ad quod omnia astra & totum hoc vastissimum universum sit relatum. Hinc ergo, quia terra data est homini ad incolendum & ad inserviendum ipsius usibus, idque imprimis, quâtenus habet corpus menti arctissimè unitum, quod fovere & curare debet, sicque ea suo quodam sensu possit dici facta propter hominem, putant reliqua quoque propter se esse tantùm facta, ut nullum planè alium habeant usum. Quâ ratione fit, ut homo se affigat planè terræ corporique suo, eaque amet, desideret, sapiat, quæ propter ipsum sunt condita. Fundamentum autem istius opinionis explicat Cartesius Tomo II. Epistolarum pag. 7. *Sapius*, inquit, *experti sumus à nostrâ infantiâ, quod plorando aut mandando, &c. obtinuerimus obsequium nostrarum nutricum, & ea quæ desiderabamus, ut insensibiliter nobis persuaserimus, quod mundus non sit factus nisi propter nos, & quod omnes res nobis sint debitæ.*

CVII. Ut igitur ista opinio ex hominum mentibus, atque impietas, quæ illi superstruitur, evelleretur, monuit Philosophus non nimis superbè hominem de se sentire debere, nec putare, quòd omnia propter se solum sint facta, ut nullum alium habeant usum. Et sanè, stultam esse istam opinionem clarè satis demonstrari potest, quod malo Philosophi verbis, quàm

quam meis facere, quæ habentur Epistol. 16. tom. 2. pag. edit. Gallicæ 135. *Res est*, inquit, *per se manifesta, quod non possimus cognoscere fines Dei, si nobis eos non revelet. Et quamvis verum sit in Ethicâ, habito respectu ad alios homines, omnia esse facta propter gloriam Dei, eò quòd homines sunt obligati ad laudandum Deum propter omnia sua opera. Quamvis etiam possit dici, Solem esse factum ad nos illuminandum, quoniam experimur quod reverâ nos illuminet, esset tamen puerile & absurdum, asserere in Metaphysicis, Deum, ad similitudinem hominis superbi, non habuisse alium finem in constituendo Mundo, quam hunc, ut laudaretur ab hominibus, & quod Solem non creaverit ob alium finem, quam ad illuminandum hominem, qui non occupat nisi exiguam Mundi partem.*

CVIII. Hæc non evertuntur per oppositas Theologorum auctoritates, quas adducit Vir Venerandus art. LXIX. Si enim alio sensu asserant; *omnia facta esse propter hominem*, quam eo, quo id admitti posse superius diximus, falsa est sententia, & auctoritas humana veritati cedere debet. Et sanè quosdam perperam uti hoc axiomate apparet inter alia exemplo Wollebii, qui ex hoc axiomate deduxit, Mundum esse interiturum secundùm substantiam. *Quia*, inquit Wollebius lib. 1. cap. 36. can. 7. *Mundus hic adspectabilis viatoris causâ factus est, ubi viator esse desinet, ac in cœlum sublatus fuerit, nullus mundi hujus usus erit.* Quod argumentum nescio, an ipsemet Vir Venerandus sit admissurus. Relinquamus igitur testimonia humana & in Theologiâ attendamus ad solam auctoritatem verbi divini. Revocet sibi quæso in memoriam Vir Celeberrimus, quæ olim in præfatione ad *Theologum paradoxum* scripsit: *Absit ab honesto viro, & qui studiorum suorum habet aliquam fiduciam, ut non audeat loqui, nisi stipatus appareat magnâ testium catervâ, & malit esse Designator vel Nomenclator eorum, qui de suâ facultate scripserunt, quam in illâ Professor publicus. Textualis volo esse Theologus, non Scholastico-logus: Rationalis, non Authoritativus; Realis non Nominalis; Argumentis ago non præjudiciis; Nec curo quid hic aut ille dixerit, sed quid ex analogiâ fidei, usu scripturæ, rectæ rationis dictamine, dicere debuerit:* Et in fine sic alloquitur D. Voetium: *Hoc unum addo, ut imposterum missis hominum testimoniis, quæ ad pompam, non ad rem faciunt, ex scripturâ & rationibus presse & nervose omni relictâ circuitione mecum agas: Auctorum quos præferre nominatim soles nomina sine argumentis nihil faciunt & argumenta si valida fuerint mihi sine nominibus sufficere poterunt.*

CIX. Quod si verbum divinum attendamus, id nos docebit, non propter hominem, sed propter Deũ condita esse omnia, quo facit, Rom. XI. 36.

Nam

Nam ex eo, per eum & in ipsum sunt omnia, ipsi sit gloria in secula, Amen. Nullus locus adduci potest, in quo doceatur, omnes res propter homines solos factos esse, ut nullum alium habeant usum, quod tamen erat probandum. Loca, quæ adducuntur à Celeberrimo Viro §. 70. tantum inferunt, suo quodam sensu omnia posse dici facta esse propter hominem, quatenus usum aliquem ei præbere possunt, quod nos concedere ex superioribus est manifestum; quâ ratione cum quælibet creaturæ sibi invicem inserviant, potest dici de quibusvis, quod omnes illæ, quæ alteri inserviunt, sint factæ propter ipsam. Sed non evincunt id quod est in quæstione: omnia & singula propter hominem ita esse facta ut nullum alium habeant usum. Loca citata sunt Gen. 1. 28. Ps. VIII. 4. 7. Ps. CXV. 26. Matth. XXV. 34. Os. II. 21. 22. Rom VIII. 20. 21. 22. 1 Cor. III. 21. 22. 23. quæ inspici tantum velim, & nihil aliud ex illis inferri posse cuilibet patebit. Ut reverâ totus ille dissensus, qui hic est inter Virum Celeberrimum & Philosophum, procedat ex non satis intellectâ Philosophi sententiâ, neque operæ pretium sit nos diutius in istâ re morari.

CX. Miror verò, quod cum ipse non potuerit plus evincere quam quod dixi, quodque solum cum recta ratione dici potest, dicat §. 71. *nos carpere & mordere hoc axioma, expressum in Confessione nostra publicâ art.* 12. quod sanè nemo nostrum carpit, neque ullo modo nobis adversatur. Dicitur ibi, *Deum omnia ex nihilo creâsse, &c. ut illa quidem homini, homo verò Deo suo inserviat*, quod nos ambabus manibus amplecti ex dictis patet, eo scil. sensu, quo solo id verum esse potest, quoque solo sensu ab auctoribus istius Confessionis prolatum esse est censendum. Cùm igitur Systema ipsius meis explicabam & examinando inculcabam, ad ea ipsius verba, quæ habentur Loco V. §. 23. *Hominem ultimum creari decuit, quod omnia propter hominem, ipse verò propter Deum*; hæc annotavi: *Hoc alio sensu non debet intelligi, quam quâtenus omnia possunt aliquo modo inservire homini, saltem ad Deum celebrandum: absolutè verò hoc falsum est, quia multa sunt facta, de quibus homo nil cognoscit, nec cognoscere potest.* Et ad sequentia ejusdem quæ continent præcedentium rationem. *Quod namque ultimum est in executione, primum est in intentione*, hæc dictavi: *Hoc axioma absolutè loquendo falsum est, nisi sit in iis, quæ destinantur ad se invicem tanquam media ad finem: alias enim esset dicendum: architectum primum intendisse tectum domus, quoniam tectum est ultimum in executione domus* Sic putabam servari posse hoc axioma, ita tamen, ut ostenderim, sed obliquè tantùm, axioma illud

de

de intentione & exsecutione non rectè ab ipso fuisse applicatum.

CXI. His notis se nunc opponit, & priori notæ seqq. regerit art. 71. *Sed primò sibi Glossator non constat; & quod in primo suæ assertionis membro concedit aliquo modo de omnibus, absolute negat de plurimis: Deinde non video, quî illud omne propter hominem esse negetur, quod ipsi queat conservire ad Deum celebrandum, id est reverâ ei ad ultimum suum finem deducendo: Tum nefas est argumentari ab homine corrupto, ex eo quod usum legitimum rerum propter se creatarum nequeat nunc consequi suâ culpâ, ad hominem integrum, quo neget omnia propter ipsum creata fuisse: Tandem non sequitur aliquid ideo propter hominem non esse factum, quod illud nec cognoscat, nec forte cognoscere possit: multa enim parentes faciunt propter suos infantes, multa facit, & miscet medicus propter suos ægros, quæ illi neque norunt, neque nosse queunt.*

CXII. At quænam potest esse contradictio, ut aliqua proportio universalitèr & absolutè sumpta negetur, sed sensu restricto concedatur? An etiam est contradictio, si dicatur, istam propositionem: *Omnes homines sunt liberi*, absolutè & universaliter sumptam esse falsam, sed in sensu restricto esse veram, hoc modo; *Omnes homines, qui non culpâ suâ, aut parentum, vel violentia aliorum sub servitutem redacti fuerunt, sunt liberi.* Dein, quando observo, hactenus posse dici, omnia propter hominem esse facta, quatenus omnia possunt aliquo modo inservire homini, saltem ad Deum celebrandum, satis utique patet ex iis, quæ subjunxi, id intelligendum esse sub illâ conditione, si ea cognoscat: quæ enim non cognoscit, de iis utique Deum non potest celebrare: at infinita sunt, quæ homo non cognoscit ex vasto hoc mundo. Sic igitur id omne quidem quodam sensu potest dici propter hominem, quod cognoscit de rebus creatis, quâtenus id inservit ad Deum celebrandum, sed propterea nec potest dici, quod omnia absolutè sint facta propter hominem, quodquè nullum alium habeant finem, quod utrumque quæri ex artic. 108. & 109. patet. Nec argumentor ab homine corrupto, sed ab homine simpliciter. Quomodo enim probabitur, omnia & singula opera Dei, quæ sunt in hoc universo, fuisse cogniturum hominem integrum? Præterea, omnia ea quæ facit Medicus propter ægros, aut Parens propter infantes, si ea non cognoscant, saltem utilitatem aliquam iis debebunt præstare: at infinita sunt vel fuerunt in mundo vel futura sunt, ex quibus nulla utilitas ad hominem redit. Quare verò multa non ordinaret Deus ad aliarum creaturarum utilitatem, quam ad utilitatem hominum? Et an non potest alias habere rationes suorum

consiliorum, quàm ut inserviant hominum utilitati? Unde probabitur, in vasto illo spatio, quod unaquæque stella fixa circa se requirit, fortè non minus eo, quod est à Sole ad Saturnum, nulla corpora esse? Undè probabitur, ultra stellas fixas non esse alias creaturas, cùm infinita Dei magnitudo jubeat nos potius Dei opera amplissima concipere? Talia autem sanè infinita, ut non dicam de iis quæ in penetralibus terræ latent, nullum usum homini præstare satis patet.

CXIII. Ad alteram meam notam hæc reponit Vir Celeberr. §. 72. *Assentior quidem Glossatori, vulgatum illud Philosophorum, id esse primum in intentione, quod ultimum est in executione, non esse admittendum, nisi in iis quæ destinantur ad se invicem tanquam media ad finem; sed pertendo, omnes res creatas destinatas esse à Deo Creatore, primariò ad ipsius gloriam, secundariò verò ad homines, ut eorum usibus multiplicibus inserviant, ac præsertim eos deducant ad Deum ipsum debitis suis laudibus celebrandum & glorificandum: Eo igitur redeunt nostri Novatores, quòd res ipsæ non sint creatæ directè, propriè & per se ex Dei intentione & consilio propter hominem, sed tantùm quòd indirectè, occasionaliter & per accidens, queant suppeditare homini eas contemplanti, aliquam materiam Deum celebrandi: tantæ molis erat non recedere à sui Magistri præcepto, etsi huc minimè spectante, de non investigandis finibus rerum à Deo conditarum, quamvis Deus nos tam apertè eo deducat suo verbo, & huic veritati suffragetur Sapientia Gentilium & consensus unanimis Theologorum Christianorum, Veterum & Neotericorum.* Verum enim verò hæc ipsa est quæstio: num omnes res creatæ destinatæ sint secundariò ad homines? Cujus contrarium in superioribus satis puto evictum. Cartesium hoc ipsum voluisse, quod ego propugno, ex antecedentibus quoque potest constare, in quibus etiam dictum, eos fines à nobis admittendos, quos Deus in verbo suo revelavit, sed ultra istam revelationem non esse progrediendum, neque rimanda Dei consilia, quæ nobis occulta esse voluit. Sententiæ tum Veterum, tum Recentiorum quomodo sint exponendæ, ut tanquam veras admittere possimus, etiam abundè ostensum.

CAP.

CAP. X.

Distinctionis, quam nemo Cartesio melius observavit, inter mentem & corpus, maxima utilitas. Ex ejus neglectu multæ hæreses & errores passim in Theologiâ sunt exorti. Animæ immortalitas, eâ non admissâ, per lumen rationis defendi nequit, quam asseruit Cartesius, qui eidem operationes à corpore non dependentes assignat. Eidem nullam assignat extensionem virtualem, nec UBI*, nisi quando in loco sive corpus agit, nec motum localem. Totam ejus naturam & essentiam in cogitatione consistere, sicut essentia corporis in extensione, defenditur.*

CXIV. Accedimus ad distinctionem Cartesii inter mentem & corpus, quam non tantùm *innocentem* vocamus cum Viro Celeberrimo, sed etiam utilissimam, imprimis in Theologiâ. Asserere enim non dubitamus, ejus neglectum variarum hæresium & errorum fuisse causam, quod cuilibet ad eam attendenti & ad Theologica dogmata applicanti, erit manifestum. Ad quam longè accuratius constituendam, quàm uspiam antea fuerit factum, profuit Philosopho imprimis Dubitatio illa hyperbolica de corporum existentiâ, quam adhibuit Meditatione primâ. Supposito enim, cœlum, terram, aërem, colores, figuras & sonos, cunctaque externa ad corporeas substantias pertinentia, nihil aliud esse, quàm ludificationes somniorum, corpus quoque aliquod habens manus, oculos, carnem & sanguinem, peculiari ratione secum conjunctum, falsò se putâsse, omniaque ea quæ vel nunc putet, vel olim putaverit, se per sensus cognovisse, falsa esse; corpus ipsum, figuram, extensionem, motum, locumque esse mera figmenta; remansit tamen, se qui omnia ista sic supponit & opinetur, qui de omnibus tum corporibus tum attributis & accidentibus corporum dubitet, existere, seque esse id ipsum, quod post hanc suppositionem remaneat, scilicet rem cogitantem, hoc est, dubitantem, intelligentem, affirmantem, negantem, volentem, nolentem, imaginantem quoque & sentientem, sive illud ipsum quod imaginetur & sentiat verum sit, sive non. Unde consequitur porro, quod cum sic mens habeat ideam sui ipsius tanquam cogitantis & non extensæ, & ex aliâ parte distinctam ideam corporis, quâtenus est tantùm res extensa, Deus autem utramque rem istam cogitantem, & alteram exten-

 sam

sam, quantâcunque arctâ unione conjunxerit, separare possit, illas duas substantias esse realiter distinctas, nihilque quod ad essentiam alterius pertineat posse alteri adscribi. Neque enim habemus aliud signum, quo substantiam aliam ab alterâ distingui cognoscamus, quam quod alteram absque alterâ intelligamus. Quæ omnia plenius cognosci velim à Lectore humanissimo ex Meditat. I. II & VI. Cartesii. Sic igitur obtinuit, ut nihil eorum, quæ ad corpus pertinent, cujusmodi sunt extensio, figura, motus, locus, & quævis, quæ dicuntur qualitates sensibiles, ad mentem debeat referri. Quæ omnia debuit Vir Celeberrimus vera agnoscere, si, quod dicit art. 7. Philosophus *illud principium doctrinale in suâ Philosophiâ posuit, cui reclamare nullus Scepticus jure possit, nempe Cogito, ergo sum.* Non enim illud aliter posuit, neque aliter illud ponere potuit, nisi in dubium revocatis omnibus corporibus & corporeis attributis ac qualitatibus, & à mente accuratè distinctis. Sic igitur ad mentem pertinet intelligere, affirmare, negare, velle, nolle, dubitare, imaginari & sentire, quæ omnia cum in se cogitare includant, illud ipsum *cogitare* non minus essentiam mentis censendum est constituere, quam extensio constituit essentiam corporis, eo ipso, quod omne id quod pertinet ad corpus, figura, locus, motus, colores, sapores, &c. in se extensionem includant.

CXV. Hæc distinctio neglecta causa fuit, quare Audiani & Anthropomorphitæ Deo corpus adscripserint, quare Deus ipse ab Atheis fuerit negatus, quòd putarent, nihil existere nisi corporeum, & quod in sensus nostros incurrit. Hæc causa fuit, ut Infinitas Dei non conciperetur, nisi per modum alicujus extensionis, & omnipræsentia per modum alicujus diffusionis, hoc est, extensionis certâ quâdam ratione modificatæ, ut Deo tribueretur multiplex compositio, ut nostra mens crederetur esse particula divinæ auræ sive essentiæ, ut putaretur Deus visibilis saltem oculis Beatorum, eò quòd tanquam tenuis quædam, hoc est, corporea substantia conciperetur; ut Deo assignarentur affectus humani. Ex hâc neglectâ distinctione varii errores circa Angelos & animas sunt exorti, de quibus in seqq plenius agetur, exinde ortus est tradux tum seminalis ille crassus, tum subtilior ille spiritualis dictus, juxta quem anima filii accendatur ab animâ parentum, tanquam lumen à lumine. Ex confusione mentis cum corpore imagines Dei & Angelorum ac cultus per eas habent ortum, Eutychianismus item, quâ confunditur natura in Christo divina, cum ejus naturâ humanâ, corpus Christi & glorificatum nescio quod spirituale, caro

ro Christi cœlitus delapsa, ex substantiâ Spiritus Sancti confecta, corpus Christi omnipræsens, invisibile, latens sub parvulâ hostiâ, ejus πολυτοπία, penetratio per clausum uterum matris, & per saxum sepulchri, ascensionis Christi mutatio in meram disparitionem, Sacramentorum operatio ex opere operato, per nescio quam inhærentem qualitatem spiritualem, manducatio corporis Christi in Sacrâ Cœnâ oralis, somnus animarum post mortem, animæque mortalitas, aliique similes errores, quos facile cuilibet licet observare, ubi ad istam distinctionem attenderit. Unde operæ hîc pretium non esse puto, ut in his omnibus ex neglectâ illâ distinctione deducendis & demonstrandis sim prolixior.

CXVI. Animæ immortalitatem ex hâc distinctione à Cartesio [illegible]monstratam agnovit olim Vir Clarissimus in AntiTir. sui Tom II. [illegible] 919. ubi sic inquit: *Duo sunt genera hominum, qui hanc veritatem (de anima-rum humanarum immortalitate) impugnant, & ratione suâ utuntur* [illegible] *bestiis exæquandos: Alii enim scripturas divinitus inspiratas non admittunt & hi aliunde sunt convincendi, quod factum egregiè à Plessæo, Pacardo, Buchanano, Vossio & multis aliis. Nec plane contemnendum Cartesii argumentum; quo à sui cogitatione anima rationalis contra Scepticos existentiam & spiritualitatem demonstrat.* Sed nunc §. 73. dicit, eum *concepisse mentem ut junctam corpori, non verò ut separatam à corpore*, adeoque *incertum esse quid senserit vel cogitaverit de anima separatâ à corpore*, & nescio quem narrat, *Virum Reverendum sibi olim retulisse, se ex quâdam Cartesii Epistolâ observâsse & collegisse, eum de immortalitate animæ parum sensisse Christianè*, cujusmodi epistola inter eas quæ editæ sunt 2. tomis nulla comparet, sed è contrario, quæ satis manifestè, ab eo creditam esse animæ Immortalitatem, evincunt. Sic Tom. I. Epistol. XCIV. pag. edit. Gallicæ 521. *Ad secundum addi potest, è contra ex opinione affirmante formas substantiales facillimum esse prolapsum in opinionem eorum, qui dicunt; Animam humanam esse corpoream & mortalem; quæ cum agnoscitur sola esse forma substantialis, aliæ autem ex partium configuratione & motu constare, maxima hac ejus supra alias prærogativa ostendit, ipsum ab iis naturâ differre, & naturæ differentia viam aperit facillimam ad ejus Immaterialitatem Immortalitatemque demonstrandam, ut in Meditationibus de primâ Philosophiâ nuper editis videri potest; Adeo ut nulla hâc de re excogitari possit opinio, Theologiæ magis favens*; ut nunc de aliis locis non agamus. Etsi autem non separatam à corpore per mortem eam fuerit contemplatus, ut separatam tamen sive distinctam à corpore consideravit Medit. II. quan-

do in eâ deprehendit cogitationem, omnesque cogitationum modos, etiam corporis existentia negatâ. Possum autem testimonio Viri istius Reverendi opponere contrarium planè testimonium alterius cujusdam Viri Reverendi & Celeberrimi, qui non ita pridem mihi testatus est, Cartesium ante XXII. annos multis animæ separatæ existentiam & actiones sibi asseruisse, & inter alia *memoriam intellectualem* distinctam à corporeâ *animæ separatæ* tribuisse.

CXVII. Sed à dubitatione de mente Cartesii, quoad animæ immortalitatem, progreditur ad affricandam ei opinionem Psychopannychitarum, dum sic pergit eodem §.73. *Saltem si credidit Cartesius existentiam animæ post mortem, debuit eam cum Psychopannychitis alto sopitam somno facere incapacem mæstitiæ, gaudii, amoris, odii, spei, memoriæ, imaginationis & similium, quæ ex solo spirituum corporeorum motu, & glandulæ pinealis inclinatione variâ solet ipse suspendere.* Quæ omnia nullo modo sequi nôrunt omnes, qui levem tantùm operam navarunt in Philosophiâ ejusdem. Tribuit enim animæ art. 147. *commotiones internas, quæ in animâ non nisi ab ipsâ animâ excitantur, in quibus differunt ab his passionibus, quæ semper pendent a quodam motu spirituum.* Speciatim adscribit illi art 91. *lætitiam purè intellectualem, quæ animam subit per solam actionem animæ, & quam possumus dicere esse jucundam commotionem excitatam in illâ à semetipsâ; &, tristitiam quoque intellectualem art.* 92. Sic eidem assignat actiones art. 17. easque *vocat omnes nostras voluntates, quia experimur eas directè venire ab animâ nostrâ & videntur ab illâ solâ pendere*, & art. ult. inquit, *animam suas delectationes separatim habere posse*, ut plura adducere nunc non sit necesse.

CXVIII. Pergit ibidem: *De eo quicquid sit, ut non negavit animam moveri per accidens ad motum sui corporis, ita debuit illi concessisse, aliquam extensionem virtualem, analogam formali extensioni sui corporis, siquidem art.* 30. *de Passionibus, statuit animam esse reverâ junctam toti corpori, nec posse propriè dici, eam esse in quâdam parte ejus exclusivè ad alias; quod mihi videtur idem esse animam esse totam in toto corpore, & totam in quâlibet corporis parte, sed indivisibiliter & realiter inextensè, ut vulgatius statuitur. Quarè ut non abrogavit menti suum ubi definitivum, tum commune in toto corpore, tum speciale in glandulâ pineali art.* 31. *sic non visus est motum localem* 1. *p. Princ.* §. 8. *ita denegasse menti conjunctæ corpori, & distinctè tamen à motu locali corporis, ut putaverit animam separatam, si eam censuit existere, vel nusquam esse, id est nullum ubi consequi, vel deserendo corpus sedem suam non mutare, aut transire de loco, in locum.* De motu

tû animæ per accidens nolumus difficiles eſſe, cùm phraſis *motus per accidens* ſit ambigua & ſano quodam ſenſu de animâ poſſit uſurpari. Sed quod ei conceſſerit extenſionem neſcio quam virtualem, analogam formali extenſioni ſui corporis, nullo modo admittimus. Non ita abſurdus fuit Philoſophus, qui adeo ſollicitè mentem à corpore diſtinxit, ut nihil quod eſt corporis menti aſſignaverit; qui hoc ipſo in art. 30. qui citatur à Viro Celeberrimo, dicit, *animam ejus eſſe natura, quæ nullam relationem habet ad extenſionem, vel dimenſiones aut alias proprietates materiæ, ex quâ corpus conſtat*, hoc eſt, quæ in ſe ipſâ ſpectata, quando extra ſe non operatur in extenſionem ſive corpus, nihil habeat per quod ad corpus referatur, vel quod arguat ipſi aliquid eorum, quæ corpus conſtituunt, eſſe commune? Quomodo ergo virtualem extenſionem ei conceſſiſſet? Quid enim eſt virtualis iſta extenſio? An non talis, quâ actu quid non eſt extenſum, poteſt tamen extendi? Quomodo verò poteſt extendi id cujus tota natura conſiſtit in cogitatione, cui eo ipſo extenſio repugnat? Annon ſic majus committetur vitium, quàm ſi cœlum terræ miſceatur? Habet enim cœlum cum terrâ communia multa, non ita anima cum corpore? Quidni eodem jure Deo tribuamus virtualem finitudinem? Virtualem imperfectionem? Et quæ ſimilia ſunt. Sic videmus ad quid valeat clara & diſtincta perceptio.

CXIX. Quando autem Philoſophus dicit art. 30. de Paſſionibus, *animam eſſe reverâ junctam toti corpori, nec poſſe proprie dici, eam eſſe in quadam parte ejus excluſivè ad alias*, rationem duplicem adjecit, alteram deſumptam à corpore, quòd cum animæ unio facta ſit cum corpore hocque totum ſit connexum, non poſſit dici magis unita cum hâc, quam cum illa corporis parte, præſertim cùm unâ parte ablata illud corpus non adeo commode inſerviat animæ, ut antea: alteram à naturâ animæ indiviſibili & non extenſâ. Menti aſſignari poſſe Ubi aliquod reſpectu operationis ad extra, quando ſcilicet in corpus agit & operatur, non negamus, nec unquam negavimus, prout ſuo loco plenius dicemus, ſed inde non ſequitur, etiam citra operationem ad extra Carteſium aliquod Ubi ſive definitivum, ſive quocunque nomine appelletur, animæ aſſignâſſe, cùm è contrario artic. 114. viderimus, remanſiſſe animæ naturam, etſi corpus, motus & locus habeantur pro meris figmentis. Motum etiam planè removit à mente, quod ſatis expreſſè aſſeruit Princip. I. art. 8. *Examinantes enim, quinam ſimus nos, qui omnia, quæ à nobis diverſa ſunt, ſupponimus falſa eſſe, perſpicue videmus,*

demus, nullam extensionem, nec figuram, nec motum localem, nec quid simile, quod corpori nostro sit tribuendum, ad naturam nostram pertinere, sed cogitationem solam, unde ei separatæ à corpore nullum motum potuit assignare, nisi id moveri dicas valdè impropriè, quod cum nunc hic operatum est, sive in hoc corpus exeruit hoc tempore suam operationem, alio tempore exeruit in aliud. Quomodo anima deserto suo corpore possit dici mutare sedem, post hæc commodior erit dicendi locus.

CXX. Sic non tantum sectatores Cartesii, sed ipsemet quoque omnem naturam & essentiam animæ in merâ cogitatione collocavit, & qui hoc non fecerit nunquam distinctos de mente & corpore formabit conceptus. Videamus nunc, quibus argumentis Vir Celeberrimus istam sententiam oppugnet. *Cogitatione*, inquit §. 74. *nihil magis evanidum potest dici juxta interpretes Gallos Psal. xc. 9. ubi dicuntur consumi nostri anni* comme une pensée. *Non nego posse animam definiri substantiam spiritualem cogitantem, sed absurde eam definiveris per suam actionem: cùm nequidem Deum actum licet purissimum, per creationem, aut per justificationem impune ausis describere: & totupliciter deberet mutari mentis natura, quotupliciter variat & mutatur cogitatio ejus.* Nolo de versione vocis רגן contendere, quamvis alii vertant sermonem, alii halitum; sed nescio, quomodo statuatur, nihil magis evanidum posse dici cogitatione? An ergo halitus non potest dici magis evanidum? Omnes creaturæ cum Deo comparatæ sunt evanidæ, sed si inter se invicem conferantur, magis evanidæ sunt res corporeæ, quam spirituales, &, si ea, quæ in ipsis creaturis reperiuntur, inter se comparentur, accidentia earum magis evanida sunt, quam ipsæ substantiæ; sic motus, sic actiones hæ vel illæ evanescunt. Totum verò hoc argumentum nascitur ex ambiguitate vocis *Cogitatio*, quam tamen Philosophus satis jam sustulit Princip. I §. 63. *Cogitatio & extensio spectari possunt ut constituentes naturas substantiæ intelligentis & corporeæ, tuncque non aliter concipi debent, quam ipsa substantia cogitans & substantia extensa, hoc est, quam mens & corpus, quo pacto clarissime & distinctissime intelliguntur*, & 64. *Cogitatio & extensio sumi etiam possunt pro modis substantiæ; quatenus scilicet una & eadem mens plures diversas cogitationes habere potest; atque unum & idem corpus, retinendo suam eandem quantitatem, pluribus diversis modis potest extendi; nunc scilicet magis secundum longitudinem, minusque secundum latitudinem, vel profunditatem, ac paulo post e contra magis secundum latitudinem, & minus secundum longitudinem.* Id denuò inculcat Epist. V. Tomi II. ad

ad hos duos articulos provocans. Sic igitur quamvis cogitatio hæc, illa, ista evanescat, manet tamen semper cogitatio, sicut, etsi corpus in mille figuras formetur & varietur, manet semper extensum. Sive enim sit in mente affirmatio, sive negatio, est semper cogitatio; si adsit in eâ perceptio simplex, est cogitatio, si volitio, est cogitatio. Manet igitur semper cogitatio, hoc est, conscientia immediata ejus quod est in mente, quamdiu manet mens, quæ sine ea ne concipi quidem potest; manet sic eadem substantia, quamvis mutetur toties secundum accidentia, quoties & quotupliciter mutatur ejus cogitatio, sicut corpus toties mutatur, quoties mutatur ejus figura. Attributum igitur istud, quod in reliquis omnibus includitur, & in quo reliqua omnia quasi radicantur & fundantur est omnium præcipuum, adeoque rei essentiam indicat, & per consequens rectè ponitur in definitione, quæ essentiam rei explicat. Et hoc Attributum omnium aliorum attributorum est subjectum, quæ ab ipso realiter non differunt, modorumque omnium quæ ei accidunt; frustraque aliud subjectum hîc quæsiveris.

CXXI. Quod si possit anima definiri *substantia spiritualis cogitans*, utique illud cogitantem esse pertinebit ad essentiam ejus, cum definitio essentiam rei debeat explicare; in quâ tamen definitione superflua erit vox spiritualis, quæ & ambigua est, & nihil aliud quam *cogitans* hîc potest significare. Quando ergo definitur Mens substantia *cogitans*, non potest utique intelligi potentia tantùm cogitandi, sed actualis cogitatio. Potentia enim cogitandi est quid merè respectivum, quod debet fundari in aliquo absoluto & positivo, cujusmodi in mente, præter actualem cogitationem nihil reperias. Si enim aliud detur, idque verbis claris possit explicari, id libenter recipiemus. An autem ista Cogitatio debeat appellari actio, quæstio est de notione secundâ, quæ hic valde est ambigua, & cujus varias acceptiones videre est apud Scheiblerum, aliosque. Potest Cogitatio dici actio, quâtenus & quando aliquid extra rem cogitantem per eam producitur; sed hoc non potest dici de omni cogitatione. Potest verò Cogitatio omnis appellari actio, quâtenus per eam mens actuatur, ita tamen ut alio modo actuetur per hanc, quam nunc habet cogitationem, quam antea fuit actuata per istam, manente semper cogitatione sive conscientia immediatâ sui ipsius, quæ propterea essentiam mentis constituit. Hoc autem posteriori modo si accipiatur vox *Actionis*, quid difficultatis erit, si mens dicatur definiri per *Actionem*? Deus autem quid ni

possit describi per actionem? cum enim Deus sit actus purissimus, nihil potentiale in ipso erit concipiendum, adeoque non poterit hodie habere aliam Volitionem, quam habuit ab æterno. Cum autem Volitio Dei sit ipse Deus, quid impediet, quo minus Deum describamus per Volitionem adeoque Actionem. Nec tamen propterea opus fuerit, ut Deum describamus per Creationem aut Justificationem. Creatio active accepta est Volitio Dei efficax de rebus producendis. Sed quia sic distinctæ & diversæ ei competunt actiones, non potest describi ab una earum, quæ non exhaurit totum id, quod in Deo dicitur actus purissimus, adeoque non magis per Creationem, quam per Justificationem. Attamen hoc non obstante poterit describi per Volitionem, adeoque Cogitationem efficacem & infinitam, quæ sic exhaurit totum illud, propter quod Deus actus purissimus appellatur.

CXXII. Pergit Vir Celeberrimus alia producere argumenta, quibus evincat mentis naturam non consistere in merâ cogitatione, & inquit: *Sed nec eodem modo per omnia se potest habere cogitatio ad hominem respectu mentis, ut se habet extensio ad corpus. Cogitatio enim est mentis ceu principii, quo homo cogitat, sed totius suppositi ceu principii quod cogitat. Ac extensio non potest dici principium quo corpus extenditur, distinctè à principio quod ejusdem illius extensionis.* Non agimus hîc de homine, neque hominem consideramus respectu suæ mentis, sed ipsam mentem solam in se spectamus, sive sit conjuncta cum corpore, ut hominem constituat, sive sit absque corpore. Sic dicimus, cogitationem se habere ad mentem, ut extensio se habet ad corpus, quatenus sicut extensio essentiam corporis constituit, dum omnia alia attributa corporis extensionem in se includunt, ita cogitatio essentiam mentis constituit, dum alia attributa mentis cogitationem in se includere deprehendimus. Nullâ ergo distinctione Principii *Quod* & *Quo* hîc opus est. Videamus igitur differentias, quas adducit, propter quas non se sic per omnia habeat cogitatio ad mentem, sicut extensio se habet ad corpus, ut ea similiter constituat essentiam mentis, sicut extensio constituit essentiam corporis. *Corpus, inquit, est nomen genericum, quod sub se mille species distinctas corporum continet; mens verò humana est nomen speciei specialissimæ, quæ si debeat distingui à corpore sub communi genere substantiæ, substantia erit distribuenda non in corpus & spiritum, sed in extensionem & cogitationem; cùm tamen nec extensio, nec cogitatio sit substantia, sed substantiæ.* Resp. Cartesium in suâ mente deprehendisse, omnia, quæ in eâ reperie-

reperiebat, cogitationem includere, ac proinde rectè definiri mentem, quòd sit substantia cogitans, quòd hoc attributum sit essentia ipsa, quod avelli ab eâ nequeat, atque simili modo id quemlibet posse in sua mente deprehendere; cùm autem postea idem attributum deprehenderit in Deo & Scriptura, dum intellectum & voluntatem angelis adscribit, in quibus cogitatio includitur, etiam eò nos ducat, ut cogitationem deprehendamus in angelis tanquam primarium attributum, quod sit radix & fundamentum reliquorum omnium, possumus generalem conceptum formare & dicere: Mens omnis, sive sit humana, sive angelica, sive divina, est res cogitans. Dein substantia, quando distribuitur in corpus & spiritum, est vocabulum concretum, & denotat id omne quod est in substantiâ, sive sit essentiale, sive modus tantum sit, & per consequens rectè, dum ejus species ponuntur, per vocabula quoque concreta, *corpus & spiritus*, exprimuntur, quæ extensionem & omnes extensionis modos, item cogitationem & omnes cogitationum modos, in se involvunt: at extensio & cogitatio, si in abstracto considerentur, tantùm præcisè ipsam essentiam, non verò ejus modos comprehendunt. De cætero sive substantia dividatur in corpus & spiritum, sive in extensionem & cogitationem, res eodem redibit, neque alia hîc erit differentia quàm in modo loquendi.

CXXIII. Altera differentia sequitur: *Præterea*, inquit ibidem, *quælibet cogitatio supponit naturam spiritualem intelligentem, sed qualibet extensio non ponit corpus: nam lineæ, quæ corpus non est, convenit extensio in longum; sed ad corporis constitutionem requiritur extensio trina, in longum, latum & profundum. Implicat etiam contradictionem concipere corpus inextensum, & destitutum trina dimensione; Sed non video quid implicet contradictionis concipere hominem nihil dum cogitantem in utero matris, prout eum concipio animal rationale, sive ratione præditum, etsi necdum matrice involutus actu discurrat vel ratiocinetur: & qui tribuunt animæ embryonis actuales cogitationes, rem nobis facerent valde gratam, si dignarentur commemorare, quænam in illo statu suæ cogitationes fuerint, ex arte illâ mnemonicâ Cartesii Pathol. art. 42. quâ docet quomodo reperiamus in memoriâ ea quorum reminisci volumus* Ubi velim Clarissimum Virum cogitare, Cartesium, dum extensionem constituit essentiam corporis intelligere extensionem in longum, latum & profundum, quod nemini ignotum esse potest, qui ejus Philosophiam à limine tantum salutavit, quo sensu quoque intelligitur à scholasticis quæstio illa, an extensio sit essentia corporis, an verò ejus tantùm proprietas? Dein homo in

in utero matris constitutus, eo ipso quo dicitur homo, debet habere mentum unitam cum corpore, quæ si concipiatur sine cogitatione, concipietur ut merum nihil, vel confundetur cum corpore. Vellem enim discere ex ipso, in quo consistat istius mentis essentia, si non in cogitatione constituatur. Si negetur hæc definitio Mentis, quam dedit Cartesius, quòd *mens sit substantia cogitans*, detur alia, sed clara, quæque attributum primarium & positivum mentis exprimat, non in negativis aut respectivis tota absolvatur. Videat verò, si placet, Cart. Tomo I Epist. Epistolâ 105 in fine, ubi postquam dedisset rationem, quare Mens semper cogitet, addit: *Et non video hîc ullam difficultatem, nisi quod judicemus superfluum credere, quòd ea cogitet, quando ejus nobis nulla restat memoria. Sed si quis consideret, quod habeamus singulis noctibus mille cogitationes, quodque etiam dum vigilamus mille habuerimus ante horam, quarum in nobis nullum restat vestigium, & quarum utilitatem non videmus magis, quàm earum quas habere potuimus, antequam nasceremur, minorem difficultatem habebimus ad id nobis persuadendum, quàm, ut judicemus, substantiam, cujus natura est cogitare, posse existere & tamen non cogitare.* Similia reperiuntur Tom. II Epist. 16, post quæ explicat quoque id, quod quæritur à Viro Clarissimo, quales sint cogitationes infantis in utero matris. *Non quidem*, inquit, *mihi persuadeo, quod spiritus infantis meditetur in utero matris de rebus Metaphysicis. E contrario, si mihi licet conjicere de re, quam non benè cognoscimus, quandoquidem experimur quotidie, quod noster spiritus ita sit unitus corpori, ut ferè semper ab ipso patiatur; & quamvis spiritus agens in corpore sano & robusto utatur quâdam libertate cogitandi de aliis rebus, quàm de iis, quas ipsi afferunt sensus, nihilominus experientia nos non nisi nimis sæpe docet, quòd non sit æqualis libertas in ægris, in dormientibus neque in infantibus, & quod ea quoque consueverit esse tantò minor, quanto minus provecta est ætas; nihil magis conforme est rationi, quam ut credamus, spiritum recenter unitum corpori infantis non esse occupatum, quam in sentiendo aut percipiendo confuse ideas doloris, titillationis, caloris, frigoris aliasque, quæ oriuntur ex unione, aut ut sic loquamur, ex commixtione spiritus cum corpore.* Memoriam igitur earum non habemus, quia cerebrum infantis nimis est molle & humidum, ut non formentur in eo pori constantes, qui postea iterum aperiantur spiritibus, qui eò deferuntur.

CXXIV. Tertia proponitur differentia art. 75, *Ad hæc corporibus singulis præter extensionem genericam multa insunt per quæ à se mutuo essentialiter distinguuntur, ut lapis & talpa, leo & asinus; sed nostri cogitativi animam ita consti-*

constituunt in cogitatione, ut nihil penitus præter cogitationem ei velint inesse, vel de illa prædicari. Attamen ut cætera mittam, insunt animæ plures habitus, practici & theoretici, infusi & acquisiti, quos qui cogitationes dixerit, ille per novam metamorphosim qualitates in actiones, & habitus in actus commutabit. Fateor equidem, corpora singula non distingui per extensionem genericam: at nullæ species distinguuntur per id quod commune est, sed per id quod proprium est: distinguuntur igitur per extensionem certo modo modificatam respectu figuræ intimarum particularum earumque compositionis & situationis, & si qua alia sunt extensionem modificantia. Talis ergo extensio certo modo modificata lapidem ab alio quovis corpore distinguit, & sic de aliis, quorum exempla plurima possunt peti ex IV. Parte Principiorum. Ita similiter mentes non per cogitationem genericè consideratam, prout omnibus est communis, sed per eam aliter atque aliter in diversis mentibus modificatam à se invicem discernuntur. De habitibus rogo, ut legere attentè & meditatè dignetur ea quæ habet Philosophus Epist. 94 pag. mihi Edit. Gall. 521. *Nec etiam negamus habitus, sed duplicis generis illos intelligimus; nempe alii sunt purè materiales, qui à solâ partium configuratione aut aliâ dispositione dependent; alii verò immateriales sive spirituales, ut habitus fidei, gratiæ, &c. apud* Theologos, *qui ab ea non pendent, sed sunt modi spirituales menti inexistentes, ut motus aut figura est modus corporeus corpori inexistens.*

CAP. XI.

Ex Philosophiâ Theologus discere potest varia quæ ad naturam mentis spectant, qualia sunt, Voluntatem esse nobiliorem intellectu, Appetitum esse proprium mentis, Voluntatem semper sequi claram perceptionem Intellectus, quando attendit. Definitio liberi Arbitrii, quâ homo positis omnibus ad agendum prærequisitis possit agere vel non agere, rejicitur. Fides salvifica potius est Voluntatis quam Intellectus. Voluntas non debet dici determinari ab Intellectu. Duplex connexio, altera inter Intellectum & Iudicium, altera inter judicium ultimum & voluntatem strictè sic dictam. Intellectus & voluntas non distinguuntur realiter. Non sunt plures his facultates animæ tribuendæ. Liberum Arbi-

trium pertinet ad voluntatem. Quomodo Voluntas nostra in Conversione se habeat mere passive. Falsum est, nihil esse in Intellectu, quod non prius fuerit in sensu. Deus nullo modo fuit, vel est in sensu. Explicatur Rom. 1. 19. 20. Deum revelare internè ea quæ per rectam rationem cognoscimus. Certitudo eadem est, sive ex ratione, sive ex Scriptura oritur. Est attributum mentis, unde perperam rebus extra mentem assignatur. In brutis nulla certa mentis deprehenduntur vestigia. Distinctio Fidei in Historicam, &c. potest dici generis in species. De fide infantium nihil certi potest determinari. Fidei actus quinam & quo ordine edantur. Fidem salvificam habent, qui sitiunt & esuriunt justitiam, etsi nondum sint certi de remissione peccatorum. Talis, si in eo statu moriatur, non est excludendus à salute. Amor Christi sincerus pertinet ad fidei actus essentiales. Id consensu Theologorum comprobatur. Quid de illa quæstione sit dicendum : An Charitas sit forma fidei? & de Fide Pontificiorum Informi. Fidem nostram sentimus non tantum per actum reflexum, sed etiam per directum. De quæstione : An Fides in nostra Iustificatione consideretur tanquam opus?

CXXV. SIc mentis naturam in Cogitatione consistere evictum fuit, videamus nunc ob materiæ affinitatem mentis humanæ attributa quædam, aliaque ad eam pertinentia, quæ Philosophia tradit & ex quibus juvari potest Theologus in formandis distinctis conceptibus de iis, quæ ad mentem humanam spectant. Hanc enim ob causam ea quæ noster Celeberrimus Theologus ex futili illâ & confusâ scholasticâ Philosophiâ introduxerat in Systema suum, cum melioribus commutanda ex solida Philosophia deprompta docui meos discipulos. Docet ea *voluntatem esse nobiliorem intellectu*, cujus contrarium cum noster Systemati suo ex Philosophiâ vulgari inseruisset, dictavi ad Loc. XIV. §. 28. *Illud proculdubio est nobilius in nobis, in quo major similitudo intercedit nobis cum Deo, atqui longè major similitudo intercedit nobis cum Deo respectu voluntatis, quam intellectus, cum hic valde sit finitus, & ad pauca se extendat,*

extendat, voluntas vero suo sensu sit infinita, neque ullum possit esse objectum voluntatis divinæ, quod etiam non possit esse humanæ, quamvis in eo peccet voluntas humana, quod sese ulterius extendat quam intellectus. Ad rationem verò quâ vult probare *Intellectum esse voluntate nobiliorem, quod Beatitudo Dei Visione definiatur in Scripturis,* hæc dictavi; *Hoc non fit separatè ab operationibus voluntatis, sed conjunctè, & quando tantum mentio est visionis Dei, illa visio intelligenda est metonymicè per metonymiam antecedentis pro consequente, id est, gaudiis cœlestibus.* Quæ facile deducere ulterius possem; sed id necessarium non videtur, cum facile à quovis intelligi possint, & simpliciter tantum, hæc mea sententia inter errores referatur ab ipso art. 129. num. 84. Quod simili assertione tantum facit num. 85. de iis quæ annotavi ex meliori Philosophia ad ea, quæ Vir Clarissimus habet in System. *de statu animæ incompleto, partiali & præternaturali, quem ei tribuit in cœlis.* Ad hæc dictavi, 1. *animas separatas piorum habere omne id, quod ad suæ essentiæ perfectionem requiritur, adeoque existere completè*; 2. *posse quidem in homine animam considerari ut partem ejus, quâtenus conjuncta est cum corpore, sed solutâ istâ unione æquè existere, imo similiter existere ac angeli existunt.* 3. *Eo quidem sensu dici posse animæ statum præternaturalem, quâtenus consideratur natura prout hic fuit, quum requirebat unionem cum corpore, sed post istam solutionem unionis, æque naturaliter animam sine corpore ac angelos sine corpore existere posse,* in quibus me à vero aberrâsse nondum videre possum. Tandem non potui comprobare calculo meo verba Celeberrimi Viri in System. Loc. XIV. §. 41. *Sicut materia suam semper appetit formam, à quâ perficitur, sic forma separata suam appetit materiam, in quâ operetur,* unde hæc annotavi. 1. *Fictitium esse appetitum istum materiæ erga suam formam, cum appetitus sit aliquid menti proprium.* Ferendum enim plane non est, quod tam sæpe fit ab iis, qui ex vulgari Philosophiâ de animâ loquuntur, ut animæ attribuantur ea quæ sunt corporis & vice versâ corpori quæ sunt mentis, cùm sic immortalitas animæ multum periclitetur. 2. *Nec animam* suâ naturâ *appetere corpus cum sine eo possit operari, sed si appetat, id fieri, quia impetat impleri prædictionem divinam.* In quibus nihil sanè reprehensione dignum reperiet, qui animum ab affectibus habuerit liberum.

CXXVI. Ad naturam animæ distinctius intelligendam quoque pertinent, quæ olim dictavi de Liberi Arbitrii naturâ, quæ quoniam mira monstra dicuntur à Viro Celeberrimo art. 121. num. 45. ea omnium oculis expono, ut judicent, num non longè melius conveniant cum naturâ animæ,

animæ, iisque quæ ſcriptura de eâ tradit, ac ea quæ ex vulgari Philoſophiâ petuntur: *An judicium ſit referendum ad intellectum* jam ſuperius vidimus. Sic verò de Voluntatis diſtinctione dictavi ad §. 41. Syſtem. Loci VIII. *Voluntas potius erat diſtinguenda in judicium & Voluntatem ſtrictè ſic dictam, quæ eſt inclinatio ſive latio ad bonum: ſic ergo judicium verſatur circa verum, voluntas ſtrictè ſic dicta circa bonum.* Ad §. 42. ad quæſtionem: An voluntas determinetur ab Intellectu? hæc 2. notavi: Prima Nota: *Sic potius ſtatuendum eſt de intellectu & voluntate: Voluntas ſtrictè ſic dicta non agit ſine prævia perceptione, cujus perceptionis eo ipſo quo adeſt nos immediate conſcii ſumus; deinde quandocunque eſt magna lux in intellectu, etiam magna ſequitur in voluntate inclinatio quamdiu attendimus; unde tamen non dicendum eſt, voluntatem determinari ab intellectu, ſed quod Deus fecerit iſtam connexionem inter has cogitationes ſub conditione attentionis, ut poſita priori cogitatione, quæ conſiſtit in clarâ perceptione, ſequatur etiam altera cogitatio ſcilicet magna inclinatio in voluntate: Rationes ſunt, 1. quia alias judicium poſſet ferri in falſum quatenus falſum; 2, Qui nomen tuum cognoſcent fident in te Pſal.* IX. 11. *Joh.* IV. 10. *ſi ſcires donum Dei, tu petiiſſes ab eo & dediſſet tibi aquam vivam: 3. quia quilibet interrogatus, quare tale quid faciat, dicit, quia judicat ſibi ſic eſſe faciendum, idque judicat, quia putat ſe clare diſtincteque percepiſſe. Requiritur autem conditio attendendi, alias ſufficiens fuiſſe poteſt lumen in intellectu, & tamen ſeſe avertere voluntas, dum ad illud lumen non attendit. Interea tamen voluntas ſe ipſam determinat, quia 1. voluntatis eſt attendere, quâ conditione poſita demum ſequitur magna inclinatio voluntatis claram perceptionem; 2. ſi voluntas ſe ipſam non determinaret, tunc ſibi ipſi non poſſet cavere, atque ita nulla libertas voluntati competeret, quæ tamen ei eſt eſſentialis, ut libertate ablata etiam tollatur voluntas.* Secunda nota: *Omnino voluntas cum Active ſe habeat etiam ſe ipſam determinat, & tamen eo ipſo determinatur etiam à Deo, quia Deus illam ipſam voluntatis actionem quaſi determinat, dum efficit & operatur.*

CXXVII. Ad §. 44. ad ea quæ habet Vir Clariſſimus: *Qui peccant contra ſcientiam & conſcientiam ſuam, & rationis judicium practicum abſolutum, ſequunter tamen illius judicium comparatum*, notavi; 1. *Sed quid ſi quæratur de illo ipſo judicio, unde illud tale ſit? dicendum ergo potius, quod in talibus qui peccant contra conſcientiam non attendatur ad illud clarum lumen intellectus.* At dicit Vir Celeberrimus, *ad clarum lumen intellectus attendiſſe Medeam Poetæ, quæ dicebat: Video meliora proboque, Deteriora ſequor:* At ſane Medea errabat judicio ſuo comparato, quod dicit eam ſecutam fuiſſe; Egitque

cabat

contra judicium suum absolutum, quod verum erat, quodque rectè judicabat de eo, quod bonum erat; quæritur verò, quomodo potuerit contra illud agere, cum voluntas non possit ferri in malum, quâtenus tale. Si enim eo ipso tempore, quo egit contra illud, attendit ad rationem & naturam boni istius absoluti, posset dici, voluntatem posse ferri in malum, quâtenus tale, quod utique est contradictorium. Nondum igitur videre possum perperam à me notam supra positam fuisse ad verba Celeberrimi Viri adjectam.

CXXVIII. Sic ad verba ejusdem : *Deus quoque movet, flectit, determinat voluntatem ad bene operandum sed per intellectum*, dictavi 2. *potius dicatur : sed antecedente intellectu*; uni notæ hæc regerit num. 4. *Non vult Deum movere voluntatem per intellectum & illius illuminationem, sed putat potius dicendum, id fieri antecedente intellectu sive perceptione, ut scilicet cum Jesuitis statuat, voluntatem positis omnibus ad agendum prærequisitis, posse in sensu composito agere vel non agere.* Quæ mihi hîc imputari valde miror. Dixit Vir Celeberrimus System. VIII. §. 46. *Definitionem Lib. Arbitrii, quod sit facultas*, quâ homo positis omnibus ad agendum prærequisitis possit agere vel non agere, *esse absolutè falsam, & in sensu composito, quia sic homo fieret ens independens, efficacia Gratiæ, & Dei consilia ex illius Arbitrio suspenderentur, nec eventus liberi à Deo præsciri possent; imò & Deo & Christo viatori, & angelis, & beatis, libertas arbitrii esset abroganda.* Omnia hęc ipsius argumenta approbo, ad primum, tertium, & quartum etiam quædam annoto, quæ ad ea confirmanda & illustranda faciunt. Ad primũ dictavi; *inter illa enim requisita est, etiam efficacia gratiæ & concursus Dei; at his positis, si dicatur facultas adhuc posse non agere, debebit statui non dependere à concursu divino & ejus efficaci operatione.* Ad tertium: *Non enim possunt aliter præsciri, quam ex decreto divino efficaci, quod non erit efficax, siquidem ponamus, non sequi istam efficacem operationem divinam necessariò voluntatem.* Ad quartum: *Quod apertè facit Arriaga de beatis, qui statuit visionem beatorum ita esse necessariam ut non sit libera.* Videat nunc, quo jure mihi possit imputari, me cum Jesuitis statuere, *voluntatem positis omnibus ad agendum prærequisitis posse in sensu composito agere vel non agere*, cum hanc sententiam unà cum ipso impugnem, ejusque argumenta omnia approbem. Dixit itidem eodem §. 44. System. VIII. Voluntas *subest* intellectui: *est enim ipse intellectus sedes fidei salvificæ.* Ad hæc verba notavi duo: 1. ad vocabulum *subest : hoc non bene potest dici de voluntate. Repugnat enim ut voluntas, quæ essentia est libera, subsit alicui actui mentis, qui*

non sit voluntatis : 2. Ad verba, *Ipse intellectus* notavi : *Ex parte & respectu antecedentis cognitionis, sed tamen primario & propriè sedes fidei salvifica est in voluntate.* Has duas notas respicit noster art. 121. num. 45. quando hæc regerit : *Ita restringit fidem ad solam voluntatem, ut eam neget aliter ad intellectum pertinere quam respectu antecedentis cognitionis, qua juxta illum fidei non est. Non patitur dici voluntatem subesse intellectui, adeoque eam negat esse appetitum intellectivum, sive ὄρεξιν νοερὰν, ut Aristoteli dicitur.* Ac quantum attinet sedem fidei salvificæ, quare statuam, eam non in Intellectu sed in voluntate collocandam dixi notâ ad ejusdem Syst. Loc. XI. §. 29. ubi hæc dictavi; *Notitia quidem prærequiritur ad fidem, sed proprie loquendo non est ejus pars; præsupponitur, sed non ingreditur essentiam fidei; siquidem fides definiatur, quod sit fames & sitis justitia & acquiescentia cordis in Deo ut fonte & auctore salutis, ut ei animas nostras in angustius & tentationibus committamus,* quam his verbis improbat art. 125. num. 64. *Ut sic non debeat irasci Pontificiis asserentibus, fidem melius per ignorantiam, quam per notitiam definiri*; quod quàm malè inde eliciatur, judicabit, qui voluerit ad hanc meam notam attendere. Alterum quod attinet, si negarem, voluntatem esse ὄρεξιν νοερὰν, id statuerem, quod statuit Vir Celeberrimus, quando dicit, *Voluntatem esse facultatem cæcam*, quâ de re actum superius art. 51. ubi ostendi, Voluntatem, eo ipso quo est mentis, cujus tota natura in cogitatione consistit, non posse dici cæcam, cum eo ipso, quo fit in nobis volitio, etiam adsit ejus conscientia, cui non refragari superiorem notam cuilibet inspicienti patebit.

CXXIX. Ad art. 4. Viri Celeberrimi annotaveram, 1. *Si determinaretur voluntas ab Intellectu effectivè reverâ alia facultas, nempe intellectus, produceret actum alterius facultatis scilicet voluntatis quod est absurdum, cum qualibet facultas talis sit respectu sui actus non alterius. 2. Si fieret determinatio voluntatis à judicio, tum dicendum esset, quod judicium producat volitionem, quia illa volitio non differt à determinatione voluntatis, sed illa ipsa actio qua volitio dicitur, est ipsa voluntatis determinatio.* Quæ multum inservire putavi ad optimè distinguendas facultates animæ inter se, aliàs valde affines & convenientes. Quas notas his verbis improbat pag. 96. & 97. *Quamvis fateatur* (de me loquitur) *efficacissimâ persuasione divinâ in mente ipsam effici volitionem, tamen non patitur, directione intellectus ac judicio excitante & dirigente fieri determinationem voluntatis, quasi ipsa volitio non possit esse formaliter &* elicitè *voluntatis efficienter &* elicitivè *intellectus ac judicii.* : Quam distin-

distinctionem fateor me capere non posse. Elici dicuntur actus voluntatis ex ipsâ voluntate sive animâ volente, ut sic distinguatur anima ab inerti mole materiæ, cui motus extrinsecè infertur, quæque ad eam merè passivè se habet. Atque illud *elicere* nihil est aliud, quàm ex se ipsa producere actus, qui actus cum extra voluntatem non tendunt, formaliter quoque dicuntur esse ipsius voluntatis, & dum producuntur à voluntate, sunt *efficienter* ipsius voluntatis. Iidem non possunt dici esse efficienter intellectus, multò minus possunt dici esse elicitivè intellectus, cùm *elicere*, unde istud *elicitè* vel *elicitivè* derivatur, nihil sit aliud, quam ex se ipso actus producere, & alia facultas alterius actus producere non possit, cùm facultates tantùm respectu diversitatis actuum ostenderimus distingui. 3. ad verba Celeberrimi Viri, *Judicio ultimo rationis & naturali suâ constitutione voluntas obsequi tenetur*, sequentia dictavi: *Dicatur potius: Voluntas sponte obsequitur ex constitutione divinâ. Duplex ergo connexio est hic observanda; Primò inter intellectum & judicium, quia positâ clarâ perceptione intellectus, quamdiu attenditur, magnâ cum inclinatione sequitur judicium. Dein, posito judicio comparato & ultimo etiam Deus hanc connexionem fecit, ut sequatur sponte Voluntas strictè sic dicta illud judicium ultimum.* Quæ ad distinctius percipiendas mentis operationes maximè facere arbitror. 4. dixeram, miram esse locutionem, quâ *voluntas* dicatur *cœca, inde procedentem, quod intellectus & voluntas concipiantur tanquam duo entia distincta in una eâdemque mente, quod tamen valde est absurdum, cum intellectus & voluntas non ita differant, sed potius hi actus sese mutuò quasi immeent*, quibus hæc opponit pag. 97. *Licet etiam agnoscat has duas distinctas in mente facultates, intellectum & voluntatem, hanc tamen non vult posse dici cæcam, quin concipiatur realiter & essentialiter distincta ab intellectu, quam realem distinctionem, licet multis probatam Philosophis & Theologis, etsi de eo nolim cum quoquam contendere, omninò respuit.* Ita est, realem distinctionem inter intellectum & voluntatem planè respuo, quia animam non concipio compositam ex diversis entibus vel partibus, sed unam eandemque esse, dum intelligit aut vult, novam tantum σχέσιν recipere statuo. 5. *Rationem* sic explico: *Ratio, dico, non tantum pertinet ad intellectum, sed est aliquid concretum, atque in eo consistit, ut non judicemus nisi de clarè & distinctè perceptis in rebus contemplandis, in rebus autem agendis, quando res non patitur moram, judicium sequatur eam perceptionem, quæ saltem minus est obscura, si haberi possit; sin minus, agamus, quidvis potius, quàm nihil. Nego*, plures esse facultates in homine præ-

ter intellectum & voluntatem & dico, *appetitum sensitivum & facultatem loco motivam esse ipsissimam voluntatem, quæ dicitur sensitiva, quatenus ea appetit quæ per sensus offeruntur; at dicitur loco motiva, quatenus motus membrorum cum corpus bene se habet ex institutione divinâ sequitur hanc vel illam volitionem.*

CXXX. Ad art. 46. notavi: *Potius Liberum Arbitrium pertinet ad voluntatem, cum intellectus merè passivè & dependenter, adeoque non liberè se habeat.* Addo nunc, Liberum Arbitrium nullo modo à voluntate posse distingui, sed esse ipsam voluntatem. Huic notæ id solum opponit Vir Clarissimus quod τὸ *arbitrari sive judicare sit intellectus non voluntatis*, quod refutatum art. hujus Tractatus 46. 47. Porrò ad art. 51. notavi: *Illud generale auxilium a Dei auxilio speciali non differt, nisi tantum in nostro conceptu quâtenus Deus dicitur vel efficere ipsum actum, quod est generale auxilium, vel etiam efficere ipsam bonitatem & quidem eam quæ conveniat cum ipsius lege, saltem quoad perfectionem Euangelicam, quam non vult efficere in aliis.* de quâ notâ dicit, *id statuere eos decere, qui ex Pelagii sententiâ naturam à gratia vel nesciunt vel nolunt distinguere.* Ego verò hîc non refugio cujusvis judicium, nec quidem Viri Clarissimi, ubi ira deferbuerit, an is qui statuit, Deum non tantùm efficere actum, sed etiam actus bonitatem, sit censendus cum Pelagio sentire? Quid enim jam relinquitur efficiendum Libero Arbitrio, quod non efficiatur à Deo, si & actus & ipsa actus bonitas ipsi assignetur? Tandem insurgit contra notam quandam ad art. 55. quâ explicui, quomodo verba ipsius Systematis sint accipienda, *homo peccator se habet merè passivè absque ullâ cooperatione liberi arbitrii*, sic annotando: *Hoc est intelligendum quoad prioritatem naturæ, quâtenus nihil est, quod naturâ simul sit vel antecedat operationem gratiæ; tempore autem operatio liberi arbitrii & gratia divina simul sunt, quoniam cum fiat operatio gratiæ in Libero Arbitrio, cujus tota natura in actione consistit, non potest aliquid effici à gratiâ divinâ in voluntate, quod non sit actio.* Eadem ferè nota occurrit ad §. 25. Loci XIII. quia in Systemate eadem locutio aliquoties repetitur. *Passivè se habet homo ad conversionem in signo rationis vel prioritate naturæ, quâtenus scilicet homo ad sui conversionem nihil confert, antequam trahatur à Deo, quamvis eo ipso temporis momento, quo trahitur à Deo, cum ipsius mentis natura in cogitatione consistat, etiam se habeat activè.* Similis nota reperitur ad art. 58. Loci XI. *Omnes actus justificationis qui fiunt in conscientiâ nostrâ & activè & passivè in eâ sese habent, idque discrimen tantum dependet à diverso respectu & re-*

& relatione ad causam efficientem vel ad subjectum recipiens ; prout referuntur ad causam efficientem ita considerantur activè, prout verò referuntur ad subjectum spectantur passivè. Hanc meam doctrinam ad Synergistarum ac Remonstrantium dogma plurimum facere hîc dicit & repetit num. 79. sed num. 71. tantùm meam notam simpliciter improbat *& eum errorem rejectum à Synodo Nationali Dordracenâ, cap. 3. & 4. doct. in reject. error. §. 19. quo statuitur Deum non prius hominis voluntatem efficaciter juvare ad conversionem, quam voluntas ipsa hominis se movet & determinat.* Ego verò illis meis dictatis nihil aliud dico, quam quod in ore est omnium Orthodoxorum Theologorum, *voluntatem à Deo actam agere*, tantùm illud plenius & magis distinctè volui explicare. Hoc ipsum dico, quod & Vir Clarissimus dicit Tomo II. AntiTir. pag. 154. *Tunc autem voluntas non cooperatur, sed potius suboperatur gratia, dum acta agit.* Quomodo verba mea facerent ad Synergistarum & Remonstrantium dogmata, cum ad §. 53. System. ejus, ubi refutat Synergistarum & Remonstrantium argumenta, annotem: *Ex illis ergo* (scilicet ex consiliis, præceptis, promissionibus, minis, &c.) *non infertur, quod possit id agere ex propriis viribus, sed quod debeat facere, & si in se reperiat impotentiam ad id faciendum, debeat expetere gratiam divinam.*

CXXXI. Jure merito quoque refutavi istud axioma Philosophiæ vulgaris, quod Celeberrimus Vir habet Loc. XVIII. §. 2. *Cum nihil sit in intellectu juxta Philosophos, saltem per cogitationem dianoëticam & inductivam, quod non fuerit in sensu*, istud enim ferè quod hîc art. 136. num. 118. inferit, non habetur in System. ejus editione anni 49. quâ ego usus fui semper. Nec tamen ipsemet hîc multum solicitus est de istâ particulâ, dùm stabilire conatur, uti in sequentibus videbimus, *etiam Deum incurrere in sensus.* Ad hæc ejus verba hæc sequentia dictavi : *Hæc sententia si obtineret omnes homines deberent fieri Athei ; Deus enim nullo modo, quicquid distinguas, fuit in sensu, & per consequens nunquam fuerit in intellectu, adeoque nullus homo deberet credere Deum, aut si faceret stultè faceret; quod autem Deus nullo modo fuerit in sensu per se patet, cùm Deus non sit corporeus, nihil autem sensus afficiat, quod non sit corporeum. Vox autem illa Deus vel similis in quâvis linguâ, sive sit scripta sive audita non potest in nobis excitare conceptum entis tam perfecti, nisi iste conceptus prius in intellectu nostro existeret; si enim vox ista audiatur nihil aliud est quam sonus, si scribatur nihil aliud est quam figura, at quid commune est enti tam perfecto cum tali sono, vel his vel illis figuris.* Possunt

addi quoque aliæ rationes, ex quibus hoc axioma falsissimum esse demonstrari posset. Hoc posito axiomate negandũ erit, dari res cogitantes, quæ tanquam tales nunquam in sensus incurrerunt. Sic quilibet negare debebit suam propriam mentem, quæ nunquam in sensus incurrit, sicque porta aperietur latissima ad Scepticismum, ex quo nunquam emergere liceat. Ne dicam, multa corpora neganda esse tenuissima, quæ propter suam tenuitatem sensus non afficiunt. Sed noster, me in hac meâ notâ *valde petulanter agere*, inquit; *nam primum devenimus dianoëticè in Dei notitiam, per contemplationem operum suorum, quæ incurrunt in sensus, & teste Paulo Rom. x. 17. fides ipsa in Deum est ex auditu verbi sui: deinde Deus manifestatus in carne, debuit in sensus incurrisse; ne quid dicam de apparitionibus variis Dei in Veteri Test. unde id natum inter Israëlitas adagium, moriemur nam Deum vidimus.* Moneo auditores meos, ut caveant sibi ab hoc axiomate, quod ex eo posito & admisso sequatur, negandam esse Numinis existentiam, & per consequens, omnes homines debere fieri Atheos, cujus meæ assertionis rationes adjeci manifestas, quas cùm non attingat Vir Celeberrimus, nullam habuit rationem me hîc accusandi petulantiæ. Dixi & probavi, Deum nullo modo incurrere in sensus.

CXXXII. Quæ verò hîc adducit, contrarium non evincunt, adeoque nihil me vel rationes adductas tangunt. Fateor, nos devenire dianoëticè in Dei notitiam per contemplationem operum suorum, istaque opera incurrere in sensus; sed an ideo Deus incurrit in sensus? Quod tamen erat probandum. Neque si Dei notitia nobis non fuisset indita sive si non haberemus in mente nostra Dei ideam, possemus unquam per contemplationem operum venire in Dei notitiam. Id plenius demonstrari posset, sed hîc nobis sufficiat id probare ex Rom. 1. 19. Διότι τὸ γνωστὸν τοῦ Θεοῦ, φανερόν ἐστιν ἐν αὐτοῖς· ὁ γὰρ θεὸς αὐτοῖς ἐφανέρωσε. 20. Τὰ γὰρ ἀόρατα αὐτοῦ ἀπὸ κτίσεως κόσμου, τοῖς ποιήμασι νοούμενα καθορᾶται, ἥ τε ἀΐδιος αὐτοῦ δύναμις καὶ θειότης· εἰς τὸ εἶναι αὐτοὺς ἀναπολογήτους. Reprehendit Apostolus homines, quod Dei veritatem in injustitiâ sive injustè detineant vers. 18. hoc est, non permittant veritati, per mendacia opposita, ut fructum apud se pariat, ac veritati isti cognitæ non obediant. Veritatem autem intelligit in communi, cùm in communi hic redarguat & Judæos, & gentiles, hoc est, tùm eam, quæ Judæis fuit revelata per scripturam, tùm eam, quam gentes per naturæ lumen cognoverunt.

sunt. Versu 19. & sequentibus rationem reddit, quâ probat, gentiles *veritatem detinere in injustitia*, quòd nempe, cùm Deum potuerint cognoscere eum non glorificaverint, ut dignum erat. Deum potuisse cognoscere probat vers. 19. & 20. quòd & id quod cognosci potest de Deo Deus ipsis manifestum fecerit, & per creaturas dederit iis occasionem ad id, quod ἐν αὐτοῖς erat manifestum, attendendi, sicque Deum agnoscendi. Dicit vers. 19. Τὸ γνωστὸν τοῦ θεοῦ esse manifestum ἐν αὐτοῖς, quia Deus id eis manifestum fecerit. Dicere aliquis potuisset, quomodo creaturæ rationales, quæ tantopere distant à Deo, eum possunt cognoscere? Quomodo possunt habere cognitionem tanti entis? Unde eam habent? Respondet Apostolus, vel potius præoccupat hanc Objectionem, dicendo, homines non à se ipsis habere istam Dei cognitionem, sed habere à Deo, cum hominibus dedisse mentem, in quâ sit manifestum id quod de Deo cognosci potest, sicque ipsum Deum id manifestum ipsis fecisse. Versu verò 20. ostendit porrò Apostolus, quòd reverâ Deus actu excitaverit & præsentem stiterit ipsis cognitionem sui, postquam mentem dedisset istiusmodi, dùm Deus per creaturas jam ab origine mundi excitavit in ipsis hanc cognitionem sive præsentem stitit. Ex quibus planè apparet, contemplationem operum Dei non aliter nos adducere ad cognoscendam existentiam supremi Numinis, quàm excitando, ut attendamus ad mentis ideam, sicque eâ interveniente concludamus supremi Numinis existentiam. Sed inde, Deum ipsum incurrere in sensus, quod erat in quæstione, nunquam evincetur. Minoris momenti sunt reliqua: Deus manifestatus in carne debuit in sensus incurrisse, utique non quâ Deus, sed quá homo, imò quâ habens corpus. Ita dicendum de variis apparitionibus Dei in Vet. T. visum esse signum symbolum præsentiæ divinæ, quod utique Deus non fuit, quamvis impropriè & Metonymicè loquendo Deus ipse iis dicatur apparuisse, dum tale symbolum suæ præsentiæ ipsis exhibuit. Adagium istud Israëlitarum: *Moriemur nam Deum vidimus*, non infert, vel putasse ipsos, Deum, hoc est, essentiam divinam à se visam esse, vel eam videri posse, aut in sensus posse incurrere (quod totum nunc est in quæstione) nisi velimus Anthropomorphitarum castra subire; sed tantùm, eos conspecto symbolo tali præsentiæ divinæ collegisse, Deum singulari modo sibi præsentem fuisse, & sic revelasse.

CXXXIII. De rectâ ratione quæ dictavi ad Locum 1. System. Celeberrimi Theologi, non putabam ab ipso iri improbatum, cùm satis cum

ipsius

ipsius mente viderentur convenire. Dixerat articul. 15. *Ratione itaque carent, qui in hâc disciplinâ argumentativâ aut parum aut nihil concedunt rationi*, ad quæ confirmanda hanc adjeci notam: *Ratio enim recta æquè pendet à Deo ac revelatio, imò quæ per rectam rationem cognoscimus internè, censendus est Deus nobis revelare, utpote qui auctor est istius usus rectæ rationis.* Cum his sanè conveniunt ea ipsius eodem articulo: *cum lumen lumini non sit contrarium, nec verum vero, sintque fidei mysteria supra rationem, non contra veram rationem, non debet simpliciter recta ratio à Theologicis exulare.* Video tamen & istam notam meam inter errores referri, atque tertium errorem mihi impactum constituere pag. 84. cum hoc elogio: *Quod longè propius accedit ad doctrinam Paradoxi Anonymi de Philosophiâ interprete Scripturæ, quam ad Scripturas ipsius Canonicas Vet. & Nov. Test.* Quod si Vir Clarissimus ostenderit, eâdem operâ demonstraverit, & supra à me citata verba ipsius propius ad doctrinam Paradoxi Anonymi quam ad Scripturam accedere. Deum revelare ea, quæ internè per rationem rectam cognoscimus docet Paulus Rom. 1. ꝟ. 19. Cuilibet homini dicit τὸ γνωστὸν τοῦ Θεοῦ esse *manifestum, Deum enim id manifestum fecisse ipsis*: id utique non fecit manifestum per Scripturam: Ergò necessariò id debet intelligi factum iis esse manifestum per rationem rectam.

CXXXIV. De certitudine conclusionum Theologicarum comparatâ cum certitudine, quam generat scientia, hæc olim dictavi ad System. Locum 1. §. 10. *Duplex est certitudo, alia quæ nititur evidenti demonstratione, alia quæ nititur clarâ revelatione; utraque æquè magna est in suo genere, nec una certitudo major debet appellari, quam altera; hoc tamen habent scientiæ, quod nitantur rei evidentiâ, quodque in iis nihil teneamur admittere, nisi quod evidenter fuerit perceptum: sed in Theologiâ revelatâ admittenda sunt omnia de quibus clarè constiterit, quod sint revelata à Deo, etsi non possimus evidentiam rei percipere, quia sæpe talia sunt, ut per lumen rationis non possint cognosci.* Huic noster opponit §. 110. num. 2. *Quasi ratiocinia humana paris sint auctoritis & firmitatis cum Dei verbo.* Sed cum lumen rationis æquè sit à Deo ac lumen Scripturæ, quod non diffitetur Vir Clarissimus, annon ergo ab eodem auctore summe veraci profecta eandem censenda erunt habere certitudinem? Ratiocinia humana recta eandem generant certitudinem sive fundentur in ratione, sive in Scripturâ, sed si perperam procedunt, ut solet passim fieri ab iis, qui judicant de iis, quæ non intelligunt, nullam planè habent certitudinem. Succenset idem §. 136. num. 123. notæ meæ

ad

ad System. ejus Loc. XVIII. §. 24. ubi de certitudine, quam vulgo Objectivam appellant, dico, eam *impropriè dici certitudinem, appellari potius debuisse firmitatem & stabilitatem decreti divini & ejus promissionum.* Hæc ex nullâ morositate profecta sunt, sed ex eo quòd censeam, non esse confundenda attributa mentis cum attributis rerum, quæ sunt extra mentem. Certitudo enim est mentis, quæ certa dicitur, quando de re aliquâ firmiter est persuasa, sive firmum format judicium. Merito igitur de tritissimâ distinctione ex Philosophiâ vulgari à Theologis quibusdam haustâ inter Certitudinem Objectivam & Subjectivam, dixi, *Certitudinem Objectivam non posse appellari nisi in sensu improprio.*

CXXXV. De fide agit Scriptura, tum de eâ quæ dicitur Historica & Temporaria, tum de Miraculosâ ut & Salvificâ, docetque uniuscujuslibet naturam, quibus suppositis Philosophia ad mentis naturam attendendo, cui fides inhæret, ea suppeditare potest, quæ faciunt ad claros ac distinctos de iis conceptus formandos. Atque in eum finem, cùm Celeberrimus noster Theologus §. 19. Loci XI. diceret, *Miraculorum fidem posse consistere absque fide salvificâ; ut in brutis sensus absque ratione*, dictavi, *Hoc simile satis est dissimile, si supponatur, quod sensus in brutis habeat adjunctam perceptionem, adeoque quòd bruta mentem quandam habeant, cujus tamen nulla certa in iis reperimus vestigia, cum omnes ipsorum actiones per motus spirituum sufficienter explicari queant.* Ut enim hæc posterior comparatio æquè conveniret ac prior desumpta à virtutibus, sicut virtutes sunt in mente ita etiam sensus brutorum deberent esse in mente, & propterea habere adjunctam perceptionem. Sed nescio quid cogitaverit, quando dicit art. 125. num. 60. *me ridicule negare ad Loc. XI. §. 19. posse concipi sensum in brutis sine ratione*, cùm hujus negationis ne γρῦ quidem exstet, nec rationem tribuam brutis; qui è contrario dico, nulla mentis certa in brutis deprehendi vestigia.

CXXXVI. Quæstio de distinctione Fidei in Historicam, Temporariam, Miraculorum & Salvificam, an sit generis in species, an vocis ambiguæ in sua significata, Logica est nec magni admodum momenti. Ego tamen rationem secutus judicavi convenientius esse, ut dicatur divisio generis in species, non tamen univocas sed analogas, quam vocis ambiguæ in sua significata. Rationem hanc adduxi in dictatis ad §. 21. System. Loc. XI. *quia potest formari generalis fidei conceptus, qui his speciebus applicari potest: hic scilicet, quod fides sit talis animæ dispositio, quâ assensum præbemus dictentis Dei*

O vera-

veracitati, aut fidelitati summa, quòd ea qua loquitur infallibilia sint: vox autem ambigua prater nomen cum suis significatis nihil habet commune respectu istius nominis. Dixi quoque, sententiam esse communem plurium Orthodoxorum. Nominavi Pareum de Justificatione lib. 1. cap. 4. & 5. & Rivetum, qui non quidem Cathol. Orthod. ut scripsit ille, à quo dictata accepit, id habet quod dico, sed in synopsi purioris Theol. Leid. Disp. 3. §. 3. *Cujus* scilicet Fidei, *communiter quatuor species traduntur, qua etsi uno nomine generali comprehendantur, univoca tamen non sunt*. Sic Pareus lib. 1. de Justificatione c. 4. pag. mihi 54. *Hujus* fidei, *qua generice* fides Theologica *dicitur, communiter in scholis nostris quatuor traduntur species*. Historica, miraculorum, temporaria, justificans: *quoniam singula cum hoc genere aliquid participant & aliquid diversum habent. Non tamen sunt species univoca*. Idem repetit cap. 5. Bellarmino respondens: *Respondeo*, inquit p. 67. *Fidem historicam miraculorum & promissionum genere unam & eandem esse: verum specie unam & eandem esse falsum est*. Sed Vir Celeberrimus §. 125. num. 61. inquit, hanc sententiam esse *contra analogiam Grammatica juxta quam fides caret plurali*. Sed Grammatica, cùm doceat regulas aliquas ex usu linguæ observatas per inductionem, non potest præscribere nobis in distinctis conceptibus formandis, præsertim cum vocabulum Fidei eo in sensu, quo in Theologiâ juxta Scripturam accipitur, non occurrat apud classicos auctores.

CXXXVII. Quæ spectant disquisitionem Theologorum de fide infantium & quomodo salventur, ea non adeo certa sunt, nec tam facilè possunt determinari, quamvis certum sit, infantes fidelium salvari. Nec putabam hîc mihi errorem ullum imputatum iri, cùm similia ferè de iis habeat in suo Systemate, quæ tantummodò illustrare volebam. Dubitabat ipse System. Loco xi. §. 27. *Num sint dicendi habere fidem in habitu, an tantùm in semine*. Dicit, *ejus fidei salvifica, qua nobis in scripturis describitur, nec volam nec vestigium in illis apparere*. Addit, *posse justificari in sanguine Christi ejusque Spiritu sanctificari absque ullo suo actu singulari & personali resipiscentia ac fidei*. His similia planè dictavi ad illustrandum inservitura. 1. *Quanam sit operatio Spiritus Sancti in infantibus, cum istorum actuum nemo recordetur, non facile dici potest: infantes enim sensibus externis affixos esse videmus, hoc tamen non obstat, quo minus Spiritus Sanctus etiam in iis possit operari cogitationes, quibus objectum salutis, quantum id requiritur, apprehendant. 2. Saltem non per auditum externum in iis excitari potest fides, cum tamen Rom.*

10. fi-

10 fides (*scilicet adultorum*) fit per auditum. 3. *Non tamen possunt servari citra ullum suum actum, licet fortè non sit talis, qualis est in nobis adultis resipiscentiæ & fidei.* De his notis inquit §. 125. num. 63. *me non dubitare ad §. 27. aliquam fidem actualem & cogitationes quibus objectum salutis apprehendant, infantibus tribuere: quod qui conciliet cum Paulo Rom. x. 17. ipsius est*, inquit, *dispicere. Dum verò eos negat posse salvari citra ullum suum actum, prout absque ullo suo actu personali sunt peccatores, etsi forte*, inquit, *non sit talis, qualis est in nobis adultis resipiscentiæ & fidei, ostendit se evanescere in suis cogitatis de cogitationibus infantium.* Sed lectori patebit, me nullibi fidem actualem tribuere infantibus, sed subsistere in generali, scilicet in operatione quâdam Spiritus Sancti, quam non satis definiri posse innuo cujusmodi sit, & si ista operatio Spiritus Sancti sit omninò appellanda fides, non posse saltem esse ejusdem naturæ, quæ est in adultis. Nec evanesco magis in cogitationibus meis, quàm ipse Vir Reverendus, nisi dubitanter loqui de re obscurâ sit evanescere in suis cogitatis, quod tamen & ipsum facere ex citatis apparet.

CXXXVIII. De Fidei actibus attendendo ad naturam Fidei salvificæ prout nobis in Scripturâ describitur, eaque conferendo cum iis, quæ ordo cogitationum humanarum requirit, hæc ordini isti convenientia dictavi ad §. 31. *Hic assensus fiducialis spectat generatim istam veritatem, quod Christus sit sufficiens Salvator omnibus ad se confugientibus, adeoque etiam mihi seriò sitienti & desideranti justitiam, atque ad eum confugere volenti, quod qui ad se confugiant sanctificet: atque hîc observandum, ad fidei salvificæ essentiam sive rationem formalem non requiri fiduciam remissionis peccatorum sive in præterito sive in futuro, sed eam esse effectum fidei magis corroboratæ & plenæ. Experientia enim docet, infirmos quosdam fideles revera habere fidem, quia habent famem & sitim justitiæ, quia tamen nondum possunt sibi propter suam imbecillitatem persuadere, quod habeant vel sint consecuturi remissionem peccatorum.* Item, *Post hunc assensum fiducialem sequitur amor Christi sincerus, qui statim oritur ex quo Christus est cognitus tanquam objectum nobis conveniens atque ita apprehensus per assensum istum fiducialem; tunc enim Christum statim nobis voluntate jungimus, & nos consideramus sine eo tanquam imperfectos. Tandem succedit fiducia, quâ nobis persuademus auxilium certum nos accepturos à Christo nostro Salvatore in omnibus angustiis & tentationibus, innixi promissionibus ipsius, factis omnibus ad se confugientibus. Qui motus animi est mixtus, compositus ex motu desiderii & lætitiæ; desideramus enim illud auxilium, & persuadentes*

tes nobis illud futurum, de ejus acquisitione futurâ lætamur. Sed hæc posteriora distinctius explicantur notâ ad §. 30. ubi Actus fidei summatim recenseo: *Actus Fidei varii sunt pro quorum diversitate etiam fidei diversa objecta sunt assignanda, 1. Actus fidem antecedens est notitia revelationis. 2. Actus fidei essentialis primus est assensus tùm generalis omnibus revelatis tum specialis huic veritati quod Christus sit sufficiens Salvator omnibus ad se confugientibus, adeoque etiam mihi, si serio desiderem justitiam, atque ad Christum confugere velim: 3. Secundus Actus fidei est amor Christi sincerus, de quo antea dictum. 4. Tertius est fiducia, quâ nobis persuademus auxilium certum divinū à Christo Salvatore vide art. 31. Actus verò fidei accidentales, & qui solum fidei corroboratæ conveniunt, sunt, 1. fiducia de remissione peccatorum à Deo impetratâ; 2. Gaudium ex illo sensu ortum solidū; 3. Pax & tranquillitas conscientiæ. Porro pro diversitate horum actuum etiam varia fidei objecta sunt assignanda. Respectu primi & secundi Actus adæquatum objectum est Dei verbum, speciale verò sunt promissiones Dei Euangelicæ, tùm prout considerantur ut veræ, tum prout considerantur ut bonæ: Atque eo sensu fides specialem Dei misericordiam habet pro objecto, quâtenus promissiones factas omnibus ad Christum confugientibus sibi applicat: Et circa illud objectum versantur primus, secundus & tertius fidei salvificæ actus. Id autem dum dicimus non statuimus esse aliquid in specie revelatum de salute hujus vel illius credentis, quod quisque credens debeat apprehendere, sed intelligimus misericordiam, quam per fidem quilibet sibi applicat, ac sic specialem sibi reddit. Neque verò negamus, quod fides Justificans credat esse mundi creationem, sed negamus, quod hoc modo justificet id apprehendens, sed dicimus tantum justificare, dum apprehendit misericordiam illam Dei in Christo sibi revelatam.* Et artic. 42. hæc speciatim de Charitate erga Christum dixi: *Cùm Charitas erga Christum sit inseparabilis à fide, & ad eam se habeat ut calor ad ignem, apparet eam ad essentiam Fidei pertinere: Ergo si per Formam intelligatur generaliter quicquid rei essentiale est, eamque distingnit ab aliâ, Charitas illa non quidem integra Fidei forma dici debet, sed tamen pars formæ. Si verò forma strictè accipiatur, ut debet, pro intimo rei attributo, ex quo reliqua oriuntur, dicimus, Charitatem quidem illam esse fidei salvificam proprietatem, sed non ipsam formam fidei, sive essentiam, quam constituimus in acquiescentiâ cordis in Deo, ut auctore & fonte salutis.* Hunc ordinem ratione niti & esse hos fidei actus scripturam docere sum planè persuasus, putoque id attendenti & absque affectibus judicare volenti posse esse manifestum, neque unquam cogitavi in eo à me Virum Celeberrimum esse dissensurum.

CXXXIX.

CXXXIX. Nunc tamen §. 125. num. 63. hoc argumentum dicit esse frivolum, *quod hac fiducia possit abesse a fame & siti justitiæ, & acquiescentiâ cordis in Deo*, &, *quòd illa acquiescentia cordis in Deo non possit concipi sine fiducia gratiæ divinæ & remissionis peccatorum.* At ex dictatis apparet, me distinguere Fiduciæ vocabulum, sive diversos actus Fiduciæ. Quatenus per Fiduciam intelligitur acquiescentia in Christo & Deo tanquam unico fonte & auctore salutis tanquam sufficienti Servatore omnibus ad se confugientibus, dico omninò ad Fidei essentiam pertinere. Sed si per Fiduciam intelligatur persuasio de remissione peccatorum sive in præterito sive in futuro, dico, posse esse fidem, quæ eâ destituatur, sed præterea addo, istos fideles esse infirmos. Et memini me primùm hanc sententiam didicisse olim ex Reverendo Widmario Celeberrimi Viri collega p. m. Scriptura sanè essentiam Fidei in fame & siti justitiæ videtur constituere Matth. v. 6. *Beati qui sitiunt & esuriunt justitiam, quoniam ipsi saturabuntur.* Et hic locus insigniter facit ad consolationem conscientiarum infirmarum. Incidunt aliquando pastores ecclesiæ in tales infirmos fideles; qui dubitant de remissione peccatorum suorum, qui confitentur, se per peccatum esse alienatos à vitâ Dei, qui metuunt Dei judicium, qui desiderant unicè esse in Christo, & per ac propter eum sibi gratiam fieri à Deo, nondum tamen habent hunc actum fidei, ut credant sibi remissa esse peccata vel remissum iri. An non verò horum consolandorum unica est ratio, ut ex his ipsis, quæ dicunt in se esse, concludatur, eos esse reverâ in gratiâ apud Deum, quod talibus esurientibus & sitientibus justitiam promittatur satietas Matth. v. 6. *quod beati sint omnes qui confugiunt ad Filium*: Psal. II. 12. quod *tales confugientes, ut spem propositam obtineant, habeant firmam consolationem*, Heb. VI. 18. quòd *arcem Dei apprehendentes pacem cum Deo faciant* Esa. XXVII. 5. Quibus & similibus locis Scripturæ utendum est, ut progressus in fide faciant hujusmodi homines infirmi, sicque tandem ad consolationem suam persuadeantur quoque, quod sint in gratiâ apud Deum, & quòd iis peccata sua sint remissa. Et scire admodum cuperem, quânam aliâ ratione cum efficaciâ consolari quis vellet fidelem infirmum? Si enim jubeat ipsum credere, remissa sibi esse peccata, dicet ille, se id quidem velle, sed non posse: an non ergo ex ipso illo velle, quod sibi adesse dicit, quodque ipsum est esurire & sitire justitiam, sumet efficacissimum argumentum eum consolandi modo jam dicto? Si dicat ejusmodi, remissionem peccatorum non nisi credentibus promitti, se autem

credere non posse, se fidem intra se non reperire, quamvis optet eam habere, an non distinctè ipsi est explicandum, quòd, dum habeat istiusmodi desiderium, jam habeat illum actum Fidei, qui requiratur ad remissionem peccatorum, etsi non habeat illum alterum, quo credat sibi remissa esse peccata. Videat, si placeat, Vir Clarissimus, Perkinsium Tom. 1. pag. 1051. & sequentibus, & eandem sententiam cum mea reperiet. Hanc enim ille in tractatu, quem vocat *Granum sinapi*, tertiam ponit thesin: *Constans & seria cum Deo reconciliationis credendi, resipiscendi concupiscentia, si insit in corde compuncto, à Deo pro ipsa reconciliatione, fide, resipiscentiâ approbatur & acceptatur*, quam non tantum Scripturarum testimonio, sed & auctoritate Bezæ, Ursini, Taffini, Knoxi comprobat. Atque ex his jam facilè intelligetur nota mea ad §. 40. *Pertinet ista certitudo salutis ad fidem firmam, quod si quis verò fortè fidem tam firmam non consequatur in hac vita; si tamen eam desideret, sique esuriat & sitiat justitiam non debemus dubitare, quin etiam talis sit consecuturus vitam æternam.* Fides enim talium, qui nondum possunt esse persuasi de remissione peccatorum, quamdiu talis est, non potest habere adjunctam certitudinem de salute: at cùm fides hujusmodi omne habeat quod ad essentiam fidei requiritur, uti ostendimus, quid aliud jam censendum, quàm talem hominem, si in eo statu moriatur, quod fieri posse non dubitari puto, consequi vitam æternam juxta dicta superius à nobis citata. Frustra verò dicit Vir Clarissimus artic. 126. num. 67. *talem, qui desideret justitiam etiam consecuturum*, in hâc vita scilicet, *illam certitudinem suæ salutis & firmitatem fidei, quam esuriverit & sitiverit.* Non enim certi esse possumus, nos consecuturos omnes gradus vitæ spiritualis, quos hîc desideramus. Amesius lib. IV. de Conscientia cap. 20. §. 2. *Spiritualia illa bona, quæ gradus admittunt, non possunt in omni gradu absolutè peti: quia res ipsæ, non gradus earum sunt absolutè necessariæ, & à Deo absolutè promissæ 2 Cor. XII. 8. 9.*

CXL. Ferre etiam non potest Vir Clarissimus art. 125. n. 66. quòd amorem Christi sincerum referam inter actus fidei essentiales, dicens, *me sic præposterè confundere fidem cum Charitate.* Ego verò ad id statuendum efficaci sum motus ratione. Postquam enim homo peccator persuasus est, Christum esse unicum fontem & auctorem salutis, eum esse sufficientem Servatorem omnibus ad se confugientibus, non potest non ei repræsentari tanquam Objectum bonum, tanquam Objectum conveniens. At Affectus primus qui oritur erga Objectum, quod ut conveniens nobis repræsen-

præsentatur, & tantum simpliciter consideratur ut bonum, nullo habito adhuc respectu ad tempus futurum, quo sensu Cupiditas circa illud versatur, nec ad tempus præsens, quo sensu versatur circa illud Gaudium, quod spectat bonum illud tanquam suum præsenti tempore à se possessum; talis inquam affectus, qui spectat Objectum simpliciter ut bonum est Amor, quo fit, ut considerantes, nos eo destitui non posse, sed sine eo esse valdè imperfectos, voluntate id nobiscum jungamus. Et sanè concipi nequit, quomodo quis in Deum credere queat, qui ipsum non amet. Nec destituitur hæc sententia aliorum Theologorum suffragiis. Amesius sanè Medullæ lib. 1. c. 3. §. 2. De fide dicit, *quòd sit receptio boni sub ratione boni & intima unio cum eodem:* At hæc unio est amor ille à nobis explicatus. Hoc respectu non pauci Theologi practici fidem comparant cum matrimonio, dicuntque, quod nos per fidem Christo in matrimonium tradamur. Clariss. Coccejus passim Amorem ad Fidem refert, & ad ultima Mosis pag. 336. *Fides illa est species Amoris Dei, quo diligo Deum ut expiantem peccata & sanantem à peccati morbo & pœnâ, ut sim ad gloriam ejus*, & in examine Apologiæ pag. 209. *Omnino igitur fides cum charitate connexa est; quum & ipsa fides nihil sit, nisi charitatis Christi effusio in cordibus nostris, & ejus sensus & ὁμολογία & reciprocatio. Jam amat, qui credit: & nisi amet, nec credit.* Huc facit sententia communis Orthodoxorum, quâ statuunt, *Charitatem non magis separabilem esse à Fide, quàm visibilitas à ratione, calor ab igne*, prout eam proponit ipse Vir Clarissimus Anti-Tir Tom. 11. pag. 326. & prout legitur apud Cham. Tom. 111. pag. 194. ubi inquit: *Fides illa & vera & justificans non potest separari a charitate reâpse, sed tantùm cogitatione distingui* Nam sanè ad essentiam rei pertinent ea, quæ à se invicem non nisi per cogitationem possunt distingui, & Calor quoque ad essentiam ignis plane pertinet, neque potest cogitari ignis, qui calore sit destitutus.

CXLI. Quid de illâ quæstione statuam, An Charitas sit forma fidei? ex dictatis supra art. 138. videbit lector, simulque cognoscet, perperam mihi absolutè Virum Clarissimum §. 125. num. 66. tribuere, *quod Charitatem cum Pontificiis ad fidei salvificæ formam & essentiam pertinere statuam.* Similiter falsum est, quod ibidem dicit, *me distinctionem Papisticam fidei informis & formatæ conari adstruere.* Id apparebit ex mea not. 2. ad art. 42. Loci XI. quæ sic habet: *Lombardus Lib. 111. dist. 3.* Fides, quam dæmones & falsi Christiani habent, qualitas mentis est, quia sine Charitate est.

Unde

Unde apparet ipsum per fidem informem tantum intelligere fidem historicam. An vero ea informis sit dicenda, quæstio potius est de nomine; nam comparativè dici informem quid vetat? cum non habeat eam formam sive essentiam, quam habet fides salvifica, sed tamen non potest dici informis absolutè, quia omnis res habet suam essentiam, sive rationem formalem. Et notâ 4. *Charitas erga Christum potest dici effectum quorundam actuum fidei, sed tamen respectu totius fidei potest considerari, ut aliquid essentiale: sed in hac sententia Pontificiorum aliud quid latet, scilicet, quòd fides dum a Charitate informatur sit meritoria quod rejicimus.*

CXLII. Cæterùm, nos *sentire nostram fidem non tantùm per actum reflexum sed etiam per actum directum*, nemo pro erroneo cum Clarissimo Viro art. 126. num. 67. habebit, nisi qui ad cogitationis naturam non attenderit. Id notâ meâ ad §. 39. ostendi. *Fidem sentimus non tantum per actum reflexum, sed etiam per actum directum: cum enim consistat in cogitatione, ejus eo ipso, quo habemus, immediate sumus conscii: cum hæc sit natura cogitationis: actus vero reflexus est, quando attendentes ad præcedentem actum, eum cognoscimus & sic novimus eum adfuisse.* Sed superius quoque de actu directo & reflexo fuit actum. Adjicere tamen hic lubet verba Cartesii Epist. Tom. II. p. 29. quibus distinctionem inter actum directum & reflexum eleganter explicat his verbis; *Sicut distinctionem facimus inter visionem directam & reflexam, quòd illa dependeat a primo occursu radiorum, & altera à secundo; ita appello primas & simplices cogitationes infantium, quæ ipsis obveniunt, v. gr. quando sentiunt dolorem, ex eo quod flatus aliquis, contentus in ipsorum visceribus, ea distendit, aut voluptatem, ex eo quòd sanguis, quo nutriuntur, est dulcis, & commodus ad eorum nutritionem, has appello inquam cogitationes directas & non reflexas. Sed quando juvenis aliquis sentit rem aliquam novam, eodemque tempore percipit, quòd illam rem nunquam antehac senserit, appello hanc secundam perceptionem reflexionem, eamque non nisi ad solum intellectum refero, etsi ita conjuncta sit cum sensu, ut simul fiant, & ut non videantur esse a se invicem distincta.*

CXLIII. Ad quæstionem, quæ in Theologia agitatur; An fides in nostrâ justificatione consideretur tanquam opus? de qua agit Vir Clarissimus §. 41. Loc. XI. putavi, me operæ pretium facturum, si quædam dictarem meis discipulis, quæ ad statum controversiæ dextrè & distinctè intelligendum profutura putabam, unde hæc ad artic. 45. comparet nota: *Non negamus, fidem esse opus, quatenus est actus aliquis voluntatis, & quæ-*

& quatenus præcepta est, sed est opus merè instrumentale, quo sensu quin in justificatione considerari possit, non negandum : hoc enim Paræus erravit lib. 1. de Just. qui negat fidem esse actionem : negat etiam fidem apprehendere debere justitiam, uti est actio : sed in hâc quæstione hoc negandum est, fidei opus haberi pro perfectâ obedientiâ & dignum æstimari mercede vitæ æternæ, quæ sententia est Remonstrantium & Socinianorum. At hanc sententiam meam vel explicationem sententiæ Orthodoxæ simpliciter refert noster inter meos errores art. 126. num. 68. cujus cùm nullam rationem adducat, judicium cordato lectori permitto. Convenit tamen mea explicatio planè cum explicatione Sibrandi Luberti in Epistolicâ Disceptatione contra Bertium p. 20. ubi sic inquit. *Si quis tamen dixerit: Fidem in hâc propositione (Homo justificatur fide) instrumentaliter accipi, non negaverim ego, hominem isto opere, ut instrumento justificari, Fides enim reverâ est opus, per quod tanquam per medium sive instrumentum justitiam apprehendimus.* Idem in commentariis ad errores Vorstii pag. 659. *Cùm fides, quæ est opus, instrumentaliter accipitur, non malè dicitur credens ex opere, sive per opus justificari.* Ad quod confirmandum citat Ursinum in Catech. fol. 454. & 459.

CAP. XII.

Quænam doceat Philosophia vera de Animâ humanâ. Ea non est corpori coëxtensa nec actualiter nec virtualiter, neque est diffusa per corpus, quod multum prodest Theologo ad adstruendam ejus Immortalitatem. Quo sensu possit dici tota in toto corpore & tota in quâlibet ejus parte. Non potest rectè dici corpus permeare. Nec se contrahit, mutilato corpore, ad reliquas ejus partes. Si corpus permeet totum, erit simul in pluribus locis. Animæ sedes specialis est in eâ parte cerebri, ubi immediatè functiones suas exercet. Non est forma assistens, nec forma informans, quo sensu vulgo nomen formæ informantis accipitur. Forma sive essentia hominis est humanitas. Actiones corporis ab actionibus animæ sunt accuratè distinguendæ. Calor & motus membrorum à corpore procedunt, non ab animâ. Subsistentia non est aliquid positivum, sed in formali suo dicit meram negationem conjunctionis cum alio, unde animam

 sepa-

separatam subsistere non est negandum. Humana Christi natura subsistentia destituta nullo est destituta positivo & reali. Philosophia instruit Theologum, ut animæ in se, & suâ naturâ consideratæ nihil attribuat corporeum, adeoque nec locum nec motum. Sed si spectetur ut operans sive in corpore, sive, dum separata est extra corpus, dicitur ibi esse ubi operatur. Locus & spatium quomodo differant à corpore. Cogitatio quâtenus talis nullam habet relationem ad locum. Parkerus ostendit, Patres qui animam separatam in loco posuerunt, eidem corpus tribuisse. Idem alios ex Patribus, varios quoque alios auctores adduxit, qui animæ & Angelis locum assignarunt tantum respectu operationis. Eadem sententia quoque est Claudiani Mamerci, Pici Mirandulæ, ipsius Parkeri, qui rationibus quoque defendit. Refutantur Objectiones contra illam sententiam. Anima convenit cum Angelo in naturâ spirituali. Nullo opus est Loco dispensationis pro animabus mortuorum. Explicantur loca Scripturæ 1 *Cor.* XII. 2. 4. *Luc.* XVI. 19. 20. *Phil.* I. 23. *Triumphus Christi & fidelium quid designet. Quomodo animæ motus queat assignari.*

CXLIV. EX his quæ dicta sunt cap. x. patere potest, mentem ut cogitantem, quando nihil extra se operatur, nullum habere respectum ad locum vel ad motum, nihilque, quod corpori quâtenus corpori competit, ei esse adscribendum, nisi amemus confusos conceptus, quorum ope labi velimus in varios errores, quorum specimina art. CXV. adduximus. Nullo ergo jure vel Cartesii vel eorum, qui ipsum sequi voluerunt præeuntem, sententia reprehenditur à Viro Celeberrimo in fine art. 75. cujus verba hîc recitare operæ pretium non videtur. Eam ceteros errores vel hæreses parere judicare eundem audimus, sed id judicium ex non rectè perceptâ eorum, quos oppugnat, mente, ortum habere in sequentibus ostendemus; quòd si hâc in parte nobiscum eum conciliare possimus, in quâ valdè nobis videtur alienus, in reliquis minor erit difficultas. Initium faciamus à mente nostrâ humanâ, quæ notior nobis est, cùm eorum omnium, quæ in ipsâ fiunt, immediatè simus conscii; eam-

que

que spectemus prius, quomodo se habeat ad suum corpus, dein quid de eâ conveniens Scripturæ & naturæ suæ possumus dicere post mortem. Vir Celeberrimus art. 83 statuit, *animam totum corpus & singulas ejus partes animare, adeoque coëxtensam virtualiter & formaliter ipsi corpori*. Nos de hâc extensione virtuali jam egimus art. 118 eamque absurditatem maximam & manifestam contradictionem involvere ostendimus. Nec aliunde ea oritur, quàm ex neglecto discrimine, quod inter mentem & inter corpus intercedit, quod præcedente capite juxta mentem Cartesiii asseruimus. Sed cum noster Celeberrimus istam extensionem virtualem etiam adhibeat de Deo, cujus essentiæ tribuit diffusionem per omnia ad modum corporis subtilis art. 81, dum hoc argumento probat Deum esse ubique *repletivè, quod etiam conveniat naturæ ejus spirituali*, quòd, *quo res subtiliores sunt & magis accedunt ad naturam spiritualem, eo plura repleant spatia, ut experimur in luce, in odore, in sono*, (qua de re suo loco plenius agemus) asseratque, sicut anima tota sit in toto corpore, & tota in quâlibet ejus parte, ita Deum esse totum in toto mundo & totum in quâlibet ejus parte, statuet procul dubio, multò magis de animâ, eam esse diffusam per totum corpus ad modum corporis alicujus subtilis. Quo nomine nolo dicere, ipsum negare animæ immortalitatem, quod nobis toties attribuit, etsi sciat nos contrarium asserere & defendere, hoc dicam, non posse eam defendi ex naturæ lumine, positâ hâc sententiâ. Si enim sit anima diffusa per totum corpus ad modum corporis subtilis, debebit concipi habere partes & per consequens esse divisibilis, idque tantò magis, quo facilius corpus subtile potest dividi non tantùm, sed jam actu divisum est in varias partes diverso motu agitatas, quod à Cartesio ostensum in explicatione fluidi art. LVI & sequentibus Princip. II. Quid ergo fiet de tali animâ ubi corpus suum deseruit? Nonne dicendum erit, eam occursu aliorum corporum variis modis dividi oportere, & tenues tandem evadere in auras? Quod omninò corporibus fluidis & subtilibus non alicubi conclusis accidere oportere per se est manifestum.

CXLV. At nos, quamvis animam statuamus *reverâ junctam esse toti corpori, nec posse propriè dici, eam esse in quâdam parte ejus exclusivè ad alias*, eo modo & sensu quo id explicat Cartesius Passionum art. 30; quamvis etiam quodam sensu possimus admittere hanc locutionem, *animam esse totam in toto corpore, & totam in quâlibet ejus parte*, quâtenus per *totum* intelligitur aliquid quod est non tantùm indivisum sed etiam indivisibile in

partes

partes, dicimus tamen, *specialem animæ sedem esse in cerebri eâ parte, in quâ anima suas functiones specialius, quam in aliis partibus exerceat*, quâ de re videri potest Cartesius de Pass. art. 31. Negamus verò, animam debere ut totam concipi, si totum eo sensu accipias, quo solet de corpore habente partes usurpari, quo sensu nihil falsius dixeris hoc effato: *Animam esse totum in corpore*, cùm ea partes non habeat. Agnovit id Parkerus de descensu Christi ad inferos Lib. II, qui pag. 110 contra Scotum hæc observat: *Plumbeus es*, inquit, *o subtilissime. Nihil Angeli dicis & nihil animæ. Dicas igitur multum Angeli & multum animæ, aut plus animæ, plus Angeli: aut si hoc absurdum judicas, neque nihil neque totum dicas de eo, de quo neque multum, neque plus dicere liceat.* Negamus etiam, hominis *duas partes essentiales se mutuò permeare*, sicut statuit Vir Celeberrimus art. 83, quod id corporeum aliquid inferat, & subtilitatem nescio quam animæ assignet, de quâ præced. art. fuit actum. Quod quoque infert *contractio illa*, quam Vir Celeberrimus *animæ* tribuit art. 83, quâ fiat, *ut resciso pede vel brachio contrahat suam præsentiam, ἐντελέχειαν & activitatem, ad eas solum partes, quæ inter se cohærent & corpus ipsum constituunt*. Si enim antea sit diffusa per totum corpus, adeoque etiam permeaverit istam partem, quę abscinditur, nunc verò se contrahat, arctius longè erit constricta, ad modum fortè quo cochlea, quæ ex domunculâ suâ prorepserat, impingendo alicubi, se contrahat & inter arctum suum domicilium coarctatur. Diffundi enim & dilatari, ut & contrahi attributa planè sunt corporea, adeoque ab animâ plane removenda. Neque satis solvitur Objectio illa, quam sibi ibidem proponit ex Bellarmino lib. 3. de Euchar. cap. 3. *inde secuturum, animam adeoque aliquam creaturam posse esse præsentem multis in locis*, per responsionem Suarezii tract. de Angelis lib. 4 cap. 10 num. 9 *animam non informare corporis partes, quæ vel inter se vel aliquâ parte mediâ continuitatem non habent.* Nam sic saltem potest esse anima in diversis cubiculis domus alicujus, quæ mediantibus parietibus continuitatem aliquam habent, quæ cubicula cùm sint diversa adeoque multa loca, sequetur adhuc posse creaturam esse præsentem multis in locis. Quod autem de animâ diceretur, quidni de Angelis quoque dici posset? Fateor inde non sequi, corpus aliquod posse esse in pluribus locis, si anima vel Angelus esset in pluribus locis, idque benè defendere Virum Celeberrimum fine art. 83, sed tamen creaturæ alicujus præsentiam in pluribus locis inde elici posse patet. Ne nunc dicam, capi non posse, quomodo si anima sit diffusa per totum corpus illudque

permeet,

permeet, non etiam sit in ventriculis cerebri, ubi est receptaculum spirituum animalium, & in venis & arteriis adeoque sanguine inibi contento, sed tantùm in *partibus quæ vel inter se vel aliquâ parte mediâ continuitatem habent.* Sic enim, sicut parietes ventriculorum cerebri inter se invicem distant & partes venarum & arteriarum ob intercedentes spiritus & sanguinem, ita etiam anima prout est in illis partibus quas sic permeat, diffusa, à se ipsa distabit, prout est in partibus oppositis, quæ omnia nimis crassa sunt & aliena ab animæ naturâ.

CXLVI. Specialem sedem animæ dum dicimus esse in eâ parte cerebri, ubi functiones suas exercet, quæ pars ob figuræ similitudinem glandula pinealis ab Anatomicis solet appellari, non statuimus, animam esse formam *tantùm assistentem, ut est nauclerus in navi, auriga in curru*; quod nescio, quare nobis Vir Celeberrimus attribuat art. 83. Cartesius enim Medit. VI contrarium expresse docuit pag. mihi 41. *Docet etiam natura per istos sensus doloris, famis, sitis &c. me non tantum adesse meo corpori ut nauta adest navigio, sed illi arctissime esse conjunctum, & quasi permixtum, adeo ut unum quid cum illo componam; alioqui enim cum corpus læditur, ego, qui nihil aliud sum quàm res cogitans, non sentirem idcirco dolorem, sed puro intellectu læsionem istam perciperem, ut nauta visu percipit, si quid in nave frangatur; & cum corpus cibo, vel potu indiget, hoc ipsum expresse intelligerem, non confusos famis & sitis sensus haberem. Nam certe isti sensus sitis, famis, doloris, &c: nihil aliud sunt quam confusi quidam cogitandi modi ab unione & quasi permixtione mentis cum corpore exorti.* Sed fortè ansam arripuit hanc sententiam nobis affricandi ex eo, quod ad §. 41 Loc. XIV System. ipsius, ad hæc ejus verba: *Sicut materia suam semper appetit formam à quâ perficitur, sic forma separata suam appetit materiam, in quâ operetur*, dictavi. *Nulla talis est forma: anima quidem est pars hominis, sed forma hominis est humanitas*; ex quibus tamen id nullis elicueris fidiculis. Cùm enim vulgo formæ illæ informantes concipiantur tanquam permeantes & intimè penetrantes materiam, idque de animâ, juxta ea quæ præced. art. diximus, non possit statui, negavi talem hominis formam esse animam, imo absolutè negavi, tales ullas dari formas informantes; quòd si verò per formam intelligatur rei essentia, quo sensu solet illa vox non rarò accipi, dixi hominis formam consistere in humanitate, cùm non anima sola essentiam hominis constituat, sed ad eam quoque pertineat corpus, unde istam essentiam non potui commodiori vocabulo, quàm humanitatis exprimere. An ergo quia

nego, ullo modo animam posse dici hominis formam, sive per formam intelligas rei essentiam, sive aliquid quod corpus totum penetret & permeet, debeo dici asseruisse, *animam hominis esse tantum formam assistentem, sicut est nauclerus in navi?*

CXLVII. Porrò animam nostram sic conjunctam cum corpore negamus cum eo esse confundendam, quod & cap præced. probavimus; unde actiones corporis judicamus solicitè esse distinguendas ab actionibus animæ, ad quod obtinendum hanc regulam subministravit Philosophus art. III de Pass. *Si animadvertatur id omne quod experimur esse in nobis, & quod videmus etiam posse inesse corporibus plane inanimatis soli nostro corpori tribuendum esse; Et è contrario id omne quod nobis inest, & quod nullo modo concipimus posse alicui corpori convenire, nostræ animæ tribui debere.* Et art. IV ostendit, *Calorem & motum membrorum procedere a corpore & cogitationes ab animâ. Ita*, inquit, *quia non concipimus corpus ullo modo cogitare, merito credimus omnes species cogitationum, quæ nobis insunt, pertinere ad animam. Et quia non dubitamus, dari corpora inanimata, quæ sese movere possint in tot imò plures modos quam nostra, & quæ habeant tantum aut plus caloris (quod experientia ostendit in flammâ, quæ sola habet multò plus caloris & motus, quam ullum ex nostris membris) credere debemus, omnem calorem & omnes motus qui nobis insunt, quâtenus non pendent à cogitatione, solius esse corporis.* Atque ita porrò docet art. V, *erroneum esse credere, animam dare motum & calorem corpori*, atque toto hoc tractatu accuratè distinguit, quæ ad corpus solum pertinent, ab iis, quæ ad animam sunt referenda. Cum quibus consonantia dictavi ad System. Celeberrimi Viri §. 4 Loci XIV dicendo, *vitam corporis non dependere à vitâ animæ, cùm totâ naturâ, prout ipsum corpus, ita & vita corporis ab animâ & vitâ animæ differant: vitam enim corporis consistere in motu sanguinis & spirituum, vitam verò animæ in cogitatione.*

CXLVIII. Hæc autem omnia, quæ olim in isto tractatu Philosophi non improbavit Vir Clarissimus nunc in fine art. 94 traducit tanquam *stultas cogitationes*, quibus *statuamus animam, quæ nobis sit forma tantum assistens non informans, tam parum conferre ad actiones nostras vitales & animales, ut post ejus separationem a corpore, quæ nonnisi per mortem contingit, possit nihilominus homo, sive potius corpus humanum, omnes functiones suas solitas edere, quæ pertinent ad propagationem speciei vel individui conservationem, edendo, bibendo, ambulando, operam liberis dando &c. ut scilicet corpus maneat vivum post mortem, nec destitutum animæ præsentiâ, solutoque vinculo, quo ei conjungebatur,*

gebatur, abeat in cadaver, vitâ, motu sensuque carens. Annon digni isti homines, tam solemnia delirantes, qui cum Nebucadnetsare, justo Dei judicio ad pascua & fœnum relegentur, & astu diaboli fumo necentur fabulosarum Legendarum, in quarum nonnullis, haud dissimilia portento mendacia popello obtruduntur? Et §. 129 num. 83 inquit: *Unde sequitur id Cartesianorum absurdum antea notatum, quod etiam post animæ separationem à corpore corpus suam vitam & suas functiones vitales retinere & exercere possit.* Quæ si conferantur cum Cartesii Passionibus & nostris dictatis facilè apparebit, quid verè, quid falsò nobis assignet. Nemo enim nostrum dixit, *post animæ separationem a corpore, quæ non nisi per mortem contingit, hominem posse suas functiones vitales edere &c.* Per mortem enim redditur corpus ineptum ad edendas functiones vitales, imò per mortem functiones omnes vitales cessant. Nemo dixit, *corpus manere vivum post mortem*, quod planè contradictorium. Hoc solummodo sequitur & rectè elici potest ex sententia Cartesianâ & nostrâ, posse in corpore humano, in quo sanguinis & spirituum motus & præcipuæ ejus partes rectè se habeant, quodque per consequens sit vivum, omnes motus corporeos edi, etsi nullâ sit præditum animâ rationali, quod tamdiu statuemus, donec id implicare contradictionem fuerit ostensum. Sed Clarissimus Vir hæsit in isto *errore*, quem Cartesius refutavit art. V Passionum, *quo creditur, absentiam animæ causam esse cessationis motus corporis & caloris, cum è contrario cogitandum potius fuisset, animam cum morimur non discedere, nisi quia calor corporis cessat & organa quæ inserviunt motibus corporis corrumpuntur.*

CXLIX. Hæc sunt quæ de animâ conjunctâ cum corpore ejusque functionibus distinctis à functionibus corporis rectè philosophatus est Cartesius. De statu animæ separatæ non egit, cùm is debeat cognosci per scripturam, quâ lectâ, potest tamen ipsius Philosophia Theologo præbere suum usum, ut ea quæ ex Scripturâ cognovit, quoad τὸ ὅτι, distinctius quoad τὸ διότι intelligat. Atque hic primò qui rectè philosophantur, & student claris & distinctis conceptibus, juxta quos judicium formant, attendentes ad naturam singularem deprehendunt, Omnem naturam singularem, eo ipso quo non est conjuncta cum alio, esse Suppositum, eamque naturam singularem, quæ intellectu & voluntate est prædita, si sit conjuncta cum alio, esse Personam; & cum entia non sint multiplicanda absque necessitate, nihilque positivum & reale deprehendant additum naturæ singulari, præterquam quòd non sit conjuncta cum alio,

nolunt

nolunt fingere aliquod positivum & reale, per quod constituatur suppositi ratio formalis. Quòd enim Celeberrimus noster Theologus in Systèm. suo Loc. 111 §. 5 Subsistentiam definit, *quod sit modus entitativus ultimo terminans & complens naturam substantialem, & ei dans incommunicabilitatem*, id nunquam me percipere potuisse libenter fateor. Vocabula positiva me audire non quidem possum diffiteri, sed his ullam rem positivam designari nunquam potui deprehendere. Quis sit modus ille entitativus sive realis adeoque positivus exprimi oporteret, siquidem talis rei singulari per subsistentiam accederet. Terminare is dicitur & complere naturam substantialem, sed per quid terminet & compleat, hoc est, perficiat, quidve sic complendo addat, non dicitur, nec dici potest. Dicitur is modus naturæ substantiali addere incommunicabilitatem. At hæc incommunicabilitas dicit utique negationem alicujus relationis, nihil adhuc ponit realitatis. Cùm ergo nihil videam vel ab ipso vel ab alio datum esse reale, quod addatur ad naturam singularem per subsistentiam, & attendendo ad supposita nihil aliud deprehendam in iis, quàm quòd non sint conjuncta & unita cum aliâ quâdam substantiâ, dictando olim ad art. 5 Loc. 111 Systém. ipsius, sic subsistentiam descripsi, *quod præcise & abstractè considerata nihil aliud sit, quàm mera negatio conjunctionis cum alia re ad constituendum unum suppositum.* Addidi: *Natura Christi humana non subsistit, quia semper refertur ad λόγον, cum quo inseparabiliter est conjuncta. Anima verò nostra humana, quia per separationem a corpore ab eâ aufertur relatio ad corpus, eo ipso tam habebit subsistentiam, hoc est, negationem conjunctionis.*

CL. Hæc nondum everti video per ea quæ habentur art. 94 pag. 68. *Qui conceperit animam per modum suppositi vel personæ, ut istos non pudet conceptis verbis, animam separatam personam statuere, is facilè etiam naturam Christi humanam cum Nestorianis in personam transformabit: Nam & hæc habuit & habet suum complementum Physicum, id est quicquid requiritur ad integritatem & perfectionem naturæ humanæ, licet non habeat complementum suum Metaphysicum ex incommunicabilitate resultans: unde personæ ϑεανθρώπου pars quædam est, nullo modo persona. Sic etiam anima separata habet Physicè quicquid ad sui constitutionem requiritur inesse animæ, sed in illo statu præternaturali destituitur suo complemento Metaphysico, divulsa a suo corpore, instar mulieris viduæ suo marito destitutæ. Mirum est Theologos quos decet intelligere mysteria Incarnationis & Trinitatis, ad ea hic non attendisse. Hugo Grotius ad Matth.* XXII. 32. *ea habet de conditione animæ quæ dent in pudorem hos novos Philoso-*

Philosophos. Naturalis (inquit) amor corporis, quem in animo omnes deprehendimus, ostendit animum humanum esse οὐσίαν ἁπλῆ, quæ corpus perficiendo simul ipsa perficiatur finis sui adeptione: quæ ratio multos Philosophos adegit ad comminiscendas μετενσωματώσεις. Naturam Christi humanam non transformari in personam ex ipsâ nostrâ definitione satis patebat, & tamen hoc ipsum in particulari ostendimus. Quia enim nunquam non fuit conjuncta cum λόγῳ, nunquam fuit persona. Complementum istud Metaphysicum, quod hîc dicit ex incommunicabilitate, hoc est, negatione relationis resultare, vellem ut aliquando audirem in quo reali & positivo consisteret. Quo posito, dicendum utique reali aliquo & positivo fuisse destitutam naturam Christi humanam; sicque Christus erit nobis similis quoad omnia, non tantùm excepto peccato, quod dicit Scriptura, sed etiam excepto illo nescio quo positivo, sive reali complemento nempe illo Metaphysico. Grotii verba ortum habent ex obscuro illo vulgaris Philosophiæ conceptu, quo anima concipitur tanquam ens incompletum, ac si à corpore aliquam perfectionem, quam ex se non habeat, acciperet. At hîc benè distinxerat Philosophus Respons. Quart. pag. mihi 122. *Aliter dici possunt substantiæ incompletæ, ita scilicet, ut quâtenus sunt substantiæ, nihil quidem habeant incompleti, sed tantùm, quâtenus referuntur ad aliquam aliam substantiam, cum quâ unum per se componunt. Ita manus est substantia incompleta, cum refertur ad totum corpus, cujus est pars, sed est substantia completa, cum sola spectatur: & eodem planè modo mens & corpus sunt substantiæ incompletæ, cum referuntur ad hominem quem componunt: sed solæ spectatæ sunt completæ.* Unde patet istud *incompletum esse* in merâ consistere relatione, quâtenus id, quod in suâ naturâ est completum & perfectum comparativè loquendo dicitur incompletum & imperfectum, dum nòn habet illam perfectionem, quam habet totum illud, ad quod refertur.

CLI. De Ubi vel loco animæ separatæ deinde quærere potest ex Philosopho Theologus, postquam ex Scripturâ didicit, animæ piorum benè esse post mortem, impiorum malè. Atque hic docet Philosophia, quod patet ex antecedentibus, animæ, si in se, & suâ naturâ tantùm spectetur tanquam res cogitans, citra operationem, quæ extra se ipsam terminetur, nullum locum, nullum motum, nihil quicquam quod est corporum, attribuendum. Locus enim sive spatium & corpus non aliter à se invicem differunt quam *in modo, quo à nobis concipi solent, quod cum utrobique, & in spatio, & in corpore extensionem in longum, latum, & profundum concipiamus, eam in*

Q *corpore*

corpore ut singularem spectemus, & putemus semper mutari, quoties mutatur corpus, in spatio verò & loco tantùm unitatem genericam ei tribuamus, ita ut mutato corpore, non tamen extensio spatii mutari censeatur, sed remanere eadem, quamdiu manet ejusdem magnitudinis & figuræ, servatque eundem situm inter externa quædam corpora, per quæ illud spatium determinamus, qui conceptus Loci sive spatii à Cartesio Princip II. §. 10. ita distinctè factus multum lucis præbet considerationi distinctæ spirituum à corporibus, & disputationibus Scholasticorum de spatio finem felicissimè imposuit, ita ut si ad eum attendere voluisset Vir Venerandus, non opus habuisset dicere articul. 78. *In loco sumus, & quid locus sit, ferè ignoramus*; Sed *nimis crudum ei videtur* art. 77. *spatium nihil aliud esse quàm corpus, quia non posset corpus hoc illudve spatium subire vel occupare absque dimensionum penetratione, quam implicare contradictionem, in confesso est.* Quæ ab ipso dici merito miramur, cum in Theologo Paradoxo pag. 41. ea, quæ hic rejicit tanquam nimis cruda, olim approbaverit. Sic enim ibi: *Quæ hic inspersit de Nobili Cartesio, quem optime de spatio philosophatum dixeram & jure, quia ex odio illius inveterato proficiscuntur, lubens transeo. Quamvis virtus & veritas vel in hoste laudanda sit, debuissetque potius rarum illud & excellens ingenium omni favore excitari ad philosophica studia excolenda, & ex spinis Jesuiticis extricanda, ad quod factum erat, quam premi invidiâ, odio & calumniis atrocissimis, quorum Disputator fuit auctor primarius.* Verum non debebat concipere Spatium tanquam corpus distinctum ab eo, quod subit illud Spatium, sed potius juxta ea, quæ ex Cartesio adduximus, spatium & corpus, quod subit istud spatium, pro eodem habere, & tantùm distinguere modo cogitandi; sic nihil de dimensionum penetratione cogitare attinuisset. Cum itaque Mens quævis, si in se & suâ naturâ spectetur, neque attendatur ad operationem ejus extra se terminatam, nihil quicquam habeat extensionis, non potest quoque sic considerata dici esse in loco sive Spatio, cum in loco esse significet, habere æqualem loco extensionem. In corporibus, quia est extensio, potest singularis eorum extensio ad generalem referri, eaque sic possunt dici locis suis sive spatiis coëxtensa, adeoque æqualem habere locis suis extensionem; Sed ubi nulla est extensio, ibi ut non debet considerari tanquam singularis, ita nec debet tanquam generica spectari.

CLII. Solet vulgo distingui Ubi sive spatium in repletivum, definitivum & circumscriptivum; Deoque tribui Ubi repletivum, angelis definitivum, corporibus circumscriptivum. De quâ distinctione inquit Parkerus

kerus Lib. II. de Descensu Christi ad inferos pag. 108. *Sed ut nos ista minime movere debent, ita nec illa distinctio nupera dimovere: quâ affirmatur,* circumscriptivè *quidem non nisi corpus in Loco esse, at animam posse locari* definitivè, *quemadmodum & ipse summa Majestatis Deus in loco* repletivè *est. At ausim dicere hujus acuminis prorsus nihil cognitum fuisse ante Scholasticorum tempora.* Sed reverâ hæc definitio, si bene attendatur ad terminos, dicit tantum diversum modum, quo corpora Alicubi sive in loco esse dicuntur, ita ut omnia istius distinctionis membra corporibus propriè sint assignanda. Repletivè corpus dicitur esse in loco, quâtenus suâ extensione & mole totum illud spatium in quo est, ita replet, ut alia corpora inde excludat, cum penetratio corporum manifestam implicet contradictionem. Definitivè verò corpus aliquod dicitur esse in loco, quâtenus non tam ad molem, & magnitudinem, quàm ad situm ejus attendimus, quem inter alia corpora obtinet; quæ situs determinatio fit vel per corpora longius remota, vel per proximè juncta, ab unâ aut alterâ tantum parte, Ita Urbs sita dicitur prope montem vel flumen vel mare. Circumscriptivè tandem corpus in loco esse dicitur, quando attenditur ad ejus situm inter proximè juncta corpora, quæ illud undique circumjacent, quo sensu pisces sunt in aquis, aves in aëre, aqua in vase, &c. Propriè igitur hæ locorum differentiæ sunt corporum, idque quod repletivè est in loco, etiam alio sensu circumscriptivè & definitivè in loco esse dici debet; mentes autem quæcunque illæ sint nec repletivè, nec definitivè nec circumscriptivè in Loco propriè dici possunt. Ea enim quæ propria sunt corporum propriè de mentibus usurpari non posse nemo negaverit, præsertim cum omnes admittant hoc axioma: Disparatum de disparato non posse prædicari in sensu proprio. Eodem autem res reddit, sive substantia disparata de substantiâ disparatâ, sive istius substantiæ disparatæ attributum, quod ab illâ substantiâ disparatâ non nisi ratione differt, de eâdem substantiâ separatâ prædicetur.

CLIII. Quod si porro ad naturam ipsius mentis attendamus nihil in eâ reperiemus, ex quo relatio ad locum possit deduci. Mentem præcedente capite ostendimus esse rem cogitantem. Eam intelligere, velle, affirmare, negare, dubitare, sentire & imaginari ex propria conscientiâ novimus. In his nihil est quod inferat relationem ad locum; diversa planè hæc sunt attributa ab attributis, quæ ex extensione sequuntur; non potest mens magis dici esse ad dexteram vel ad sinistram, supra vel infra,

 quàm

quàm calida vel frigida, alba vel atra. Ad id ut cogitet, ſicut non indiget qualitate ſenſibili, quæ planè aliena eſt ab ejus natura, ita nec indiget loco vel ubi. In ſe ipſis tantum & apud ſe ſunt mentes, ſi earum naturam ſpectemus actus immanentes tantum edentem, qui immanentès dicuntur, quia intra animas manent atque eorum ratione intra ſe & ſecum habitare & eſſe propriè dicuntur. Dicit quidem Vir Venerandus art. 102. pag. 77. *Quamvis ſuperius vel inferius, dextrum vel ſiniſtrum, &c. non conveniat animæ per ſe, cum hæc ſint & notent relationes rerum corporearum inter ſe, attamen illi convenire reſpectu ſpatii definitivi, quod obtinet, cui aliæ ſpatii partes ſunt ſuperiores aut inferiores dextra vel ſiniſtra.* Sed ſupponit, eam, quando extra ſe non operatur, eſſe in ſpatio definitivo, quo non indigere eam oſtendimus, quia huic non competunt differentiæ loci, ſicut rectè infertur, ei non competere qualitates ſenſibiles, quia non conveniunt qualitatum ſenſibilium differentiæ, cujuſmodi ſunt calor & frigus, albedo & nigredo, &c. Quod ſanè argumentum non refelletur, ſi quis dicat, *non convenire ei calorem vel frigus, albedinem vel nigredinem reſpectu ſui ipſius, ſed reſpectu qualitatis tactilis vel viſibilis, &c.* an enim competant ei qualitates tactiles vel viſibiles quæritur, quod idem eſt cum quæſtione: an ei competant qualitates iſtæ reſpectu ſui ipſius? Si ergo oſtendatur, nullam ex iſtis qualitatibus poſſe aſſignari, non poteſt dici, poſſe aſſignari iſtius qualitatis, quamvis nequeat attribui reſpectu ſui ipſius.

CLIV. Non poteſt ergo mens ſi in ſe ſpectetur citra operationem extra ſe terminatam, concipi eſſe in Ubi quodam ſive loco, ſicut non poteſt concipi habere qualitatem ſenſibilem, niſi ab iis qui mentem cum corpore confundunt eamque corpoream cogitant. Quæ reverâ multorum opinio eſt, dum ſine qualicunque extenſione Deum & Angelos, tanquam res ſubſiſtentes, concipere non poſſunt. Unde ex ipſorum eſſentiâ in ſe conſideratâ Localitatem quandam fluere putant; quod dicere non poſſent: niſi quandam extenſionem iis aſſignarent. In quo ſe ipſos implicantes ſolam extenſionem corporis concipiunt ut impenetrabilem & determinatam, unde circumſcriptivè eſſe in loco corpori adſcribunt, Angeli ut penetrabilem & indeterminatam, quam propterea definiri poſſe dicunt, Dei verò ut penetrabilem & infinitam dicunt, quem propterea omnia replere poſſe inquiunt. Hoc in genere jam antea obſervavit doctiſſimus Parkerus de deſcenſu Chriſti ad inferos, ubi eandem nobiſcum ſententiam prolixè defendit, oſtenditque, Patres, qui animam ſeparatam

in

in loco posuerunt, eidem etiam corpus attribuisse. Quoniam vero auctor ille non est in omnium manibus, lectores etiam sæpe tædet scriptorem, qui nominatur tantum, inspicere, consideratu tamen sunt dignissima quæ ipse de toto hoc negotio observavit, non pigebit quædam ex eo describere. Sic ergo habet pag. 106. & 107. *Quarto a Loci subjectâ materiâ disputatur, ut quæ nihil nisi corpus est, quod etiam in causâ est, ut qui animam separatam patres in loco posuerunt, ii corpus etiam eidem attribuerent. Vere enim ut videtur Sixto Senensi. Veteres putarunt omne creatum corporeum. Hinc illa Basilii (similia quibus, & apud Dydimum, & apud Ambrosium reperiuntur:) Reliquæ virtutes omnes circumscriptæ esse creduntur. Nam angelus qui adstabat Cornelio, non erat in eodem loco, quo cum adstaret Philippo, neque qui locutus est Zachariæ ab Altari, per idem tempus, etiam in Cœlo suam implebat stationem. At Spiritus simul in Abacuc, & in Daniele. Animadvertendum quod ait, virtutes circumscribi: jam enim ante cap. 16. statuerat, substantiam angelorum esse aeream, vel igneam ex Hebr. 1. & ea propter eos & in loco esse, & fieri visibiles, dum apparent in specie propriorum corporum. Eadem habet Gregorius in Iob. eadem alii. At ut angelos patres corporeos esse non statuerint, de animâ tamen ita presse loquuntur, ut mirari mihi subeat eos, qui σῶμα in eorum scriptis, de essentia tantum interpretantur, non autem de substantiâ, corporeitate aliquâ præditâ: cum & animæ colorem pingant patres, & figuram delineent, & mensuram, aliasque proprietates eidem assignent, quæ nisi in corpus cadere nequeunt. Animæ defunctorum suum quoddam habent corpus, quod dicitur ἀυγοειδές. Origenes. Anima forma est humana, lucida, tenera, aërii coloris. Item. Anima est immortalis, corporea, effigiata Tertullianus. Anima habet figuram, alioqui quomodo dives agnovisset Lazarum? Irenæus. Augustinus videtur in hac esse sententiâ. Si omnis substantia est corporea, esse etiam animam corpoream: alioquin animæ nec corpus esse, nec aliquam similitudinem corporis. Arnobius ita disputat, qui Leonis Romani temporibus vixit. Quicquid mensuram habet corpus est, quod autem initium habet & ultimum mensuram habet. Ergo angeli à Deo facti corporei sunt. Quicquid tangitur & tangit, & in aliquo loco continetur, corpus esse non est dubium. Cum ergo & intrare animam in corpus, & habitare in corpore, & exire è corpore doceatur: quomodo non corporea esse dignoscetur? Ita Theodoretus apud Clementem Alexandrinum. Dæmones & corpus habent, & formam, ideo sensum habent pœnarum. Quomodo autem intelligi possunt & animæ pœnam sentire, μὴ σώματα ὄντα? Manifestum verò hoc à Lazaro & divite, per quos ostenditur, quod & anima corpus sit. Postremò ita canit*

Prudentius. Una animas semper facies habet, & color unus, Aëris. Quid igitur? Numnam refutandæ mihi istæ patrum sententiæ sunt? Imò recitasse, eas satis refutasse est. Ea demum controversia dubia & implexa magis, quàm movent illi, qui licet animam incorpoream fateantur, localem tamen statuunt. At cui hoc quæso auditum unquam? Certè Augustinus ex eo probat, Deum non esse in loco quia non est corpus, citante Scoto, qui respondet, non esse in loco circumscriptive: quasi AUGUSTINUS *non omnem loci rationem, quæ rebus creatis inest, Deo adimeret, sed eam tantum, quæ in corporibus reperitur?*

CLV. Sed cùm anima sit in corpore, in eoque operetur, & speciatim in certâ quâdam parte cerebri functiones suas exerceat, dicimus animam sedem in istâ parte, sive, quod eodem redit, locum habere, quatenus illa ipsa pars, in quam operatur, locum certum in cerebro obtinet. Quæ si observasset noster, non habuisset quod diceret circa finem art. 102. *Et absurdissimè negaveris, animam alicui loco præsentem esse, quam præsentem corpori & glandulæ pineali inclusam instar aranei in suo foramine & fateris & imaginaris.* Nos enim non negare animam dum est in corpore, præsentem esse glandulæ, ex art. 31. Cart. Passionum est manifestum, sed *inclusam* esse in eâ *instar aranei in suo foramine* ad facetias ejus est referendum. Quando verò anima separata est à corpore, & vel vitæ æternæ est particeps, vel cruciatibus infernalibus torquetur, considerari tantum debet, an extra se operationes quasdam producat, quæ ad corpus aliquod terminentur, an nullas, sed tantum intra se percipiat & velit? Prius si fiat, omninò dicimus habere respectum ad locum, sicque ratione istius operationis animam hanc operantem esse in loco, & quia ista operatio procedat à potentiâ, quæ non differt ab animæ essentiâ nisi modo cogitandi, sic quoque, dum operatur extra se, posse & respectu potentiæ & ratione essentiæ dici esse in loco. Sed si nullas extra se edat operationes, si tantum intra se cogitet & velit, negamus relationem ad locum ipsi posse competere, cum istius relationis nullum tunc detur fundamentum. Non enim, ut jam satis ex dictis patet, fundamentum sufficiens esse potest, si utrumque, & mens separata à corpore, & locus existant: existere enim potest anima etsi tantum apud se sit & actus immanentes habeat. Nequidem si una anima operetur in aliam, v. gr. angelum aut aliam animam separatam, potest ad eam referri tanquam ad locum, cum mens nulla sit locus. Solum igitur & unicum fundamentum restat, ut dicatur in loco esse, si extra se in loco agat & operetur.

CLVI. Ex

CLVI. Ex eodem Parkero quoque satis conspici potest, hanc sententiam novam non esse. Adducit enim varios ex Patribus & Scholasticis, qui animæ & angelis non alio sensu locum posse adscribi censuerunt, quam quatenus extra se operatur in loco vel in corpore, cujus operationis respectu isti loco vel corpori dicuntur esse præsentes. Sic, pag. 104. adducit Anselmum in Elucidario, qui Cœlum respectu Spirituum habet pro loco spirituali: *Paradisus quo discedunt justi, inquit, non est locus corporalis, quia spiritus non habitant in locis sed est spiritualis mansio beatorum in intellectuali Cœlo, ubi ipsa divinitas, qualis est, facie ad faciem contuetur.* Paulò post adducit Augustinum & Thomam citatos à Sixto Senensi. *Eadem*, inquit, Parkerus pag. 104. in fine, *Thomæ Aquinatis sententia est, quam non solum citat verum etiam approbat Sixtus Senensis. Augustinus (inquit) lib. 12. de Genesi ad literam, ubi de paradiso disputat, cap. 22. ait, loca quibus animæ corpore exutæ afficiuntur, sive bene, sive male, non esse corporalia sed spiritualia. Benè se habet, quod Augustinum pro nobis tàm aperte facere, confitetur. Neque verò nobis obstruet Gregorii auctoritas, neque Thomæ interpretatio officiet, quem subjicit deinceps. Divus Thomas (inquit) in quarto Sententiarum, distinctione 44. expendens hanc Augustini sententiam, sic habet. Dictum Augustini potest hoc modo accipi, ut pro tanto dicatur locus ille ad quem animæ deferuntur, non esse corporeus: quia anima in ea corporaliter non existit, per modum scilicet, quo corpora existunt in loco, sed alio modo spirituali, sicut Angeli in loco sunt.* Adjungit postea pag. 105. idem Patres, qui ex eo quod anima non sit corporea, negant esse in loco corporeo: Sic enim pergit: Ita Origines: *Mens ut moveatur & operetur, non indiget loco corporeo, neque magnitudine sensibili, vel corporali habitu, aut colore, aut ullo alio indiget horum, quæ corporis vel materiæ propria sunt. Multo minus Deus, fons atque initium omnis mentis, atque intellectualis naturæ. Ita Gregorius Nyssenus. Animæ non magis locus competit, quam color. Corporum duntaxat propria* ἡ ἐν τόπῳ θέσις. *Ita Augustinus. Spiritualia non locis & partibus hujus mundi sursum esse intelligenda nobis sunt, sed merito excellentiæ suæ, ne in ejus mundi parte figamus animum, quo universo nos exuere debemus. Rursus. Hæresis vestra, nihil aliud novit, quam animam, & Deum, per locorum spatia vel finita vel infinita distendere: cum solum corpus talia occupet spatia, vel talibus spatiis occupetur. Rursus. Manichæi virtutem statuebant in sole, sapientiam in luna. Quomodo, inquit Augustinus, cum per ejusmodi loca, nisi corpora dividi separarique non possint? Ubi etiam Manichæi non recedere à phantasmate corporum perhibentur. Ita Ambrosius. Incorporalis homo,*

homo, qui est ad imaginem Dei, in loco non est. Ita Anselmus. Spiritus non habitant in locis. Claudianus Mamertus librum edidit de statu animæ: in hoc fusè disputat, animam in loco, nullo modo esse, nec moveri localiter posse.

CLVII. Eos adjungit auctores, qui animam dicunt esse quidem in loco, sed illocaliter, pag. 110. *Tertiam quandam sententiam,* inquit, *affectat Cajetanus cum nostrà re planè eadem, verbo tamen discrepantem. Respondens argumento Scoti, quod reputatur inconveniens, Angelum nusquam esse, & tamen esse. Non inconvenit (inquit) imò ut Aristoteles primò de Cælo, Entia illa beata non sunt apta esse in loco. Hoc probat ex eo, quod multi doctores tenuerunt, angelos fuisse creatos, ante creaturam corpoream: quomodo ergo tum in loco? Concludit tandem. Anima non est in loco localiter, sed æquivocè. Optimè. Annon enim hæc eadem insania est, cum illâ eorum, quos irridet Theodoretus? Anima est in loco illocaliter: sic Cajetanus. Christus passus est impassibiliter, ita illi. Quis compos mentis, inquit Theodoretus, ridiculas has captiones & tendiculas tulerit? Impatibilem passionem nemo unquam audivit: sic nec locatum illocale. Huic verò quod dicit Cajetanus, anima est in loco æquivocè: adjicere liceat ex Julio Scaligero, anima est in loco æquivocè, & plus quam æquivocè.* Sed & ostendit, istas omnes locutiones esse easdem cum nostrâ, quâ dicimus, mentes non esse propriè in loco, sed tantum secundum operationem. Sic enim pag. 105. *Vides igitur & cælum & infernum loca corporea esse posse, ut animæ separatæ interim in iis existere, ut in locis, neutiquam possint? Nempe non modo corporeo, sed spirituali, sicut Angeli in loco sunt. Tantidem hoc est, ac si propriè in loco esse denegentur, quod nos contendimus; cum locus propriè corporeus sit, modus existendi in loco proprius, modus corporeus: & modus ille spiritualis, non nisi mysticè & spiritualiter, addo etiam figuratè, intelligatur. Quomodo, enim sive Angeli sive animæ apud Thomam in loco sunt? Nempe tantummodo per operationem, quæ ipso prædicamento toto, à loco distat: quem in civium suorum numerum adsciscit Quantitas.*

CLVIII. Similiter inquit, pag. 110. & 111. *Sed horum æquivoca animæ localitas, univoca nostra illocalitas est. Videamus etenim quomodo apud auctores exprimatur. Hierocli, anima non aliter est in loco, quam quomodo Rhetores dicere solent, hæc aut illa, in hoc aut illo, scriptoris loco dicta & disputata esse. Verba ejus apud Photium extant. Repetit ex Platone, ὑπερουράνιον τόπον neminem posse κατ' ἀξίαν enarrare. Dicit οὐ κυρίως appellari locum, quia is corporum sit: affirmat esse ὑπερκόσμιον καὶ νοητόν. Vide reliqua. Ludovicus Vives*

Vives ita. Anima est in loco, non alio modo, quàm quo nos sumus in tempore. Verba sunt ista. Spiritus essentia est in loco, nam non ubique, nec nusquam: nec possum declarare quomodo spiritus sunt in loco, quàm si ita eos esse in loco dixerim, ut nos in tempore. Nam cum mens nostra corpore quanto inclusa, quanta solum posit imagine animi concipere: de loco operationis spirituum utcunque possumus dicere, de loco præsentiæ, nullo modo. Concinit Thomas. Relinquitur quod angelus non potest definiri & determinari ad locum, nisi per actionem & operationem. Quo igitur abiit hæc localitas definitivè? Certè in fumum & in teneras auras. Cum enim præsentiam loci non ponat, sed operationem duntaxat: quis non cum Vive & Aquinate censebit: in loco minime ea propriè esse, quæ tantummodo definitive in loco sunt? Damascenus certè cum Angelum in loco esse dixisset, tantummodo per operationem: infert deinde, non propriè, verum, tantummodo intelligibiliter, in loco esse. Hinc Hieronymus Zanchius definit, definitivè esse in loco, esse in loco operatione duntaxat, non autem occupatione spatii. Picus Mirandulanus, cum scholasticis illis, quos citat plurimos: animam in loco esse negat secundum præsentialitatem: sed per operationem id est inquit, secundum habitudinem aliquam in loco, habentem se per modum operationis activè vel passivè, aliam ab habitudine præsentialitatis loci. Agmen claudat Albertus, qui contra localitatem definitivam, adeoque hanc distinctionem totam, ita disserit. Sunt aliqui modernorum qui dicunt. Omne quod est definita essentia est, quia intra terminos sui coarctatur, & quod definita essentia est, in loco definitur, & quod in loco definitur, in loco est aliquo. Distinguunt autem isti per Johannem Damascenum dicentem, aliquid in loco esse, dici dupliciter. Est enim aliquid in loco circumscriptivè, cui principium, & medium, & ultimum assignatur in loco: & hoc modo dicuntur corpora esse in loco. Est item aliquid in loco definitivè, cujus essentia sic finitè clauditur in uno loco, quod extra ipsum nihil sui invenitur: & hoc modo dicunt, indivisibilia esse in loco, & similiter intelligentias, & animas, &c. Sed nos ista non credimus: nam & ultimum cœlum non definitur, nec circumscribitur loco eò, quod omne, quod est in loco, clauditur, & continetur in loco in quo est, & intelligentia per naturam suam non est in loco, nec in aliquâ loci differentiâ. Citat ista Picus Mirandulanus, & ita subjungit. Hæc Albertus ad literam, usitatam illam distinctionem de esse in loco definitivè & non circumscriptivè, non approbans. Quam tamen distinctionem aliquo modo negari quidam magistri omnino nefas existimabunt. Muta nomina, & hostes hâc in re jam nostri, planissimè confutantur. Prolixè quoque eandem sententiam jam olim defendit & consentientibus scholasticorum testimoniis comprobavit, & ab obje-

ctionibus similibus, quales nunc objiciuntur, vindicavit Joh. Picus Mirandulæ Comes in Apologiâ suâ à pag. 83. usque ad pag. 99. quæ, cui libeat, videre potest. Hujus operationis respectu si quis dicere velit, Animam vel Angelum definitivè in loco esse, possumus quidem istam locutionem admittere, impropriam tamen valde esse observamus. Non enim possunt dici habere certum aliquem situm ad corpora, quo sensu propriè alicujus substantiæ locus definitur, eaque dicitur definitivè esse in loco: si enim situs adscribatur mentibus, tribuetur aliquid corporeum, sicque in censum corporum reducentur. Hoc solum sensu sed valdè improprio, possunt dici esse in loco definitivè, quâtenus eorum operatio ita definitur, posset etiam dici circumscribi, ut hîc non alibi extra se operentur.

CLIX. Parkerum legisse puto Virum Celeberrimum, qui tamen nullos alios ex tot à Parkero citatis auctoribus secum conciliare conatur præter Claudianum Mamertum de quo inquit art. 102. *eum illocalitatem animæ vehementer defendisse, non in ordine ad Ubi circumscriptivum, quod Faustus perperam & parum fauste illi attribuebat.* Quæ quidem facilè dicuntur, sed nescio an ex illo auctore ita facilè probentur. Ista enim distinctio *Ubi* in repletivum, definitivum & circumscriptivum tunc nota nondum erat; & auctor absolutè & citra ullam restrictionem dicit illocalem animam, & illocaliter discedere à corpore, quando anima moritur. Sed velim lectorem inter alia attendere ad Lib III. cap. 8. ubi Claudianus ille hanc sibi proponit adversarii sui objectionem: Si locales non sunt animæ, *quomodo peccatores à cœtibus consortiisque justorum vacuum illud chaos tristi interjectione discriminat, ut neque hinc illo possint accedere, neque inde huc transmeare*, atque citato Loco Luc. XVI. ex quo ista objectio fuit desumpta respondet: *istud nunc mihi secundum loca & corpora dissere, istic sine alternamento reciproci aëris & organo pectoris, & tibiâ gutturis & oris cavo, & linguæ plectro per quamlibet corporalem, ut autumas animam verba vocibus effice: hic animæ manum, cujus digiti minimum combusti divitis linguam refrigeraturus Lazarus aquæ immergat ostende, hic de illo met quasi corporeo Abrahæ gremio corporale aliquid doce; ut & pro modo humani corporis sit angustum & capax possit esse multorum; & chaos illud vel tàm exiguum, ut mutua quos dirimit verba miscere queant, vel tam immensum, ut transmeari nequeat. Illud autem vel maximum quæso. Dives ille qui penes inferos gehennæ incendiis æstuat, qui congredi Abraham sermone quiverit, si locale beatitudini non accessit, quid porro Abraham cum divite sermocinatur, si inferna non adiit? Animas nempe Sancto-*

rum

rum in intimis paradisi sedibus non usquequâque improbabili sententiâ dicis habitare. Proinde cùm Abraham in paradiso & dives in inferno sic immenso quodam intransmeabili ab invicem disparati sint, ut itidem mutuo tanquam nihil intersit, non contemplentur solum, sed etiam colloquantur. Si hæc localiter æstimandæ sunt alterutrum fateri cogeris, aut Abraham & divitem nec sermocinatos invicem, nec ab invicem visos, aut vel infernum in paradiso, vel in inferno esse paradisum. Quæ accuratè inspecta æque locum animæ definitivum ac circumscriptivum evertunt. Nam loca definitiva distantiam ponunt inter se invicem, adeo ut si anima Epulonis fuerit in inferno tanquam in loco definitivo, & similiter anima Lazari in paradiso tanquam in loco definitivo, debuerint inter se invicem distare aliquo intervallo, quod hîc contradictorium esse urget noster auctor.

CLX. Hæc ergo est Claudiani Mamerti, omnium istorum Patrum & auctorum, qui à Parkero allegantur, Pici Mirandulæ & Parkeri eorumque qui Cartesium philosophantem sequuntur sententia, quod mens, si in se spectetur citra operationem extra se terminatam, nullum habeat respectum ad locum, sed si extra se in loco operetur, dici possit ratione istius operationis esse in loco, ut non tantum ista operatio ad locum referatur, sed etiam potentia propter istam operationem adeoque essentia, quæ à potentiâ modo tantum considerandi distinguitur. Si igitur Anima separata post mortem extra se operetur, utique *non negamus Animæ Ubi & omnem loci mutationem post mortem*, quod nobis imputat Vir Celeberrimus initio art. 95. Sed alia graviora nobis impingit, quæ lector putare posset, se vel in meis dictatis vel in alicujus Cartesiani scriptis legisse à quibus tamen toto animo abhorremus. art. 96. dicit, *nos præfractè negare, animas post mortem illico vel in cœlum recipi vel conjici in infernum usque ad diem ultimæ resurrectionis, ut animæ piæ in cœlo visione Dei beatificâ fruantur, impiæ in tartaro pœnas gehennæ sustineant*; nos *ore impio asserere nec in cœlum animas piorum esse recipiendas, nisi cum suis corporibus in die judicii, nec impiorum in abyssum antea dejiciendas*, cum quibus consentit quod dicit §. 100. *nos recoquere cramben veterum Patrum, & animas piorum negare cœlo excipiendas ante diem resurrectionis.* Mihi in particulari attribuit §. 96. circa finem *animam non esse recipiendam in cœlum nisi cum suo corpore*, quod ne quidem per somnium cogitavi. Statuo enim, animas piorum recipi in cœlum statim post mortem, hoc est, statim post mortem ad cœlestia gaudia admitti; etiam in cœlo esse tanquam in loco, quando extra se operantur.

libenter concedo. An verò putat, negare nos, animam in corpore nostro esse? Cujus contrarium utique ex scriptis Cartesii & qui cum ipso philophantur patet. At nos animam in corpore nostro non aliter ponimus, quam quâtenus ibi operatur. Cur ergo negemus, eam sic quoque in cœlo & inferno esse, si vel hîc vel ibi extra se operetur. Sic quoque nobis falsò tribuit §. 100. *nos contradicere Catechesi, juxta quam quæst. 57. anima nostra postquam è corpore excesserit, e vestigio ad Christum suum caput assumitur.* Et art. 97. in fine inquit, *nos ad utrosque, Socinianos negantes animæ immortalitatem & Pontificios in purgatorium ignem animas post mortem detrudentes, accedere per nostra nova cogitata.*

CLXI. Graviores sunt quæ sequuntur accusationes, cujusmodi est ea, quæ habetur art. 103. pag. 78. *Præterea*, inquit, *quæ hîc obtrudunt incautis de statu mutatione, ab ipsis proponuntur demum dicis gratiâ, quoniam ex sua Philosophia principiis anima separata incapax est vel meminisse præteritorum, vel sperare aut timere futura, vel lætari aut tristari, & dolere de præsentibus, cum ad tales operationes requirantur varii motus nervorum & varia inclinatio glandulæ pinealis, quibus anima destituta non magis capax est istarum functionum, quam citharœdus ullius soni musici edendi & eliciendi, suâ citharâ destitutus & postquam confracta est. Quare multo melius fecerint si uno verbo dixerint quod sentiunt, animam interire cum corpore, nec pœnæ vel præmii extra illud capacem esse.* Ubi duplex nobis infertur injuria, &, *quod hîc tantum dicis gratiâ dicamus de statu animæ mutatione*, & *quod ex Philosophia nostra principiis anima separata incapax sit vel meminisse præteritorum*, &c. De commotionibus animæ internis, quas habet citra spirituum impulsum, egi superius & ostendi ex Cartesio, spirituales commotiones lætitiæ, amoris, spei separatæ animæ posse adscribi. Memoriam intellectualem tribuit expressè Cartesius animæ Tom. II. Epistol. 38. pag. edit. Gall. 218. *Sed præter istam memoriam, quæ dependet à corpore, cognosco adhuc aliam planè intellectualem, quæ non dependet nisi ab animâ solâ.* Sed pag. 73. pergit noster nos accusare: *Quot sunt*, inquit, *verba in hoc Paulino sermone tot sunt fulmina, quibus Theomachorum nostrorum giganteus error disjicitur, quo audent animæ separatæ omne Ubi post mortem abrogare, & fidelibus hoc unicum solamen in morte denegare, quod Christus Jesus sit ad se eorum spiritum recepturus, & in gaudii sui possessionem intromissurus ac sub ipso mortis articulo eorum animas ad immortalitatem cœlestem traducturus. Verùm isti novi Cartesiani dedocent Christianum in articulo suæ mortis contemplari cœlos apertos, ibique videre Christum*

confidentem à dextris Patris, sibique coronam ostendentem & manum porrigentem, quo fiducialiter & plenus gaudii illi dicat cum Stephano Act. VII. 59. *Domine Jesu suscipe spiritum meum.* Quibus affinia sunt ea, quæ habet art. 94. initio, *nos ea insinuare & affirmare, quæ omnem piorum consolationem subruunt & ad Thnetopsychitarum atque Psychopannychitarum castra nostros sequaces necessariò deducere.* In quâ accusatione, quot sunt verba, tot esse injurias innocenti & nostræ & tot Patrum aliorumque auctorum sententiæ, proximè antecedentibus articulis declaratæ, illatas ex vero dicere possumus.

CLXII. Tandem cum Begardis & Beguinis nos comparat, usus rhetorico præteritionis schemate pag. 75. initio *quod gestiamus ad impeccantiam & infallibilitatem ejusque principia ponamus in nostro Libero Arbitrio, ut supra visum sit*, cujus contraria ostendimus cap. V. & VI. variis in locis. Pergit pag. 75 & sic concludit: *Sed vel absolutam fœlicitatem animæ post mortem debent negare & cum Veteribus Arabicis, quos Origines ad meliorem frugem revocavit, & hodiernis Socinianis, eam interitui subjicere, quod reverâ velle videntur, sed eloqui non audent, vel eam profundo somno demersam cogitare cum Psychopannychitis a nostro Calvino tam fortiter debellatis & hodiernis Anabaptistis pluribus: aut saltem cum Begardis illis concipere summam felicitatem possibilem extra cœlum: aut Brentio, Behemio, aliisque nonnullis heteroclitis Ubiquitariis, tale cœlum Dei imaginari, quod ad animas istas stertentes & immotas manentes extendatur, fœliciorem illis statum quam ante mortem collaturum*, atque similia his passim inculcat, ut invisam omnibus & odiosam reddat sententiam eorum quos impugnat. Sed nihil horum unquam probabitur, imò contrarium cuilibet, qui sinistris suspicionibus & pravis affectibus indulgere nolit, patebit ex dictis à nobis & in seqq. dicendis. Absolutam felicitatem animæ tribuimus post mortem in visione Dei beatificâ, unione cum Deo & immensis gaudiis constantem; superesse animas post mortem credimus cum scripturâ, & ex ratione melius defendimus, quam ii qui animam ad modum subtilis corporis per crassum humanum corpus diffusam concipiunt. Et sic jam olim annotavi ad §. 4. Syst. Loci XIV. ad hæc Viri Celeberrimi verba, *Mors confertur somno propter quietem à laboribus hujus vitæ, non propter animæ cessationem a suis operationibus*, quibus respondet argumento, quo immortalitatem animæ ex scripturæ locutionibus, in quibus cum somno confertur, quidam elicere conantur: ad hæc inquam verba ista confirmantia ipsius responsionem notavi:

tavi: *Inde enim potius inverti potest argumentum, cum nempe in somno anima esse non desinat, nec etiam desistat a cogitando, quod vel ipsa insomnia testantur, quamvis non omnium recordemur*; *ergo potius ex illâ comparatione mortis cum somno est colligendum, animam post mortem non desinere.* Sic ad §. 11 ejusdem Loci, ubi contra Limbos argumentatur ex eo, *quod non minus sub V. quam sub N. F. spiritus fidelium cœlo fuisse receptos suo loco visum sit*, notavi: *Id est statim post mortem fruuntur cœlesti beatitudine, contra quam volunt Pontificii, qui in illis Limbis Patrum animas privatas volunt cœlesti beatitudine.* Somnum corpori tantum convenire dicimus, ab animâ removemus, quam maximè à corpore distinguimus; in præsenti vitâ hominem posse finalem consequi beatitudinem contra Begardos negamus; cœlum esse locum corporeum contra Brentium aliosque ex scripturis asserimus, etsi animæ separatæ locum corporeum non assignemus, nisi quando extra se operatur.

CLXIII. Etiam hoc falsum est, quod obliquè insinuat initio art. 94. *nos pertendere nihil plane esse discriminis inter angelum & animam separatam*, quo respicit ad ea quæ dictaveram ad Syst. ipsius Locum XIV. §. 5. ad illustrandum & comprobandum hæc ejus verba *Cum itaque constet animam extra corpus existere, nec somnum ei propriè dictum competere, qui est solius animalis, unde angeli ad quorum naturam anima proxime accedit vigiles appellantur.* Ad quæ verba hæc annotavi: *Imò anima separata vix aliter ab iis differt, quam quod relationem habeat ad corpus, cum quo fuit conjuncta, & cum quo iterum est conjungenda, quæ nullam diversitatem inferunt in ipsius animæ naturâ.* Similiter ad §. 33. Loci ejusdem dixi, *nihil esse difficultatis, si statuamus, animas separatas tam perfectas esse quam Angelos.* Quæ si quis contulerit cum Viri Celeberrimi verbis, satis inter se invicem concordare conspiciet. Ipse dicit *animam ad naturam angelorum proximè accedere*, quod utique intellectum vult hoc modo, quod quemadmodum angeli sunt naturæ spiritualis, & in quos propterea somnus non cadit, ita quoque animæ separatæ sint naturæ spiritualis, & proinde somno non obnoxiæ. Sic ego dico: relationem ad corpus nullam diversitatem inferre in naturâ animæ à naturâ angeli, quum utraque sit spiritualis, & ut talis neutra somno sit obnoxia. Sic ergo cum ipso discrimen non agnosco inter animam & angelum, quin utraque sit naturæ spiritualis. Sed inquit Vir Celeberrimus pag. 68. *Mirum enim est ipsos, qui aliàs putant posse dari inter ipsos angelos specificam differentiam, velle animas nostras, solo numero utique inter se differentes, ejusdem speciei constituere cum angelis, adeoque tam parum*

secum-

secummet ipsis consentire. Etenim Angelus est persona completa ultimò & incommunicabilis; anima verò est duntaxat pars personæ, eoque respectu incompleta, & non solum communicabilis corpori ad hominis integri constitutionem, sed etiam naturâ sua ad illam communionem ordinata. Hæc spectant meam notam ad Syst. ipsius Loc. v. art. 36. quæ sic se habet: *Quod possit esse numerica distinctio inter Angelos satis apparet ex eo, quod fundamentum numericæ distinctionis, quod alii statuunt dependere a materia signata non sit sufficiens, nam non tantum numericè distinguuntur res corporeæ, quæ habent materiam signatam certis accidentibus, sed etiam res spirituales, uti patet exemplo animarum; quod tamen in illo numero Angelorum etiam possint esse diversæ species nullo modo est absurdum, cum hoc discrimen tantum pendeat a nostra ratione; sit enim quædam classis angelorum, quæ sit prædita pluribus perfectionibus quam alia, potest sic statui specificum discrimen.* De nomine mero & notione secundâ quæstio est ista, idque in illa notâ ostendi. Specificum enim discrimen inter animam separatam & angelos sic statui potest, si dicamus angelos pluribus perfectionibus esse præditos, quam animas piorum separatas, sed id non conficit ista relatio, quâ fit ut humana anima separata sit tamen ordinata ad communionem cum corpore, quæ ex suâ naturâ in mero respectu & in conceptu mentis nostræ tantum consistit.

CLXIV. Hoc verum est, ex nostrâ sententiâ non opus esse disputari cum Pontificiis de variis animæ *receptaculis*, quod tribuit nobis art. 45. si dextrè id accipiatur. Nempe animæ in se consideratæ nulla propriè competunt receptacula, quæ sunt corporum, quæque ea continent & complectuntur, cum ipsa sit incorporea. Sed si anima spectetur cum operatione ad extra, sic potest dici esse hic vel ibi, prout hic vel ibi operatur, sicut sæpius est dictum; Si igitur extra se operetur in cœlo vel in inferno, non negabimus eam in cœlo vel in inferno respectu istius operationis collocari. Limbum tamen Patrum, Limbum infantium & Purgatorium unà cum Celeberrimo Viro rejicimus, & animas post mortem vel ad cœlestia gaudia admitti, vel infernalibus pœnis addici constanter asserimus. Sic quoque animabus illorum qui *bis mortui* appellantur vulgo, non opus esse judicamus, *Locum* dispensationis assignari, sed statum dispensationis meliori jure putamus appellari. Nec me pœnitet istius notæ ad Syst. Loc. xiv. §. 6. *Non opus est ut hic quæramus de loco, quando quæritur, an anima eorum, qui fuerunt resuscitati ad hanc vitam fuerint in cœlo vel in inferno; nam in istâ quæstione per cœlum & infernum tantum intelligitur*

status

status felicitatis & contra: Dico enim tales animas nec fuisse in statu supernæ felicitatis nec infelicitatis, sed mansisse in statu viæ, in quo antea erant dum conjunctæ essent cum corporibus hoc solo excepto, quod non haberent similes cogitationes iis, quæ antea nascebantur ex conjunctione cum corpore, sed tales quales citra interventum in animabus nostris esse possunt. Quòd si probetur, interea animas istas fuisse operatas extra se in aliquo loco, dicam, in illo loco, fuisse respectu istius operationis. At ut cum Celeberrimo Viro in fine artic. 95. eas dicam *contentas fuisse vel in cubiculo, in quo quis ita obiit, vel in loculo & sepulchro, in quo ejus cadaver est repositum*, non patitur animæ natura, quæ loco contineri nequit, quod satis ex superioribus patet.

CLXV. Sed videamus potius, quibus argumentis hæc sententia nostra & tot Patrum aliorumque auctorum arct. 154. proposita, impugnetur. Objiciuntur generatim loca ea scripturæ, in quibus cœlum & infernus assignantur animabus separatis post hanc vitam, ad quæ jam olim respondit Parkerus Lib. 11. pag. 136. his verbis. *Primo etenim mos Scripturæ metaphoricus animadvertendus est : Cum in inferni cruciamentis locum ea singula habeant, quæ supra de futuri sæculi adumbratione diximus. Nam si de vitæ futuræ statu, nihil in sacris non figurate enuncietur, imò invisibilia nisi per ea quæ sensibus nostris hic obvia sunt, depingi non possint : non est profectò, cur nobis molestiam facessat quis, litemve intendat; si de tormentis infernalibus quæ denunciantur, per ea quæ in vitâ istâ terribilissima reperiuntur, figuratè descripta existimemus, sicuti quæ gaudia cœlestia spectant, per ea quæ sunt hic lætissima adumbrantur. Neque hoc dogmate aut evanescunt inferni pœnæ, aut verò etiam (quod Bilsonus criminatur) extenuantur : earumque metus atque suspicio ex impiorum animis demitur vel diminuitur : præsertim cum figuram ignis minus in se quam ipsa veritas habere unà doceamus : ipsosque dolores quos adumbrat in infinitum acerbiores statuamus, quam quos corporea aliqua flamma inurere possit. Diminuit Bilsonus potius hujus pœnæ atrocitatem, cum eam in corporeis ponit; sicut de piorum beatitate haud parum tollitur, si tantummodo in conviviis, in Paradisis & hortorum amœnitatibus poneretur. At ignem gehennæ (inquies) quantumvis adversarii corporeum statuant, in proprietatibus suis tamen, hoc igni nostro multo esse tetriorem profitentur Eadem ratione salvaretur gaudiorum cœlestium veritas, si in conviviis & hortis amœnis ponerentur illa quidem, eis tamen, quæ secundum proprietates suas, oblectationes majores afferant, quam qui hîc visuntur horti, vel convivia adornantur. Quod si verò minimè in solis proprietatibus, verum etiam genere toto, ab amœnis hortis & conviviis, cœlestia*

gaudia

gaudia differant : & genere toto cruciatus infernales distare etiam videbuntur, ab illo igni, illo verme, illo sulphure, & ut verbo complectar omnia, ab illis tormentis universis, per quæ in sacris adumbrantur. Et pag. 132. *Atque sanè absonum atque absurdum quòd huic sententiæ tam antiquæ offensionem tantam concitat illud est, quod quidam nuper tradiderunt: magnam scilicet felicitatis nostræ partem in loci cœlestis amœnitate, impiorum verò infelicitatis, in inferni fœditate sitam esse. Felicitas enim omnis ex Dei visione profluit, infelicitas verò ab illius privatione: Locus nequicquam valet, neque cœli amœnitas ipsa per se beatorum spirituum beatitudinem auget, nisi quâ Dei habitatio est; neque è contra inferni fœditas, pœnas damnatorum aggravat, nisi quâ Divinæ iræ indicium est.*

CLXVI. Objicit quoque Bilsonus aliquod argumentum, quod quia solidè & concordi Patrum aliorumque auctorum nobiscum consensu refutat Parkerus de Descensu Christi ad inferos Lib. II. pag. 103. ejus verba hic adjicere volupe est. *At propriè in loco animam esse vult noster Bilsonus: idque ratione essentiæ finitæ: sic ut animæ in loco si non sint (inquit) sunt sanè infinitæ. Quasi verò retinenda nobis non sit, distinctio illa Mirandulana? Finis est duplex, essentiæ, unde definitio, ὅρος; & dimensionis, qua aliquid in loco est. Hanc distinctionem ita infert Henricus de Gandavo. Limitatio est duplex, in naturâ & naturæ. Limitatio in naturâ in Deum solum non cadit. Omnes enim creaturæ in naturâ terminum habent. Limitatio verò naturæ, est ad situm, & hæc in creaturâ corporeâ locum habet. Falsa igitur Bilsoni ratiocinatio est: neque enim anima separata limitatur limitatione Naturæ, licet limitatione eâ, quæ est in naturâ, limitetur: id quod & sanctus Ambrosius tradidit. Omnis creatura (inquit,) certis naturæ suæ limitibus circumscripta est: & illa invisibilia opera, quæ non queunt locis & finibus comprehendi, substantiæ suæ tamen proprietate, clauduntur. Quod si verò quodcunque limitatur in naturâ, in loco etiam limitari debeat: flueret localitas ab ipsâ essentiâ, quod nunc contra esse cernimus. Sic Cyrillus Alexandrinus. Ne divina quidem natura, si quanta esset, circumscriptionem effugeret: nullam aliam causam localitatis agnoscens, præter quantitatem. Similiter* Theodoretus. *Naturæ à corporibus liberæ, corporum mensuras non admittunt: in corporibus autem quantitas ejusmodi mensuras efficit, &c. Sic Picus de Mirandula. Sicut substantiæ corporeæ sunt commensurative in loco, ratio tamen non est substantia sed quantitas est: ita licet substantia incorporea sit definitive in loco, & præsens localiter: ratio tamen non est substantia, sed operatio. Tenebat hoc Durandus, Bernardus de Gannaco, Henricus de Gandavo,* Thomas *Anglicus, & plures alii: ut apud eundem videre est. Quin & ipse* Thomas *noster*

est, sicut ad literam allegatur à Johanne Pico Mirandulano. Dicunt quidam (inquit) quod angelus non est in loco circumscriptivè, sed definitivè, quia determinatur ad locum aliquem, sic quod est in hoc loco, ita quòd non est in alio, cum essentia ejus finita est. Eò enim, quod creata est, quòd oportet intelligere, quod sit determinata ad locum aliquem. Sed ista est valde rudis probatio, quia procedit ex æquivocatione finis. Cum enim dicitur essentia Angeli finita, accipitur finis pro fine essentiæ & virtutis, secundum quod definitio terminus dicitur, & non pro fine dimensionis. Locus autem dicitur finitus, secundum tres quantitatis dimensiones, finis autem secundum priorem acceptionem, nullam commensurationem sive proportionem habet. Unde non oportet, ut quod definitum est in essentiâ, ad terminos loci finiatur.

CLXVII. Vir Celeberrimus prolixus est in hâc impugnandâ sententiâ, & loca quædam scripturæ urget in particulari. Incipit art. 97. *à Luca testimonio* cap. XXIII. 43. ubi Christus latroni ad se converso dicit: *hodie mecum eris in Paradiso*, idque sic urget: *Promittitur*, inquit, *à Christo latroni converso non tantum status melior, sed reverâ sedes felicissima in cœlis, illo ipso die ei obventura: etenim ut ipse Christus moriendo suam animam in manum Patris deponebat, sic pollicebatur ipsi peccatori converso animam ejus cum suâ eo die cœlo receptum iri: quo validissimo argumento nostri expugnant errorem Pontificium de anima Christi per sua mortis triduum descensu locali ad inferos, ut ex Limbo animas patrum liberaret, easque cœlo per suam ascensionem inferret: Fatemur quidem cœlum beatorum Paradysum appellari à Christo, phrasi apud Judæos receptâ per metonymiam signi pro re signatâ, quia Paradysus terrestris sive hortus Hedenis typus fuerat Paradysi cœlestis, sed tamen nomen est non status tantum, verum primò & potissimum loci illius, in quo status iste felicior obtinetur: nec enim de statu sed de loco usurpatur ab Apostolo Paulo* 1 Cor. XII. 2. 4., *ubi pro synonymis habet tertium cœlum & Paradysum, quo se raptum profitetur etsi nesciat an id factum fuerit per simplicem extasim, animâ suâ manente conjuncta suo corpori, an verò per translationem realem suæ animæ in cœlum, ad illud momentum realiter separatæ à suo corpore, & soluto ad tempus vinculo unionis naturalis inter hæc duo.* Paradysi audimus fieri mentionem, idque fatente nostro, *phrasi apud Judæos receptâ per metonymiam signi pro re signatâ*; aliud autem quam statum significare respectu animæ separatæ, quando ea extra se non operatur, non audimus. Legimus alibi, conviviorum cœlestium fieri mentionem, quæ omnia spiritualiter & metaphoricè explicari oportere docet materia subjecta, de quâ agitur. Sic Luc. XVI.

quæ

quæ de oculis, digito, linguâ, &c. animarum separatarum dicuntur spiritualiter & metaphoricè explicari oportere propterea volunt omnes Theologi, quia hæc propriè accepta animæ naturæ spirituali & incorporeæ repugnant. At similiter repugnare ei, ut quando extra se non operatur, in loco esse dicatur, tùm ex naturâ loci, tùm ex naturâ rei cogitantis manifestum est, idque ex superioribus potest patere. Ita de Christi animâ æquè ac de latronis est statuendum, cum utriusque sit eadem natura. Locus 1 Cor. XII. 2. 4. obest potius sententiæ contrariæ, quæ animæ extra se non operanti locum assignat. Cum enim ibi Apostolus dicat, se nescire, an extra corpus id factum fuerit, an in corpore, quomodo ergo nos dicemus, an loco mutatus fuerit nec ne. Si in corpore raptus fuit, utique dicendum erit mutasse locum, cùm si rapiatur quis corpore suo, uti accidit Philippo Act. VIII. 39. locum mutare sit necessarium. At hoc si dicatur nihil facit ad præsens negotium, cum non quæratur, an corporis existentia requirat locum, sed an animæ extra se non operantis existentia loco habeat opus. Si verò factum est per ecstasin, multò minus id faciet ad præsens institutum, cum hic quæratur de naturâ animæ separatæ, in ecstasi verò anima non separetur à corpore, sed tantum intrinsecus ei repræsententur, quæ Deus eam vult cognoscere, sicut apparet exemplo Petri Act. X. Quod si per illa verba *extra corpus* intelligatur *separatio animæ à suo corpore*, quod innuit Vir Celeberrimus, sic quidem fuisset animâ suâ in cœlum raptus Apostolus, an tamen mutatio status, an verò mutatio loci designaretur, maneret in quæstione, nobis id de status mutatione interpretaturis, quamdiu nihil de operatione ejus animæ extra se in cœlo legimus. Sed quicquid sit, cum Apostolus nesciat modum istius raptus, quomodo poterit ex eo, quod nescit Apostolus, Vir Celeberrimus aliquid certi colligere?

CLXVIII. Objicit dein phrasin scripturæ, quâ, qui moritur, dicitur ad Patres suos colligi. Sic autem inquit pag. 72. art. 98. *Phrasis est non infrequens in scripturâ, præsertim apud Mosem, quâ qui moritur dicitur ad patres suos recolligi, quâ proculdubio significatur, animam morientis recipi cum animabus prædecessorum suorum eo definito loco, quem assignavit summus Arbiter vitæ & necis, ad quem propterea reverti spiritum cum pulvis in pulverem redit, testatur Salomon Eccl.* XII. 9. *Hinc Patriarchæ se peregrinos profitentes in mundo, quærebant suam patriam, nempe cœlestem, quam noverant sibi à Deo præparatam Heb.* XI. 14. 15. 16. *Hanc autem civitatem, quæ habet fundamentum,*

cujus respectu nostrum πολίτευμα debet esse in cœlis Phil. III. 20. *esse supercœlestem, quam Christus ingressus est tanquam præcursor noster Heb.* VI. 20. *eò profectus ut nobis pararet locum Joh.* XIV. 2. *qui negaverit aßignatam animabus redemptorum sanguine Christi, esseque sedem propriè dictam æternæ quietis ipsis destinatam Apoc.* XIV. 13. *in os Scripturæ contradicet: & quicquid garriat de statu, negato loco, tacitè dicet animam cum animali perire sibique profanum illud occinet, Ede, Lude, bibe, post mortem nulla voluptas.* Quæ non magis inferunt mutationem loci respectu animarum, si extra se non operentur, de quo est quæstio, quam priora. Patriam cœlestem & civitatem supercœlestem, si intelligantur de fidelibus in eam post resurrectionem corporis ingressuris, locum designare per se est manifestum; si verò referantur ad animas extra se operantes post hanc vitam etiam locum inferre posse concedo, at si ad eas extra se non operantes spectent, nondum probatur, quòd sic designent sedem sive locum propriè dictum. De statu posse intelligi vel ex hoc ipso loco ad Philip. III. 20. à nostro citato confici potest. Nam sanè quando nostrum πολίτευμα dicitur ὑπάρχειν ἐν οὐρανοῖς non potest id ita intelligi, ac si fideles hîc degentes jam sint in Cœlo tanquam in loco, sed quod noster status debeat esse cœlestis, quodque hîc sentiendo primitias vitæ æternæ in nobis eum auspicari debeamus. Neque majori jure his, qui sic interpretantur, potest dici, eos in os contradicere scripturæ, quam nobis Lutherani dicunt, nos in os contradicere scripturæ, dum verba cœnæ κατὰ τὸ ῥητὸν interpretari nolumus. An verò nos, qui statuimus animam esse distinctam à corpore substantiam, eamque non interire cum corpore, sed post hanc vitam æternæ vitæ fieri participem, & ad statum cœlestem patriæ referimus visionem Dei beatificam unionem cum Deo & Christo perfectissimam, amorem summum, & inde cœlestia orta gaudia, immensa & ineffabilia, possimus censeri dicere, *animam cum animali perire & occinere illud profanum Ede, lude, bibe post mortem nulla voluptas*, judicet quicunque potest.

CLXIX. Pergit & opponit locum Actor. I. 25. & parabolam Luc. XVI. 19. 20. *Et cum disertè*, inquit, *scriptura testetur Act.* I. 25. *Judam moriendo in suâ Apostasiâ in suum locum abiisse, quis dubitabit suum itidem locum consequi animam piam, eoque transire, cùm ex hoc corporis ergastulo dimissa, defertur in sinum Abrahami, juxta Christi parabolam Luc.* XVI. 19. 20. *&c. quâ Christus ex professo docet, animas superesse post mortem, earumque singulas suum consequi statum & locum: bonorum, quietis, refrigerii & gaudii, malorum, gehennæ.*

bennæ, pœna & supplicii gravissimi & æterni: Dico non statum tantum, sed & locum, cùm sinus Abrahæ nihil aliud sit quam regnum cœlorum, ut satis patet ex Matt. VIII. 11. Ad Locum Act. 1. 25. jam ante me sic respondit Parkerus Lib. II. pag. 117. *Sed annon scriptura impiorum animas in infernum detrudunt tanquam proprium in locum Act. 1. 25? Quod jam sæpe dictum est, id hîc rursus repetendum: figurate dici omnia, quæ de loco quoad animam habentur, modo transumpto à corporibus, ut loquitur Mirandula: juxta illa Basilii. Nomina corporalia (adverte quòd locus nomen corporalè sit,) etiam ad spirituales intellectus, evidentiæ gratiâ, sæpe transfert sermo divinus.* Idem de sinu Abrahæ sic respondet pag. 123. *Ex eo enim in sinu Abrahæ collocatur Lazarus, quod regnum cœlorum assimuletur convivio, ubi alter in sinu alterius decumbere solebat: juxta illud Matt. VIII. 11. Multi venient ab Oriente & Occidente, & decumbent cum Abrahamo, & Isaaco, & Jacobo in regno cœlorum.* Et sanè hîc ipse locus multum prodest nostræ causæ; Si enim illud de oculis sublatis, de magno chasmate sive hiatu intercedente inter Epulonem & Lazarum, de linguâ, de digito sint intelligenda metaphoricè, quod non puto Virum Venerandum negaturum, idque propter naturam animæ spiritualem & incorpoream, quidni quoque, si ostendatur, animæ naturæ repugnare, ut quando extra se non operatur in loco collocetur, ea, quæ dicuntur de sinu Abrahæ, erunt impropriè accipienda? Sanè sinus sive gremium, quum sit inter amplexum femorum, non potest propriè assignari Abrahami animæ, nisi ei quoque femora velimus tributa. Dicamus ergo quod res est, his verbis designari statum felicitatis Lazari post mortem, quem tanquam filius Abrahæ fuit consecutus, cum quo eisdem fruatur gaudiis omnibusque bonis cœlestibus, quæ piis in regno cœlorum sunt præparata.

CLXX. Sed conjungit cum his Vir Venerandus Luc. XVI. 9. dicens fine §. 98. *Et ne dubitemus de loci mutatione, idem Christus servator ibidem Luc. XVI. 9. suadet, ut ex mammonâ iniquitatis nobis paremus amicos, qui cum deficiemus nos recipiant in tabernacula æterna, quæ nemo negaverit locum esse certum & propriè dictum, quem Deus præparavit suis à jactu mundi fundamentis, & qui nomine tertii cœli & Paradysi alibi exprimitur.* At tabernacula æterna, prout referuntur vel ad corpus hominis post resurrectionem, vel ad animam, etiam citra respectum ad operationem extra se terminatam, ita propriè vel impropriè accipi oportet. Si ad corpus referantur, locum certum & propriè dictum designare concedimus, si ad animas separatas

easque non agentes extra se, impropriè sumi oportere dicimus, & de statu æternæ felicitatis in visione Dei æternisque gaudiis consistente explicari. Affinis huic est 2 Cor. v. 1. 2. quem hoc modo urget Vir Clarissimus art. 99. *Sed præsertim 2 Cor. v. 1. 2. Apostolus hanc loci mutationem fidelibus per mortem obvenire fusissimè demonstrat: dicit enim nos scire quod ubi terrestris hujus domus tabernaculum fuerit dissolutum, (corpus enim habet pro animæ ædiculâ ex luto & sputo constructa,) nos consecuturos ædificium à Deo, nempe domicilium non manufactum, æternum in cœlis: id est, reverâ animam nostram in cœlo post mortem assequi æternum gloriæ immarcessibilis domicilium, & domum hanc lateritiam, quam in terris habitat, cum marmoreâ in cœlis commutaturam: quod utique mutationem* ubi *luce meridiana clarius demonstrat; qualis obvenit militibus qui post quam hyberna sub pellibus transegerunt, subeunt urbes munitas, in quibus abundant deliciis: ideo Apostolus subdit, nos in hoc terreno tabernaculo suspirare oneratos, expetentes domicilio nostro quod e cœlo est superindui, quò mortalitas à vitâ absorbeatur: Observat enim & urget quod dum sumus in hoc corpore, peregre absumus à Domino, adeoque confidamus optemusque potius migrare è corpore, & ire habitatum ad Dominum, ut Beza vertit: unde studemus, inquit, vel ambimus, & in corpore advenæ & ex corpore migrantes, ei esse accepti.* Ad distinguendam animam à corpore pertinet, quòd Apostolus corpus comparet cum tabernaculo, quo destructo non opus est perire ejus incolam, qui incolumis ex eo discedere potest, quod sanè metaphoricè accipi oportere, & impropriè, per se patet: major enim & arctior est conjunctio animæ cum corpore, quam incolæ cum domo aut tabernaculo. Incola enim, si quid in tabernaculo aut domo destruatur, id nudo sive solo intellectu percipit, non confusum conceptum doloris inde habet, sicut habet anima, quando corpori nostro malè est, sive aliquid in eo destruitur. In eâ metaphorâ pergit Apostolus & tabernaculo corporis nostri opponit, *ædificium à Deo, nempe domicilium non manu factum, æternum in cœlis,* quod post morten dicit *nos consecuturos,* atque sic comparat statum hujus vitæ cum statu vitæ futuræ sub istis metaphoricis locutionibus, quem versu 17. cap. iv. dicit καθ' ὑπερβολὴν εἰς ὑπερβολὴν αἰώνιον βάρος δόξης κατεργάζεται, docetque, statum hujus vitæ, quem anima degit cum corpore conjuncta, esse similem eorum, qui casas humiles vel luteas domos inhabitant, sed statum futuræ vitæ similem futurum eorum conditioni, qui amplissima & magnificè extructa palatia inhabitant, quique ex lubitu omnia obtinent, quæ volunt. Quòd si hæc locutio *mutationem*

tationem & Ubi luce meridianâ clarius demonstrat, nonne eodem jure dicendum, etiam eam luce meridianâ clarius demonstrare, in cœlis diversa domicilia futura cuilibet animæ particularia, sicut nunc quælibet anima particulare suum habet corpus, in quo habitat, sive cum quo singulari unionis modo est conjuncta.

CLXXI. Aliud habet argumentum noster Venerandus ex Philip. 1. 23. & 2 Pet. 1. 14. §. 99. initio *Eodem*, inquit, *nos deducit Apostolus Paulus Phil. 1. 23. ubi profitetur cupere se dissolvi & esse cum Christo, quod id multò melius sit. Dissolvi autem sive remigrare, opponit Apostolus permansioni in carne, ut eâ ratione significet, animam piam post mortem mutare domicilium & sedem, & adesse præsentialiter ipsi Christo in cœlo: unde etiam Petrus se brevi sentiens moriturum 2 Pet. 1. 14. ajebat se depositurum hoc tabernaculum, & sic aliò migraturum.* Sed dissolvi apud Apostolum denotat solutionem animæ à corpore, cum quo conjuncta hîc fuit arctius, cum quâ dissolutione conjungitur unio cum Christo in vitâ æternâ, ex quâ omnis felicitas habet ortum. Ex his verò inferri quidem rectè potest, animam postquam desiit operari in corpore, operari in cœlis ubi Christus est, atque eâ ratione in loco esse, sed negatur inde sequi etiam in loco esse, quando extra se non operatur. An enim semper extra se operetur & quid hic operetur incertum valdè est, cum hâc de re nihil determinet Scriptura, ex quâ solâ discendum est, quod de animæ statu post mortem cognoscimus. Petrus verò dicit quidem, se brevi hoc tabernaculum depositurum, id est, brevi animam suam à corpore solutum iri, sed ibi non legitur, *quod aliò sit migraturus*, neque id de animâ nisi respectu operationis externæ, quam alibi peragat, dici potest. Adducit quoque Vir Celeberrimus artic. 101 *consensum communem omnium gentium & populorum, juxta quem animam alio abire in morte omnibus est persuasissimum.* Ad quem probandum utitur *Pythagora μετεμψυχώσει, campis elysiis & tartaro Virgilii, saltationibus & tripudiis animarum trans magnos montes, ac dubitatione Ariani Imperatoris moribundi.* Sed æquo jure ex consensu gentium & populorum potuisset quoque probare, animam esse subtili & tenui corpusculo, quod passim à gentibus & populis ei adscribi patet. Ex hoc enim præjudicio & errore atque consensu in isto profluxit quoque error & consensus in errore & præjudicio de animæ separatæ à corpore loco, etsi in se spectetur & citra relationem ad operationem extra se terminatam.

CLXXII. Objicit nobis inconstantiam eodem §. 101. pag. 76. quòd

agnosca-

agnoscamus animam hominis esse in corpore. Nec tantum ita est, sic pergit, *in corpore, saltem definitive, ut interea non sit alibi, verum juxta ipsos suam sedem & suum Ubi obtinet in glandulâ pineali, unde suas exercet functiones: igitur aut debet esse alibi post mortem, aut debet in corpore remanere, aut necessario nusquam est, ut isti loquuntur, id est desinit esse.* Sed neutiquam inde elici potest, animam separatam, quando nihil operatur, esse in loco. Anima hominis est in corpore, quâtenus cum corpore est conjuncta, ab eo patitur & in illud agit; est etiam in corpore tanquam in loco & speciatim sedem suam habet in certâ parte cerebri, quâtenus ibi immediatè suas operationes exercet; Sed quando est separata à corpore nec extra se operatur, in loco dici non potest, quamvis, quod sæpius dictum est, ad eum referatur, si extra se operetur. Sic ergo, dum extra se operatur, alibi est post mortem, quam in corpore; dum extra se non operatur, nullibi esse dici potest; unde tamen nulla rationis specie elici potest, eam desinere esse. Si enim anima concipiatur, ut concipi debet, tanquam substantia cogitans, sique ista cogitatio non sit relatio quædam ad extra tendens, & sic aliquid extra se producens, non requiritur ad ipsius existentiam ullum Ubi, ullus ve locus, quemadmodum non requiritur ad ejus existentiam, ut sit calida vel frigida. Quod enim dicit Vir Clarissimus art. 102. pag. 77. *Nisi sit anima ubi cogitet & operetur, necesse esse eam nec operari, nec cogitare*, ad id jam sæpius responsum est, quòd ad operationem extra se in corpus terminatam quidem requiratur locus, sed non ad operationem intra ipsam animam consistentem, neque ad cogitationem, quâtenus talem. Sed si anima concipiatur ad modum corporis subtilis, cui inhæreat cogitatio, nescio quo modo, tanquam attributum illius, hoc est, si major fiat confusio, quam ut cœlum terræ misceatur, sic quidem erit dicendum, animam talem, si nusquam sit, etiam non esse, juxta illud Augustini: *Tolle spatia corporibus, & nusquam erunt, & quia nusquam erunt, non erunt.*

CLXXIII. Progrediamur cum Celeberrimo Viro. *Adde*, inquit art. 101. in fine, *quòd animæ piorum post mortem, si præsertim sunt personæ, ut volunt nostri Novatores, debent pertinere vel ad ecclesiam adhuc militantem, vel ad triumphantem: prius credo non dixerint; at si posterius statuant, debent in cœlo collocari, siquidem meus Cartesianus Censor ad Syst. mei Loc. 9. §. 49. jure negat Christi animam descendisse ad inferos, ut de illis triumpharet, quod locus triumphi non possint esse inferi, sed cœlum: ità Pseudopropheta a suo jumento redarguitur.* Ego verò intrepidè respondeo, animas piorum pertinere ad ecclesiam

clesiam triumphantem. Sed tota difficultas, quæ hîc nectitur, facile solvitur, si distinctè cogitetur, quid intelligatur vel per triumphum fidelium vel per triumphum Christi. Triumphus propriè loquendo apud Romanos erat pompa illa, quæ fiebat redeuntibus in urbem cum victoriâ Imperatoribus. De fidelibus igitur usurpata ista phrasis nihil aliud significare potest, quam gloriam illam sive beatitudinem, quæ animabus eorum post mortem confertur à Christo, atque ab Apostolo appellatur corona justitiæ 2 Timoth. IV. 8. ad quam si pertineant quoque quædam operationes ad extra, omninò dicendum erit, animas illas respectu istarum operationum esse in cœlo tanquam in loco, cum ibi suas istas operationes debeant exercere. De Christo verò adhibita ista phrasis, si ex mente Lutheranorum animæ ejus sit assignandus triumphus apud inferos, debuit exercere quasdam operationes extra se terminatas, per quas dæmonibus ista victoria à Christo parta patefieret, & terror incuteretur. Hoc ergo modo si descendisset anima Christi ad inferos, descendisset tanquam in locum triumphi, quem in brevi annotatione meâ negavi esse inferos, sed dixi esse cœlum, in quod Christus corpore suo ascendens de satanâ per mortem suam victo & captivo ita ducto, ut non possit peculio suo nocere, triumphavit. Sic omnis contradictio evanescit.

CLXXIV. Tandem inquit Vir Celeberrimus art. 102. *Jam autem cùm angelorum motum localem asseruimus supra, non est cur isti homines eum denegent animæ separatæ: cum enim & moveat ipsa corpus dum ei inest, & cum eo moveatur, non debet ejus deterior concipi conditio ubi corpus deseruit, ut motus & loci expers maneat.* De angelorum motu paulò post agemus, quem sicut angelis concedimus vel negamus, ita quoque animæ vel adscribimus vel ab eâ removemus. Ipsa potest dici movere corpus, quâtenus ope spirituum, quos huc vel illuc determinat, efficit, ut hi vel illi membrorum motus in ipso oriantur. Potest quoque dici cum corpore moveri, quâtenus cum eo unita, nunc hîc nunc ibi, postquam scilicet corpus huc vel illuc translatum est, operationes suas in illud exercet. Post separationem verò à corpore, sicut locus ita etiam motus respectu operationum ad extra ei assignari potest, quâtenus postquam hîc desiit operari, incipit alibi operationem ad extra se edere. Sed de operationibus ad extra nos parum admodum cognoscimus ex scripturâ, ex quâ solâ tamen animarum separatarum statum, dum hîc vivimus, neque ipsimet experimur, debemus haurire. Nihil nunc amplius reperio difficultatis, ad quam non judicem

esse plenè responsum, quæ enim habet art. 103. & 104. quibus disquirit, quid simus responsuri ad ejus argumenta partim nos non attinent, partim si nobiscum pugnent, in dictis refutata sunt satis. Utinam nunc id possemus impetrare, ut ea æquo animo expendat & ab accusationibus illis horrendis Vir Venerandus desistat; sic multum hoc nostro labore lucratos nos esse censeremus.

CAP. XIII.

Usus Philosophiæ in Angelorum naturâ explicandâ. Substantia angelica ex suâ naturâ nullum infert respectum ad locum, sed tantum, quando extra se operatur. Opera ab angelis producuntur volitione efficaci absque ullis aliis machinis. Omnia quæ habent angeli, debent referri ad cogitationem. Zanchius definitivam angelorum præsentiam in loco explicat per esse in loco duntaxat operatione. Non dicimus angelos esse creatos vel ante principium Mosaicum, vel ante principium temporis. Refutantur Objectiones, quibus probatur, angelos etiam quando nihil extra se operantur, requirere spatium respectu suæ essentiæ. Non implicat contradictionem, si dicatur posse angelum duas vel plures operationes ad extra simul producere, & hoc respectu esse in pluribus spatiis. Inde non sequitur, corpus posse esse in pluribus locis. Moveri angelos non negamus, sed id ita explicandum, ut cum eorum naturâ conveniat. Motûs natura in quo consistat. Angeli non producunt novum motum. Nihil cum Sadducæis commune habet sententia, quæ statuit, angelos dici moveri, quâtenus postquam ibi cessârunt operari, hîc operari incipiunt. Probatur hæc sententia. Motus qui fieri dicitur per suctionem & attractionem fit per impulsum. Parkerus ostendit, contradictorium esse angelorum motum propriè sic dictum.

CLXXV. SIc considerato Usu, quem Theologo præbere potest Philosophia in mentis humanæ actibus ritè explicandis; nunc faci-

facilius ex analogiâ & convenientiâ mentis nostræ, judicabimus de angelorum naturâ & actibus, de quibus scriptura passim loquitur. Imprimus verò intelligemus, angelos cum sint naturæ cogitantes in hoc differentes à mentibus humanis, quòd sint à corpore liberæ, non posse aliter esse in Ubi & loco, nec aliter posse moveri quam respectu suarum operationum, quæ extra se terminantur. Id conficitur iisdem rationibus, quibus antea evicimus, animas separatas, quando extra se non operantur, nullum habere respectum ad locum, quâ de re vide hujus Tractatus art. 151. & seqq. His similia olim dictaveram de angelis ad Locum v. Systematis §. 31. *Substantialis præsentia angelorum non potest definiri spatio, nisi statuant angelorum substantiam esse corpoream; sunt ergo angeli in loco, quandocunque operantur in loco respectu istius operationis; sed quando non operantur, sed tantum cogitant intra se, opus non habent loco; Sic ipse Zanchius de angelis pag. 87. inquit, definitivè nihil aliud est quam esse in loco sine spatii occupatione sed operatione duntaxat: Ita angelos spiritus simplices & animas ajunt esse in loco, ubi enim operantur, ibi ita esse definiuntur, ut simul alibi esse non possint. Rationes sunt 1. quia locus sive spatium non differt à corpore, ergo posito corpore ponitur, negato corpore negatur: 2. Angelorum tota natura consistit in cogitatione, unumquodque autem est præsens per id quod possidet, non autem per id quod non habet; cogitatione autem non potest esse præsens, nisi quando per cogitationem suam aliquid efficit.* Huic sese opponit Vir Clarissimus §. 86. pag. 61. *Quamvis enim,* inquit, *angeli præsentia cognoscatur à posteriori ex illius operatione, ut cum in energumeno dæmon motus extraordinarios excitat, tamen debet esse substantialiter præsens ei loco & spatio in quo operatur: & quando Christus exigebat diabolos ex possessorum corporibus, non tantum eorum sufflaminabat in illis operationes, sed etiam eos substantialiter locum mutare & illinc decedere cogebat: Ne dicam absurdissimè negari præsentiam substantialem angeli ubi operatur, ab iis qui omnem operationem angeli solâ ejus cogitatione definiunt: Quidni enim præsens sit substantialiter ubi cogitat, cùm nusquam & nunquam nec aliter juxta istos operetur, quam cogitando? Quamquam & hoc est novum eorum monstrum Theologicum. Quis enim sibi persuaserit merâ cogitatione factum esse quod angelus destructor per totam Ægyptum transierit in meridie noctis, & omnium ægyptiorum, imò & bestiarum, primogenitos occiderit, Israelitis illæsis? Aut unicâ cogitatione angelum in castris Sancheribi centum octuaginta quinque millia hominum trucidâsse? Aut nihil præter cogitationem fuisse Satanæ, vehementem illum ventum, qui momento subvertit eam domum in quâ unà*

 epula-

epulabantur filii & filiæ Jobi? Id quidem vulgo fertur imaginationem generare casum, sed tamen nunquam fando auditum est opus externum à solâ creatâ cogitatione prodiisse.

CLXXVI. Sed perperam mentem meam sic accipit, acsi operationem istâ separarem à substantiâ angeli operantis, atq; statuerem, tantùm operationem præsentem esse, non verò ipsum angelum operantem, quod facit, idquod nobis tribuit §. 84. init. p. 59. *nos negare conceptis verbis substantialem angelorum ubietatem & in loco præsentiam*, cùm tamen expressè dixerim, *angelos (NB) esse in loco, quandocunque operantur in loco respectu operationis*: angeli autem utique sunt substantiæ: Ergo utique substantiæ angelorum sunt præsentes ei loco & spatio in quo operantur, quod quoque explicavi de animabus separatis art. 151. sed quando non operantur extra se in loco, illa substantia angelica ex se & suâ naturâ nullum planè infert respectum ad locum, uti ex notâ nostrâ & dictis superius art. 151. & seqq. patet. Quòd verò negat, merâ cogitatione fieri opera angelorum, cujusmodi fuit destructio primogenitorum in Ægypto, truncatio centum octoginta quinq; millium in castris Senacheribi, eversio domus, in quâ epulabantur filii & filiæ Jobi & quæ similia leguntur in scripturis, id inde est, quia negat mentem consistere in solâ cogitatione, quod integro capite ostendimus. Non quâvis cogitatione producũtur ista opera ab angelis, sed eâ, quæ est efficax volitio, dependente istâ efficaciâ à Deo, à quo omnes creaturę in esse & operari planè dependent. Quod si non à tali efficaci volitione, adeoque merâ cogitatione angelicâ producantur ipsorum opera, dicat ergo quibus aliis machinis utantur ad sua opera peragenda?

CLXXVII. Sed Vir Celeberrimus conatur evertere meum primum argumentum, quod desumpsi à naturâ spatii, quando inquit art. 92. p. 65. *Licet spatium sit quid corporeum, inde tamen non sequitur, illud non nisi rei corporeæ esse tribuendum, cum corpus sit ita in spatio circumscriptivè, ut spatium in quo sunt corpora non deneget hospitium & ubi definitivum spiritibus & angelis.* Sed si hoc non sequatur, evertentur omnia argumenta quibus utuntur Philosophi etiam in vulgari Philosophiâ ad probandum *propria non posse communicari:* Si enim spatium, quod non nisi ratione differt à corpore & propterea est essentiale, adeoque proprium corporis, possit convenire non corpori, poterit utique proprium communicari. Sic nihil oberit, quo minus statuamus, humanæ Christi naturæ posse competere omnipræsentiam, omnipotentiam, &c. An jam non haberem ansam dicendi, Celeberrimum

berrimum Theologum statuere, propria posse communicari, humanæ Christi naturæ posse competere omnipræsentiam, omnipotentiam, &c. si ejus exemplo agere vellem, qui sæpissimè, ea per consequentiam, quamvis non legitimam, ex meâ sententiâ elicit, mihi tribuit, tanquam si mea dogmata essent? Alterum meum argumentum, quod petii à naturâ angelicâ, quæ tota in cogitatione consistit, sic conatur infringere eodem art. pag. 66. *Nam præterea, quòd non satis accurate natura angeli in cogitatione constituitur, cum potius sit res cogitans & quæ amplius potest quam cogitare, si saltem audiamus scripturam angelos describentem, tanquam principatus & potestates, eosque facientem mira virtutis & valentissimos robore Psal.* CIII. 20. *Ephes.* III. 10. VI. 12. 2 *Petr.* II. 11. *debet angelus eò magis præsens esse substantialiter ubi cogitat, quòd statuitur ejus substantia esse cogitatio. Ne dicam angelum posse cogitare ad intra, ubi tamen nihil extra se per suam cogitationem efficit.* Hæc verò nihil differunt, angeli totam naturam in cogitatione consistere, & esse rem cogitantem. Amplius autem posse angelos quam *cogitare*, scriptura nusquam dicit. Describit eos tanquam principatus & potestates valentissimos robore dicit, miramque virtutem ipsis attribuit, sed non dicit, istam virtutem, istud robur, aliud quid esse præter eorum voluntatem, à quâ cum proficisci queant ea opera, quæ ab iis producuntur, voluntas ista sub ratione potentiæ, virtutis & roboris consideratur, quòd tamen quantumcunque sit impediri facilè à Deo potest, unde satanæ robur & vires, adeoque pravæ voluntates, non semper effectum illum consequuntur, quem intendunt. Aliud verò nomine roboris & potentiæ nos concipere, præter voluntatem eorum modo dicto acceptam, non patitur simplex angelorum natura, quæ ex partibus nullis est composita. Satis autem dictum est superque, me non negare, angelos, quando istam potentiam extra se exserunt, præsentes esse substantialiter ei rei, in quam agunt, sive in quam potentiam suam exercent. At hoc quoque dictum est, angelum dum cogitat ad intra, uti hîc loquitur noster, & nihil extra se per suam cogitationem efficit, non posse dici præsentem ei rei, quam non efficit, sive loco, in quo non operatur.

CLXXVIII. Zanchium esse in eâdem nobiscum sententiâ censet Parkerus Lib. II. pag. 110. 111. *Relinquitur, quod angelus non potest definiri & determinari ad locum, nisi per actionem & operationem. Quo igitur abiit hæc localitas definitiva? Certè in fumum & in teneres auras. Cum enim præsentiam loci non ponat, sed operationem duntaxat: Quis non cum Vive &*

Aquinate censebit: in loco minimè ea propriè esse, quæ tantummodo definitivè in loco sunt? Damascenus certe cum angelum in loco esse dixisset tantummodo per operationem: infert deinde, non propriè, verum tantummodo intelligibiliter in loco esse. Hinc Hieronimus Zanchius definit, definitivè esse in loco, esse in loco operatione duntaxat, non autem occupatione spatii. Et reverâ nimis aperta sunt hæc ipsius verba in dictatis citata, quæ habet Lib. 11. de operibus Dei cap. 11. §. 2. quam ut aliò possint detorqueri. Expressè enim dicit, *definitive in loco esse nihil aliud est, quam esse in loco operatione duntaxat.* NB. Hoc utique negat Vir Celeberrimus, *angelos esse definitivè in loco operatione duntaxat,* & hæc est nostra hîc controversia. Dicit tamen art. 86. Non favere isti imaginationi verba hæc Zanchii: *Nam primò,* inquit, *Zanchius cap. 10. hanc proponit thesin, angeli sicut vere in loco sunt, sic etiam verè loco moventur, tàm sine corporum assumptione quam assumptis corporibus: ac sicut in multis locis simul esse non possunt, sed modò in uno sunt modò in alio, ita non sine tempore moventur; Id verò jugulum petit Adversarii, qui pudori suo consuluisset hâc in parte, si Zanchio pepercisset planè sibi adversanti.* Ego verò nescio, quomodo possit negari, favere alicui sententiæ auctorem, qui eam ipsissimis illis verbis enunciat, quibus enunciari solet sententia ab eo, qui ad consensum probandum citat. Quod verò dicit Zanchius, *angelos sicut verè in loco sunt sic etiam verè loco moventur,* id mihi planè non contrariatur, qui concedo, *angelos verè in loco esse, & verè in loco moveri,* sed id utique juxta priora verba Zanchii explicandum, quod *verè sint in loco & verè in loco moveantur, operativè duntaxat.* Aliud verò est consentire in generali sententiâ, quòd utique facit Zanchius, eumque in finem ipsum citavi, aliud est consentire etiam in particulari ejus applicatione sive ulteriori determinatione, in quâ Zanchium à me recedere non nego, quamvis ex generali sententiâ hæc specialis reverâ sequatur, quod *nulla sit contradictio, angelos simul posse plures operationes ad extra producere, adeoque sic in duobus spatiis esse posse,* quâ de re postea plenius agemus.

CLXXIX. Sed pergit à nobis divellere Zanchium quantum potest. *Nam,* inquit, *loco citato primùm Zanchius hoc ponit fundamentum, aliquid dici posse in loco, aut circumscriptivè, aut definitivè, aut repletivè; quod noster Novator respuit. Secundò Zanchius operationem rei definitivè alicubi existenti non opponit substantiali ejus præsentiæ, sed tantum occupatione spatii, id est reverâ ubietati circumscriptivæ; quæ solius est corporis. Deinde subjicit Celeberrimus Theologus hæc verba; Ita (nempe definitive) angelos simplices spiritus & animas ajunt esse*

esse in loco; ubi enim operantur, ibi ita esse definiuntur, ut alibi esse non possint; sunt enim finiti spiritus & ideo finita etiam virtutis, ac proinde non possunt eam ubique aut multis in locis simul exercere. Praeterea ibidem Zanchius hanc format thesin, angelus quisque semper in loco est, sed in multis simul locis nullus unquam esse potest: id verò confirmat auctoritate multorum Veterum, statuentium angelos loco circumscribi, quamvis non sint in loco circumscriptive, quia suis limitibus circumscribitur locus in quo sunt definitive. Adhac licet angelus non semper operetur ad extra ubi est, tamen cum ἀεικίνητ@ & semper aliquid cogitet ad intra, debet quoque habere suum ubi definitivum in quo sit & sic operetur: ut reverâ nihil insulsius, nihil a saniori Theologiâ remotius, possit concipi hac imaginatione, quæ certo spatio substantialem angeli præsentiam definiri negat. De discrimine illo inter esse in loco circumscriptivè, definitivè & repletivè jam diximus, atque ostendimus, quomodo & quo sensu illud admittamus. Sufficit hîc, quòd Zanchius illud *definitive esse in loco* non aliter explicet, quam nos, uti superiori articulo evicimus. Nos quoque *operationem rei definitivè alicubi existentis* non opponere substantiali præsentiæ artic. 176. ostendimus. Eo ipso autem quo opponit Zanchius operationem rei definitivè alicubi existentis occupationi spatii, dicitque *duntaxat operatione* posse aliquid dici definitivè esse præsens, dicit id ipsum, quòd nos hîc propugnamus. Eundem tamen à nobis discedere in ulteriori determinatione sententiæ communis jam art. præcedenti fumus confessi, quod an jure faciat & ex ratione paulo post examinabimus. Quòd verò hîc noster ingeminat, angelum quando cogitat ad intra debere habere suum Ubi definitivum, in quo sic sit & operetur ad intra, cùm de eo jam sit actum art. 177. idque asseratur citra probationem, sitque hæc ipsa quæstio, nos id simplici negatione refellere hîc erimus contenti.

CLXXX. Sed ille olim Syst. Loc. v. §. 28. ex hoc angelorum Ubi, quod ipsis tribuit, etiam, quando intra se tantum cogitant, nec quicquam extra se operantur, voluit colligere, angelos non conditos esse ante rerum principium, quod Mosi describitur, dum sic inquit: *Nec potuerunt antea angeli habuisse suum Ubi, in quo essent, & moverentur, adeoque nec esse.* Equidem nunquam cogitavi, nunquam dixi, angelos creatos esse ante rerum principium, & etiam nunc contra Socinianos assero, *angelos non exstitisse ante principium Mosaicum.* Nego tamen hanc conclusionem confici posse argumento illo, quo Vir Clarissimus in Systemate utitur, unde ad istud argumentum olim hæc annotavi. *Si ponamus solos angelos esse conditos,*

ditos, vel esse conditos in principio quidem, sed antequam ulla res existerent, nullum ubi habere potuerunt, & tamen propterea negandum non est existere, quia ad angelorum existentiam nullum requiritur ubi. Ubi enim nihil aliud est quam spatium, & spatium nihil aliud est quam corpus; illud habet opus Ubi quod est corporeum, sed non id quod est incorporeum, quia rem cogitantem possumus concipere etsi nullum sit Ubi, cum ad cogitationem nullo Ubi opus habeat, sed tantum ad operationem ad extra. Et ad eundem articulum ad differentiam sententiæ Photinianorum & Arianorum, de quâ ibidem agit noster, explicandam, ea dictavi, in quibus mihi contradicturum nunquam putaveram: *Photinus statuit,* dixi, *Christum non habere aliam naturam nisi humanam, adeoque non prius cæpisse quam natus fuit ex Beatâ Virgine; Cujus sententia ab Orthodoxis simul & Arianis fuit damnata; Sed Ariani statuebant Christum esse conditum ante omnes creaturas, adeoque habere aliam naturam præter eam quam accepit a Beatâ Virgine; Sic ergo etsi ostenderetur iis Christi naturam aliquam priorem esse, quam ut eam acceperit ex Beata Virgine, tamen non sequeretur, eum esse æternum, si ante illud initium creaturarum vel ipsi vel angeli fuissent conditi.*

CLXXXI. Ad hanc autem notam respicere Virum Celeberrimum autumo, quando initio art. 88. sic inquit, *Sed & hinc aliud effloresçit dogma ejusdem commatis, quòd tam nulla sit relatio angeli ad locum, ut potuerit angelus creari, non solum antequam ullum daretur spatium in quo existeret, sed etiam diu ante pincipium Mosaicum & creationem universi.* Ubi plus mihi tribuere quam à me dictum fuit, ex collatione satis cuilibet patebit. Dico, *si ponamus angelos esse conditos in principio quidem, sed antequam ulla res existerent;* Ergo non dico potuisse condi ante Principium Mosaîcum. Suppono primum operum divinorum fuisse angelos, antequam esset conditum *extensum,* adeoque ullum spatium. Nego illam suppositionem ex eo everti, quod sequeretur, ea tunc fuisse in nullo Ubi, idque ostendo ratione adjectâ. Undè jam similiter sequitur, non posse concludi ex hoc argumento, eos non fuisse creatos ante Principium Mosaicum, quamvis non negem, id concludi posse ex aliis argumentis. Fortè tamen id vult conficere ex alterâ notâ, in quâ differentiam Photinianæ & Arianæ sententiæ explicui (planè enim hîc conjicere debeo quò spectet,) quod nego majori jure fieri. Verba enim illa *Sic ergo etiamsi ostenderetur, &c.* proponuntur ex mente Arianorum, quod satis arguit contextus & scopus meus, qui fuit ostendere differentiam istarum hæresium; non verò meam sententiam

tentiam exprimunt. Sic ergo facilè evanescent multa, quæ hîc magno molimine agit Celeberrimus Theologus, tanquam nihil contra nos facientia; cujusmodi sunt ea quæ toto art. 88. sequuntur, quibus probat, angelos non esse conditos ante principium Mosaicum, quibus nos non contradicimus; nec propterea hîc recitare operæ est pretium. Imprimis verò certum est, angelis suum *quando* necessariò convenire, quod neque concipi potest sine tempore, cum cogitationum angelicarum altera alteri succedat. Aliud autem est defendere possibilem existentiam angelorum ante creationem mundi, hoc est ante tempus, quod nos non facimus, aliud est dicere, potuisse angelum esse primum opus Dei factum in principio temporis, sive cum ipsum tempus incepit, quod hîc supposuimus in nostrâ notâ. Quodcunque autem fuerit istud primum Dei operum, quamvis id præextiterit rerum aliquarum origini, non tamen præextitit principio temporis. Sic ergo nihil contra nos facit art. 88. nec sententia Patrum, quam adducit, eadem est cum nostrâ, quam ex Vossio proponit art. 89. quem non video dicere, *plerosque ex illis statuisse quidem, incæpisse Deum in principio à creatione angelorum, sed non eos fuisse ante principium Mosis,* prout scribit Vir Clarissimus art. 89. cùm potius eos statuant conditos esse ante principium Mosaicum.

CLXXXII. Relictâ igitur istâ quæstione de tempore angelicæ creationis, de quâ inter nos nullam esse controversiam ostendimus, videamus quibus argumentis utatur ad probandum, angelos, etiam quando extra se nihil quicquam operantur, requirere spatium aliquod essentiæ suæ respectu, in quo existant. Adducit argumentum à tempore, sive duratione angelicâ successivâ, atque inquit art. 89. pag. 63. in fine: *Ut debuit incæpisse tempus* & quando *cum creati sunt, ita debuit præextitisse* Ubi *& spatium in quo crearentur & existerent: licet non egeant spatio in quo extendantur, egent tamen eo in quo sint & agant: ac prout de homine cogitante observari debet & potest & quando cogitet & ubi cogitet, sic nulla potest fingi ratio, cur idem de angelo non debeat statui: eaque est necessitudo mutua creaturarum inter se, ut ipsæ etiam naturæ spirituales, licet nobiliores corporeis, egeant tamen loco corporeo ut suum Ubi nanciscantur: unde ex communi Theologorum sententiâ primo die creati sunt angeli in ipsomet cœlo supremo, tum creato, ut suum ibi domicilium, prout ita etiam nominatur in scripturâ apud Judam vs. 6. & suum Ubi ac locum definitivum obtinerent.* In quo discursu multa dici sine probatione video. Pariter sese habere angelos ad Quando ac ad Ubi

 nego

nego. Angeli non sunt actus puri, sed cogitationum alia alteri succedit, unde Quando in eos cadere oportet: at eorum tamen essentia tota in cogitatione consistit, unde, quando extra se non operantur non indigere Ubi ad cogitandum intra se superius jam est probatum. De homine hactenus potest dici, *observari posse ubi cogitet*, quâtenus, quamdiu est homo, unita est anima ejus cum corpore, quod semper est in aliquo Ubi. Sic quando homo est in museo suo, quia anima ei unita cum corpore quod est in museo, eaque anima unita cum corpore tunc cogitat, non refugimus hoc sensu hanc phrasin, *hominem cogitare in museo suo.* Sed alia planè ratio angeli, qui est à corpore liber, qui nisi operetur extra se, propter ea quæ sæpius diximus, nullo Ubi ad cogitandum indiget. Creatos esse in cœlo supremo angelos hactenus potest dici, quâtenus in cœlo supremo operationes quasdam ad extra, sive quæ terminentur extra angelos, exercent, sed cœlo supremo eguisse, ullove alio loco ad cogitandum nos planè negamus. Nullum aliud præter hoc reperio argumentum in tractatu Celeberrimi Viri, quo illam sententiam stabiliat. Initio enim artic. 90. probat, angelum egere tempore ad operandum, quod contra nos non facit. Deinde repetit argumentum à Quando angelorum ad Ubi ipsorum probandum, de quo egimus art. præcedenti; Itaque his immorari ulterius nihil attinet.

CLXXXIII. Videndum tantum an implicet contradictionem, si dicatur, posse angelum duas vel plures operationes ad extra simul producere, adeoque hoc respectu esse in pluribus spatiis. Id nullam contradictionem implicare existimavi, quando ad §. 31. System. Loci v. sic dictavi: *Cum præsentia angelorum tantum consistat in operatione ad extra, nulla erit contradictio, si dicamus angelum posse simul duas operationes ad extra producere, adeoque sic in duobus spatiis esse posse.* Nec nunc aliud censere possum. Cogitemus historiam Sennacheribi, in quâ legitur, angelum Domini unâ nocte in castris Regis 185000. hominum peremisse. Nec tamen omnes occisi leguntur, qui fuerunt in isto exercitu, qui proculdubio superavit hunc numerum. Ita igitur castra longè lateque extensa fuerunt. Ponamus ergo angelum voluisse simul occidere illum qui in principiis castrorum fuit constitutus & eum qui in extremitatibus erat; an verò dicemus hoc implicare contradictionem? In quo verò ea consistet? An in eo, quod duo homines simul eodem tempore obeunt? At id fit quotidie in mundo. An verò in eo, quod angelus non possit habere hanc voluntatem; volo

duos

duos homines à se invicem magno intervallo dissitos mori? At quilibet homo habere eam potest, sed inefficacem; Angelus ergo quidni habere potuisset istam voluntatem efficacem? Neque enim aliud in ipso potest censeri fuisse per quod tot hominum millia fuerunt occisa præter istam voluntatem efficacem, nisi velimus induere angelum corpore, eique in manus tradere tela, variaque instrumenta ferrea aut lignea, quibus homines perimat. Quod si igitur non implicet contradictionem, ut angelus uno eodemque tempore diversis in locis operetur, nulla etiam erit contradictio, si dicamus, eum respectu istarum in diversis locis operationum præsentem fuisse simul diversis locis. Quod si prius non implicare contradictionem cogitavisset unquam Zanchius, non dubium est, quin dicturus quoque fuisset, contradictionem non implicare, si angelus dicatur simul esse in pluribus locis.

CLXXXIV. Hanc tamen sententiam impugnat Vir Celeberrimus art. 92. pag. 66. *Eâ ratione*, inquit, *ponitur in gratiam Pontificiæ transsubstantiationis, exemplum multipræsentiæ possibilis in creaturâ; licet eo ipso quod angelus debeat esse definitivè præsens ubi operatur ad extra, nequeat concipi esse simul in duobus spatiis distinctis, quòd tum in eorum neutro foret definitivè: qui enim est definitivè alicubi, ita ibi est, ut interea alibi esse nequeat.* At tantum abest, ut ex hâc sententiâ quid lucrari possint Pontificii pro suâ Transsubstantiatione, ut potius nihil magis eam evertat, quam fundamentum alterum nostræ sententiæ supra positum, quod nempe corpus & spatium non nisi ratione inter sese differant; unde necessariò sequitur & evidenter, non posse multiplicari spatium ejusdem corporis, quod est ipsum illud corpus, quin ipsum illud corpus multiplicetur, adeoque non posse illud corpus esse in pluribus locis, quin ipsum illud ut multiplex concipiatur, & per consequens non sit unum idemque corpus. Unde apparet, nullam speciem habere consequentiæ, si quis argumentari velit à possibili præsentiâ angeli in pluribus locis respectu operationis, quam in pluribus locis possit peragere, ad possibilem præsentiam unius corporis in pluribus locis, quæ planè alterius est generis, & ex naturâ & essentiâ corporis sequitur, cum altera non ex essentiâ & substantiâ angeli sequatur, sed duntaxat ex ejus operatione. Contradictionem esse putat Vir Venerandus in nostrâ sententiâ. At ea reverâ esset, si cum ipso explicaremus definitivam præsentiam, ut diceremus, localitatem fluere ab ipsâ naturâ & substantiâ angelicâ; ejus enim demum respectu dici potest, *quod id quod*

est definitivè alicubi, ita ibi sit, ut interea alibi esse nequeat. Si enim ab illâ ipsâ substantiâ determinetur certum aliquod Ubi, omninò dicendum erit ita esse ibi, ut interea alibi esse nequeat, & per consequens erit contradictorium, ut simul sit in pluribus spatiis. Sed, pace ipsius dixerim, si concipiatur localitas fluere ab ipsâ substantiâ angelicâ, erit illa substantia concipienda ut extensa, quod nec ipse negaverit, cum & Deum & animam ad modum corporis subtilis soleat concipere & diffusionem Deo adscribat. Et fanè Ubi illud est quid extensum: non enim potest aliter spatium sive Ubi, nisi sub ratione extensionis concipi: Si ergo fluat localitas ab ipsâ substantiâ angelicâ, ista substantia determinabit sibi certum aliquod spatium, & certam extensionem, ut extra eam alibi esse nequeat, quæ determinatio certæ extensionis, in quâ sit substantia illa, non potest concipi fieri nisi à substantiâ extensâ.

CLXXXV. Hæc sunt quæ Philosophia sana suppeditat Theologo ad intelligendam præsentiam angelorum; videamus porrò quænam ex eâ depromi queant ad intelligendum ea, quæ scriptura dicit de eorum motu. Non enim negamus moveri angelos & transire de loco in locum, quod nobis impingit Vir Clarissimus. Unde non erat quòd illud art. 91. probaret, cum id nos in dubium revocare non audivisset. Potuisset quoque post citatum dictum Christi Luc. XI. 24. 25. *Ubi Christus de impuro Spiritu inquit, eum, cùm exierit à quopiam, transire per arida loca quærentem requiem, & non invenientem reverti in domum unde exierat*, parcere his verbis. *Dicant isti Neoteri Christo ipsum mentiri, cùm tàm expresse & locum & motum ad locum assignat angelis.* Non enim quæritur, an sint angeli in loco & an moveantur, sed quomodo convenienter eorum naturæ, &, ne confundamus res cogitantes cum substantiis extensis, id sit intelligendum, id quod de loco angelorum in antecedentibus fuit explicatum, nunc etiam de motu à nobis ut fiat, ordo postulat. Motus natura in quo consistat, nemo melius explicavit Philosopho Princip. II. §. 25. *Sed si non tam ex vulgi usu, quàm ex rei veritate, consideremus, quid per motum debeat intelligi, ut aliqua ei determinata natura tribuatur; dicere possumus esse translationem unius partis materiæ, sive unius corporis, ex viciniâ eorum corporum, quæ illud immediatè contingunt, & tanquam quiescentia spectantur, in viciniam aliorum. Ubi per unum corpus, sive unam partem materiæ, intelligo id omne quod simul transfertur; etsi rursus hoc ipsum constare possit ex multis partibus, quæ alios in se habeant motus; & dico esse translationem, non vim vel actionem quæ transfert;*

fert; ut ostendant, illum semper esse in mobili, non in movente, quia hæc duo non satis accurate solent distingui; ac esse duntaxat ejus modum, non rem aliquam subsistentem, sicut figura est modus rei figuratæ, ac quies rei quiescentis. Horum autem corporum respectu, quæ corpus motum immediatè contingunt, dicitur quoque corpus transferri è loco in locum. Locus enim, uti observat Philosophus §. 14. *magis expressè designat situm, quam magnitudinem & figuram, unde cum dicimus rem esse in hoc loco, nihil aliud intelligimus, quam illam obtinere hunc situm inter alias res.* Quando igitur transfertur corpus aliquod è viciniâ corporum, quia illud immediatè contingunt in viciniam aliorum, mutat situm, cujus respectu locum mutare dicendum est.

CLXXXVI. De hoc corporum motu inquit porro Cartesius Princ. II. §. 36. *Et generalem quod attinet* Motus causam, *manifestum mihi videtur illam non aliam esse, quam Deum ipsum, qui materiam simul cum motu & quiete in principio creavit, jamque per solum suum concursum ordinarium tantundem motus & quietis in eâ totâ quantum tunc posuit conservat. Nam quamvis ille motus nihil aliud sit in materiâ motâ, quam ejus modus: certam tamen & determinatam habet quantitatem, quam facile intelligimus eandem semper in totâ rerum universitate esse, quamvis in singulis ejus partibus mutetur. Ita scilicet, ut putemus, cum una pars materiæ duplo celerius movetur quam altera, & hæc altera duplo major est quam prior, tantundem motus esse in minore quam in majore, ac quantò motus unius partis lentior fit, tanto motum alicujus alterius ipsi æqualis fieri celeriorem. Intelligimus etiam, perfectionem esse in Deo, non solum quòd in se ipso sit immutabilis, sed etiam quòd modo quam maximè constanti & immutabili operetur. Adeo ut iis mutationibus exceptis, quas evidens experientia vel divina revelatio certas reddit, quasque sine ullâ in creatore mutatione fieri percipimus, aut credimus, nullas alias in ejus operibus supponere debeamus, ne qua inde inconstantia in ipso arguatur.* Quibus ita constitutis jam facile consequitur, nec angelos, nec ullas alias creaturas novum motum producere. Quæ quia obiter attingit Vir Clarissimus art. 90. nos quoque obiter ad ea, quæ in contrarium adducit respondebimus. Parum verò in eo situm, sive motus dicatur à Deo creari sive concreari, & quæstio tantum erit de nomine. Nec Philosophus inquit absolutè motum creari, uti apparet ex citatis. Dicit enim, *Motum nihil aliud esse in materiâ motâ, quam ejus modum,* dicit, *Deum materiam simul cum motu & quiete in principio creasse,* dicit, *conservare motum in materiâ,* quod ipsum si malit Vir Clarissimus concreatum dicere nos non habebit refragantes. Probat tamen art. 90. angelos

 novum

novum motum produxisse, quòd *non videatur negandum, legionem Euangelicam dæmonum novum motum excitasse in harâ illâ porcorum, quos de vertice montis præcipitavit in mare, & eâ ratione suffocavit.* At ex fundamento illo, quod Cartesium posuisse vidimus loco citato, omnino id videtur negandum, cum id omne potuerit fieri per novam determinationem ejusdem quantitatis motus, quæ jam antea erat in mundo. Scilicet in rabiem acti videntur isti porci à legione diabolorum, quod utique potuisse fieri per determinationem certam spirituum, qui sunt instrumenta omnis motus in animalibus, citra ullam novi motus productionem in universo facile ex Principiis Philosophi explicabunt Medicorum filii. Nisi malis dicere procellâ excitatâ præcipitatos esse in mare, quam procellam excitari posse citra augmentum quantitatis motus in mundo ex Tractatu Cartesii de Meteoris potest esse manifestum.

CLXXXVII. Sed hoc misso, jam ex iis, quæ art. 185. diximus manifestum esse potest, quomodo ea quæ Scriptura dicit de angelorum motu sint intelligenda. Motum nempe propriè angelis non posse competere facile inde convincetur, quod & olim dictavi ad System. Loc. v. artic. 31. *Sicut locus non competit propriè angelis ita nec motus, neque potest dici aliter angelus moveri, quam quâtenus ibi desinit operari, hic verò operari incipit.* Quod dicit Vir Celeberrimus §. 92. in fine *esse veterem Sadducaismum interpolare, juxta quem angeli in Scripturis commemorati erant tantum* ἀπόρροιαι *effluentes à Deo, & desinentes absoluto opere cui destinabantur: & cùm tot aliàs rationibus & exemplis motus angelicus sit suprà comprobatus ex Scripturâ, bellum Deo indicere suscipiet ejusque Verbum irridere, qui tam apertæ luci refragari porrò voluerit.* Quibus similia habet in fine §. 91. *Et tàm sunt frequentia motus angelici in Scripturis testimonia, quæ omnibus obvia sunt, ut illis refragari & omnia hac mutare in meras cogitationes, debeat potius Sadducæorum esse quam Theologorum Christianorum.* Scilicet, si *locus* & motus negentur angelis propriè convenire, si eximantur ex serie & ordine corporum, substantiæ esse negabuntur. Si statuantur substantiæ incorruptibiles atque in eum finem sollicitè caveatur, ne concipiantur ad modum corporis alicujus subtilis & tenuis, dicentur desinere absoluto opere cui destinabantur. Hæ substantiæ sanè, etsi ibi desinunt operari hîc tamen operari incipiunt; sic ergo *esse* non desinunt. Annon ipsum Virum Celeberrimum confiteri oportet angelos peractâ suâ obligatione desinere ibi operari postquam opus suum absolverunt? An ergo inferendum erit, eos esse desinere,

finere, & esse *tantùm ὑπηρεσίας à Deo, & desinentes absoluto opere cui destinabantur*? Irâ valdè in me præpeditum fuisse oportuit cùm hæc scriberet: aliàs nescio quomodo talia, quæ hîc dixit, ei potuerint venire in mentem. Sed nolo huic rei diutius inhærere, peto saltem ut legat attentè ea quæ cap. 10. hâc de re prolixius sum commentatus, & deponat imposterum tales de nobis sinistras opiniones.

CLXXXVIII. Motum autem propriè loquendo non posse angelis convenire, sed impropriè tantum respectu operationis, quàtenus postquam ibi operari desierunt, hîc operari incipiunt, satis ex definitione motus supra datâ apparet. Competit enim motus iis quæ sunt contigua, quæque recedunt è viciniâ corporum, quæ ipsa immediatè contingunt, in viciniam aliorum. At contactum esse propriè corporum non negabit Vir Clarissimus juxta illud: *Tangere vel tangi nisi corpus nulla potest res.* Angeli quoque, quando non operantur, non possunt dici vel vicini corporibus, vel ab iis distare. Sunt enim distantia & propinquitas modi quidam corporis, in suo conceptu corpoream substantiam necessariò involventes. Dicit quidem Vir Clarissimus art. 93. pag. 67. *nos supponere, motum de loco in locum esse affectionem solius corporis, sed id meram continere in hac quæstione petitionem principii.* Sed nos nihil hîc supponere tùm ex dictis liquet, tùm patere quoque potuit ipsi ex nostris dictatis, de quibus paulò post. Pergit ibidem: *Nam ut ubi circumscriptivum, quod est solius corporis, non debet tollere ubi definitivum angelicæ naturæ, ita motus corporeus, qui fit juxta Cartesianos per impulsionem tantum ab altero corpore, (licet magni Viri & subtiles Philosophi pertenderunt contra defensores hujus paradoxi, motum quoque dari per suctionem & attractionem.) in quo motu ipsum mobile non movetur, nisi per partes, adeoque est partim in actu partim in potentiâ, non debet obstare motui angelico vel naturæ spiritualis, quæ respectu sui movetur tota simul & indivisibiliter, licet per medium quod habet partes & divisibile est.* Supponitur semper Ubi definitivum fluere ex angelicâ naturâ & essentiâ, quod sæpius jam refutatum est, satisque ostensum, nihil angelicam naturam, quæ in cogitatione consistit, habere commune cum spatio, quod à corpore non differt. Motum verò per solum impulsum communicari cum aliis corporibus, per se videtur esse manifestum, & satis demonstratum est à Philosopho Princip. II. §. 33. ut propterea non magni faciendi sint illi, quos dicit statuere, motum dari per suctionem & attractionem. Motus per attractionem, si scilicet corpus illud quod attrahitur alligatum sit corpori trahenti,

trahenti, facilè intelligitur: sive enim corpus trahens sit animatum sive inanimatum, illud quod sic alligatum est censetur tanquam unum aliquod cum trahente, & per consequens motus, qui trahenti & attracto competit, tanquam communis est concipiendus. Alius verò motus per attractionem, ubi corpus attractum non est alligatum corpori trahenti, est planè fictitius, cujusmodi, verbi gratiâ est magnetis & succini, quorum motum per inpulsionem fieri clarè satis demonstratum est à Philosopho Princip. IV. §. 146. usque ad articul. 186. Quomodo motus qui per suctionem fieri putatur reverâ fiat per inpulsionem ostendit per exempla Cl. Regius in Fundamentis Physicis cap 1. sub titulo *Causa eorum motuum, qui ob fugam vacui fieri dicuntur.* Quomodo verò *natura spiritualis respectu sui possit moveri tota simul & indivisibiliter, licet per medium quod habet partes & divisibile est,* fateor, me intelligere non posse.

CLXXXIX. Contradictorium id planè esse, & censet mecum & demonstrat Parkerus de descensu Christi ad inferos Lib. II. pag. 162. 163. 164. atque auctoritate & consensu quorundam ex Patribus aliorumque Scriptorum comprobat, cujus verba in gratiam eorum, qui ipso destituuntur adscribere non pigebit. Sic argumentatur ille, sicque vindicat suum argumentum, illudque aliorum testimoniis comprobat. *At si anima localiter moveatur inquam, est igitur corporea & partibilis. Omne enim mobile partibile esse, Aristotelis est. Respondet Thomas. Verum esse de motu continuo: at si motus non sit continuus, potest dici quòd aliquid movetur dum est in termino à quo, & dum est in termino ad quem: in quo non veritati tantum, sed & sibi ipsi (sentent. distinct. 37. q. 4. art, 1. ad tertium) contrarium esse, Cajetanus asserit: qui hoc vulnus quomodo sanat? Termini inquit motus angelici sunt de naturâ instantanearum mutationum, quòd in iis sit in eodem instanti, & fieri & factum esse. Quasi idem ullo modo possit & præteritum esse & præsens? Thomas autem ipse ait inveniri in angeli motu partialitatem, sed quæ referatur non ad substantiam angeli sed ad locum, quia dum incipit angelus moveri, est in parte primi loci quem deserit, & in parte secundi, quem occupat. Similia habet Scotus. Ad illud quod dicitur, angelum moveri non posse, quia sit indivisibilis, potest faciliter responderi inquit, quod angelus occupat locum divisibilem, & ideo respectu loci se habet, ac si esset divisibilis. Nam in motu locali est successio ex duplici causâ, videlicet ex divisibilitate mobilis, & divisibilitate spatii, quarum utraque causa si esset, per se & præcise, esset sufficiens ratio successionis. Negat autem animam esse partim in hoc loco, partim in illo, sed in parte hujus loci, & in parte illius.*

tim. Sed urget semper eadem ratio. Nam aut tota est in parte hujus & in parte illius, & jam non movetur, aut partim in parte hujus, & partim in parte illius, & redit eadem partibilitatis conclusio, vel hâc aut illâ parte. Nullis igitur machinis dejicienda est unquam ista Procli demonstratio. Πᾶν τὸ κινέμβον μεριστόν ἐστι. *Quod ad spiritum. Aut est in A, & nondum movetur, aut in B, & moveri desiit, aut partim in A, partim in B, & tum est divisibilis. Hinc Augustinus Nebridio quærenti de perpetuo animæ corpore, quo inniti anima, ut de loco ad locum transeat, putatur, ait, nec sentiri posse, nec intelligi. Vidit autem Nicetas, quòd si mobilis sit, sit etiam in loco: ita enim habet. Animam circumscribi non omnino, aut omni prorsus motu carere, vix certò asserere ausim. Ita BERNARDUS. Discurrere autem & de loco in locum transire non est nisi corporum, quod frequenter angelos facere, tam indubitata, quam nota probat auctoritas. Augustini illa sententia est. Localiter moveri corporis proprium est. Rursus. Anima ad corporalia loca non fertur, vel non localiter fertur. Postremò, Spiritus creatus per tempus moveri potest, non per locum, creator sine tempore & loco, corpus, & loco & tempore. Anima non movetur in cœlo, nec terrâ, sed seipsâ. Unde patet non hac de definitione locali intelligi, sed planè de spatio, sine cœlo enim & terrâ (ut ibidem) nullus est locus. Meritò itaque Durandus. Substantiis spiritualibus non competit moveri de loco in locum per motum qui sit subjective in ipsis, sed per effectum quem habent in aliis rebus. Postremò ita Picus de Mirandula. Motus localis & alicubi locari non competit substantiæ separatæ, nisi ratione operationis.*

CXC. Ego in Dictatis meis ad System. Loci v. §. 33. duabus his fui usus rationibus, quibus probavi, motum propriè sic dictum, quo nunc hæc nunc illa pars medii deferatur, atque nunc ad hanc nunc ad illam fiat appropinquatio, angelis competere non posse. 1. *Ratio præsentiæ angelicæ est per cogitationem, curam & consilium, atque hæc non opus habent ut attingant medium*; 2. *si talis concipiatur motus deberent angeli commensurari medio, quod si fieret eo ipso statuendi essent corporei.* Atque posterius hoc argumentum coincidit cum argumento Parkeri, quod præcedenti art. fuit adductum. Vir Venerandus sic ad hoc excipit art. 93. *Etenim quemadmodum Quando & duratio angeli commensuratur tempori, citra ipsius angeli extensionem & divisibilitatem, ita potest quadantenus commensurari motus angeli medio per quod fit, citra ipsiusmet angeli extensionem aut divisibilitatem. Tum foret hoc perabsurdum, angelum emitti à Deo cœlitus in terram & redire postea ex terrâ in cœlum intacto medio, cum implicet contradictionem ab extremo ad ex-*

tremum transiri medio non superato. Sed non parem esse rationem *Quando* & *Ubi* angelorum aliquoties observatum, vide art. 182. Quando duratio angeli commensuratur tempori, id fit, quia angeli non sunt actus puri, sed eorum aliæ cogitationes aliis succedunt: harum igitur respectu potest dici, hanc cogitationem coëxistere tempori præsenti, illam coëxtitisse tempori præterito, unde quamvis essentia angelorum non sit divisibilis, est tamen divisibilis hâctenus eorum duratio, quia successiva est ob cogitationes alias aliis succedentes; at non posse commensurari motum angeli medio per quod fit, citra angeli extensionem aut divisibilitatem, satis solidè demonstravit Parkerus præced. art. citatus. Absurdum foret, emitti angelum à Deo cœlitus in terram & redire in cœlum intacto medio, si moveretur motu propriè sic dicto, adeoque si esset extensus; at cum extensus non sit, contradictorium esse eum transire medium eique commensurari jam ante me probavit Parkerus. Quoniam verò angelis propter dicta non potest competere motus propriè sic dictus, contradictionem quippe manifestam implicans, atque angelorum naturam planè evertens, & propterea non aliter ipsis tribui potest, quam quâtenus, postquam hîc desierunt operari, alibi operari incipiunt, facile patet, *non posse hîc aliam moram intervenire, quam quæ intercedit inter duas volitiones se mutuo immediatè consequentes*, prout dictavi olim ad System. Loc. v. §. 33. His nescio quâ ratione objiciat Vir Celeberrimus §. 93. pag. 67. *Sic recoqui Veterem illum errorem damnatum ante 350. annos de possibili existentiâ angeli simultanea in pluribus locis & ubiquitate si voluerit; quâ ratione evertitur Catholicorum argumentum contra Macedonianos veteres & novos desumptum ex multipræsentiâ & omnipræsentiâ Spiritus Sancti pro ipsius æternâ Divinitate: siquidem ex hâc novâ hypothesi nihil tribuitur Spiritui Sancto in Scripturis quod in angelum cadere non possit.* Non enim hîc dico, angelum simul in diversis locis vel operari, vel posse operari, quòd posterius superius dixi & vindicavi. Neque inde evertitur argumentum Orthodoxorum ab omnipræsentiâ Spiritus Sancti desumptum. Non enim statuo, angelos posse esse omnipræsentes, solum Deum dico omnia in omnibus operari juxta Scripturam, ac propterea omnipræsentiam pro attributo solius Dei constanter habeo.

CAP.

CAP. XIV.

Usus Philosophiæ in cognoscendâ Dei existentiâ & explicandâ notitiâ Dei insitâ variisque attributis divinis. An Deus possit definiri? Substantiæ nomen optimè Deo convenit, nec ad conceptum Substantiæ requiritur, ut substet accidentibus. De divisione attributorum Dei in Communicabilia & Incommunicabilia quid censendum. Incommodè dicitur Deus se determinare. Spiritualitas Dei rectè explicanda. Infinitatis Dei explicatio. Æternitas Dei quomodo sit indivisibilis & quomodo tùm ante tùm post mundum conditum complectatur omnes temporum differentias. Vita Dei quid sit. Voluntas Dei causa est omnis Veri & Boni omnisque realitatis. De radice possibilitatis. Potentia Dei non est limitanda, quod fieret, si dicere audeamus, Deum non posse quædam facere. Nobis sufficit si contradictoria cognoscamus, ut tanquam absurda rejiciamus. Deus est prima veritas & mensura omnis veritatis in mundo. De cultu Dei quid lumen naturale doceat.

CXCI. DE Dei naturâ agit & Philosophus & Theologus, & hunc juvat ille in formandis distinctis conceptibus de Dei naturâ & attributis. Imprimis probat Philosophia Dei existentiam ex lumine naturæ, quam supponere oportet Theologum, dum auctoritatem Sacræ Scripturæ demonstrat: Id factum à Cartesio Medit. III. & V. argumentis evidentissimis. Ex quibus cognoscitur, quo modo dicatur in Theologiâ notitia Dei insita esse omnibus & singulis hominibus, quâ de re jam quædam dixi art. 132. dum explicarem Rom. 1. 19. 20. Sic verò ad explicandam hanc notitiam insitam dictavi ad Syst Loc. 11. §. 1. *Insita Dei notitia consistit in eo, quod habeamus in mente nostrâ ideam Dei, non quidem actu semper præsentem, sed quod possimus istam ideam depromere ex nobis ipsis; atque ita ex istâ ideâ Dei possimus cognoscere Dei existentiam & essentiam simul, prout illud argumentum tribus modis deducitur in Meditat.* III. *& V. Des Cartes.* His sese opponit Vir Celeberrimus §. 111. num 7. dicendo. *Quod mihi videtur notitiam Dei non nisi potentiâ nobis insitam statuere, nec magis nos*

naturaliter Deum nosse quam figuras geometricas aut regulas Algebræ, quarum etiam ideas isti homines nobis naturaliter volunt inesse. Difficultas hic quæritur ubi reverâ nulla est, nisi forte ea inde sit orta, quòd in sua citatione omiserit voculam *semper*. Nam sanè negare nequit, non semper istam ideam omnibus & singulis hominibus esse præsentem, cùm non semper homines cogitent de Deo, sed etiam de aliis rebus. Ergo tùm dicendum utique est, homines habere potentiam istam ideam ex mente suâ eliciendi. Vel ergo priùs dicat Vir Clarissimus, vel fateatur necesse est eo sensu Dei notitiam debere dici insitam omnibus hominibus, quâtenus homines etiam tunc quando actu de Deo non cogitant, habeant potentiam de Deo cogitandi. Actu ergo insita est Dei notitia, quâtenus actu & reverâ habemus talem mentem, ex quâ solâ possimus, quando volumus, elicere ideam Dei sive de Deo cogitare, non tamen semper est actu præsens, hoc est non semper cogitamus de Deo.

CXCII. Quando autem actu præsens est Dei idea intelligimus per Deum Ens summè perfectum, quem conceptum dum formamus, an possimus dici formare Dei definitionem, quæstio est Logica, quam in Theologiâ solent agitare. Quæ quamvis magni non sit momenti, quia tamen quasdam ambiguitates involvit, volui eas tollere, tironibus Theologiæ dictando hæc seqq. ad §. 2. Loc. 11. *Si per definitionem intelligamus id quod Logici appellant definitionem perfectam, & ad quam varias conditiones requirunt, verum erit quòd Deus non possit definiri; Sed si per definitionem intelligamus explicationem essentiæ, uti definitio reverâ id est, nihil potest esse difficultatis, si dicamus Deum definiri, quando Deus dicitur Ens summè perfectum. Quod autem hìc dicitur id quod est infinitum definiri non posse hoc sanè non sequitur, cum definitio nullos limites ponat ipsi rei, sed tantum nostros conceptus constringat.* Ex nullam reprehensionem incurrere posse apud æquos rerum arbitros semper fui persuasus. Hæc tamen erroris instar habentur à Celeberrimo Theologo §. 111. num. 8. hâc adhibitâ ratione, quòd *definire rem sit ejus fines & terminos describere, qui cùm non cadant in rem infinitam eo ipso indefinibilis sit,* ad quam rationem in ipsis dictatis responderam, *definitionem nullos terminos ponere rei, sed tantum nostros conceptus constringere*, quod per se est manifestum cum definitio sit operatio quædam mentis nostræ intra ipsam manens, neque ullam mutationem in re inferens.

CXCIII. Porro substantiæ nomen optimè Deo convenire apparet ex definitione substantiæ, quam habet Philosophus Princip. 1. §. 51. *Per substan-*

substantiam nihil aliud intelligere possumus, quam rem quæ ita existit, ut nullâ aliâ re indigeat ad existendum. Cùm ergo Deus omnimodo nullâ planè re indigeat ad existendum maximo jure substantia vocari debet. Notavi igitur ad §. 4. Loci 11. Systemat. ubi Vir Celeberrimus inquit: *Essentia & natura melius de Deo dicitur, quam Substantia, si absolutè consideretur; nam nec substat accidentibus aut alicui rei subest, cùm sit* οὐσία ὑπερούσιος, hæc seqq. *Sed auctor vocem substantiæ non satis bene consideravit; non enim requiritur ad naturam substantiæ ut substat accidentibus, sed ut per se exsistat, atque tunc longè majori jure substantia Deo competit quam creaturis, ut antea vidimus.* Quibus §. 111. num. 9. opponit 1. *quòd nixus fuerit constanti scholarum definitione*, quod non ita certum est. Combachius Med. 1. pag. 449. *Substantia, à substando aliis dicta quod substet accidentibus, non potest nisi substantiæ creatæ tribui: hæc enim accidentibus substat, in Deum verò accidentia non cadunt. Substantia aliis à subsistendo dicta Deo etiam convenit, & omnium maximè convenit per se subsistere, unde & a quibusdam* ὑπερουσία potius, quam οὐσία dicitur. Ariaga Cursus Philosophici pag. 114. *Substantia est id quod per se existit*, quæ definitio planè convenit cum definitione Cartesii, quòd Cartesii sit clarior. Et pag. 609. rejicit varias explicationes substantiæ & inter alias hanc ipsam quæ communis Scholarum à Celeberrimo Viro dicitur, quòd *proprius substantiæ conceptus sit substare accidentibus.* Plures auctores in contrarium laudare nihil attinet. 2. opponit, *quòd possit substantia esse & per se existere, quæ tamen non subsistat, si debeat obtinere necessaria distinctio inter existentiam & subsistentiam.* Incidit in exemplar vitiosè scriptum, ut solet fieri: dixeram enim *ut per se existat*, ad fugiendam ambiguitatem vocis subsistere, quæ tamen etiam pro *per se existere* usurpatur.

CXCIV. Ad distinctionem vulgarem, quâ attributa divina distribuuntur in Communicabilia & Incommunicabilia hoc notaveram ad §. 16. Systematis 11. *Sic incommodè saltem loquimur, si dicamus, quædam attributa communicari, cum tantùm similitudo quædam eaque valdè obscura reperiatur in quibusdam inter Deum & creaturas.* Nulla verò hujus distinctionis est necessitas, & facilè trahi potest in deteriorem sensum. Attributa enim Dei sunt proprietates Dei: at proprietates non possunt esse communicabiles. Quòd si communicabilitatem intelligas latissimè de quâdam similitudine valdè obscurâ, etiam quædam, quæ Incommunicabilia vulgò dicuntur, poterunt communicabilia appellari. Sed Venerandus Vir inquit art. 111. num. 10. *non posse negari attributa quædam divina esse analogicè communica-*

municabilia homini, quin homo negetur conditus ad imaginem Dei. In quo mihi non contradicit, qui notavi tantùm esse incommodam locutionem. Ista enim analogica communicatio nihil nisi valdè obscuram similitudinem infert, eamque etiam ratione eorum attributorum, quæ pro Incommunicabilibus habentur. Aliam Incommodam quoque locutionem obiter observaveram ad §. 19. *quâ Dei essentia dicitur se ipsam per modum principii vitalis ad hoc vel illud determinare*, sic dictando: *Hæc etiam vox* determinare *de Deo non satis commode dicitur, non enim propriè Deus se determinat, sed determinat res alias.* Id per se patere puto, modo attendatur: unde verba, *sed res alias*, non adjeci tanquam rationem, quam futilem appellat Noster §. 111. num. 11. Determinare enim terminos quosdam propriè infert, ponitque imperfectionem, nec ut de Deo usurpetur ista phrasis ulla requirit necessitas.

CXCV. *Simplicitatem divinam* dicit Vir Celeberrimus Syst. Loc. II. §. 27. *consequitur ejus Spiritualitas, quæ Deo longe perfectius, quam ulla creatura competit, cùm in angelos cadat compositio multiplex, nulla in Deum.* Dein illam *Spiritualitatem Dei* probat ex *Joh.* IV. 24. Ad quæ duo seqq. observavi. 1. *Illa compositio, quæ cadit in angelos, nihil repugnat spiritualitati, ergo ista simplicitas & spiritualitas non ita immediatè erant conjungenda; sed quatenus Deus cogitat uno actu omnia & singula, in eo consistit major perfectio Dei quam angelorum.* 2. *Locus ille hic citatus quidem probat id quod probare debet; sed sic tamen non satis explicatur illa Spiritualitas in quo consistat; Nam propriè loquendo Deus ne quidem Spiritus appellari potest, cùm Spiritus propriè loquendo denotet aliquid corporeum: Sic ventus vocatur Spiritus, sic spiritus sunt animales, spiritus Chymici, qui omnes sunt corpora: Ergo ad Spiritualitatem Dei probandam adducenda fuissent talia loca, in quibus mentio fit Dei cogitationis, intellectus, voluntatis. Sic Esa. 55. Meæ cogitationes non sunt ut vestræ cogitationes; sic sæpissimè mentio fit intellectus & voluntatis Dei; ita ergo Spiritualitas Dei propriè loquendo consistit in eo, quòd Deus sit res cogitans, & quidem talis res cogitans, quæ unico intuitu omnia exhauriat.* Hic nihil aliud reprehendit articul. 112. num. 14. nisi, *me non velle Spiritualitatem Dei ejus simplicitatem sufficienter explicare.* Ego verò vocem ambiguam Spiritus & rectè explicui, & ostendi, *spirituale esse*, non inferre negationem omnis compositionis, adeoque non tantam simplicitatem quanta in Deum cadit, & proinde simplicitatem Dei, quæ etiam compositionem illam rationis respuit, quæ in angelos cadit, non fuisse conjungendam imme-

immediatè cum Dei Spiritualitate, præsertim si adeò generaliter explicetur tantum, uti factum est ab ipso, ne quidem sublatâ ambiguitate vocis Spiritus. Spiritualitas ergo Dei explicatur in scripturis per eas locutiones, quibus Deo cogitationes, Intellectus & Voluntas attribuuntur; & summa Dei perfectio requirit, ut omnia ipsi sint simul præsentia, utque unico & simplicissimo actu omnia intelligat & velit, neque ulla ipsi conveniat compositio ex actu & potentiâ, cùm ipse sit purissimus actus, ejusque existentia in essentiâ includatur.

CXCVI. Infinitatem Dei sic explico ad §. 29. *Positivè Infinitas nihil aliud est, quam summa perfectio.* Sed Vir Clarissimus incidit in exemplar malè descriptum, quod pro *perfectio* habuit *potentia*, unde reprehensio ejus, quæ habetur art. 112. num. 14. in fine me non spectat. Si autem neget fortè, Infinitatem Dei positivè consideratam esse summam Dei perfectionem, intelligere cupio, quâ aliâ ratione positivè velit Dei Infinitatem explicare? Cùm tamen reverâ vox illa Infinitus ponens negationem negationis, hoc est, negationem finium, aliquid positivum inferat.

CXCVII. De Æternitate Dei solida Philosophia ita nos philosophari docet, ut non aliundè magis solidè refutari possit Vorstius Deo successionem adscribens, quam ex illâ. Occasione verò eorum quæ in Systemate habet Vir Celeberrimus artic. 31. duo contra Vorstium observavi, qui successionem in Æternitate concipit, & quando nos eam indivisibilem concipimus, dicit nos Dei Æternitatem concipere instar puncti in lineâ, quibus quædam nunc addam, cum conqueratur art. 112. num. 15. *isti doctrinæ intelligendæ Oedipo vel Sphynge opus esse,* 1. *Indivisibilitas æternitatis ante mundum conditum merè negative est sumenda, non positivè, quemadmodum punctum aut momentum dicitur indivisibile,* quod indivisibile dicitur positivè, quia quamvis illud ipsum non possit dividi, tamen dum concipitur fluendo gignere lineam à Geometris cogitatur tanquam principium divisibilitatis, quo modo se non habet Dei Æternitas. 2. *Ante mundum conditum æternitas complectitur omnes temporum differentias, quâtenus ea simul negantur; attamen si existerent, æternitas iis omnibus æquivaleret. Post mundum conditum æternitas coëxistit omnibus temporum differentiis per durationem connotativam & relativam, quâtenus simul cum iis est. Jam tamen non potest dici coëxistere æternitas tempori futuro, quod nondum est, sed hodie coëxistit tempori præsenti, cras coëxistet tempori futuro.* Explico sic phrasin illam Theologorum nostrorum, quâ dicunt, æternitatem complecti omnes temporum

rum

rum differentias, atque ostendo, ante mundum conditum æternitatem complecti præsens, præteritum & futurum, non ut momentum eas in se complectitur potentiâ, nec ut punctum omnem extensionem, neque ut corpus aliud corpus in se tanquam in sinu includit, sed merè negativè, quâtenus in eâ & præsens & præteritum & futurum simul negantur, attamen omnibus illis si essent, æquivaleret. Post mundum autem conditum dico, ita æternitatem complecti omnes temporum differentias, non ut omnes simul coëxistant æternitati, quod contradictorium est, cùm non possint *coëxistere* quando non existunt, sed eo modo quo comprehensibiles sunt, hoc est, successivè, quâtenus Dei existentia talis est, ut omnibus partibus motus præteriti coëxstiterit, præsentis coëxistat, & futuri coëxtitura sit. Quâ ratione tamen nullæ partes æternitati assignantur, sed tantum relationes ad diversas partes motus & temporis, quarum respectu diversæ oriuntur denominationes, alia scilicet respectu præteriti, cui dicitur *coëxtitisse*, alia respectu præsentis, cui dicitur *coëxistere*, alia respectu futuri, cui dicitur *coëxtitura*. Sic jam clariores futuras puto meas notas omnibus. Auditores meos eas solitos fuisse intelligere compertum habeo, quòd ea quæ brevius dictata fuerunt, soleam inter examinandum in collegiis clarius explicare, si videam non intelligi.

CXCVIII. De Vitâ Dei duo iterum notavi, eò factura, ut id quod nomine admodum ambiguo effertur distinctè intelligeretur de Deo usurpatum. 1. *Vox vita, prout ita generaliter accipitur ut tribuatur & plantis & bestiis & hominibus & angelis & Deo, vix aliquid commune denotat, quòd omnibus istis conveniat, præter nomen: quid enim ista Vita Dei beatissima & planè spiritualis commune habet cum motu alicujus vermiculi qui vivere dicitur, vel cum incremento alicujus plantæ quæ etiam vivere dicitur? Explicant quidem vitam in abstracto quòd sit id per quod res semetipsam actuat, atque illud actuare iterum si applicetur Deo & plantis vix manebit alia convenientia quam nominis.* 2. *Illud vivere Dei nihil aliud est quam ille unicus & simplicissimus Dei actus, quo omnia intelligit & vult* Hic verò Vir Celeberrimus num. 16. videtur dicere, analogicè saltem communem esse vitam Deo, plantis & vermibus, non tamen illam analogiam, in quo consistat, explicat.

CXCIX. Voluntatem Dei causam esse omnis Veri & Boni, omnisque realitatis optimè observavit Philosophus Resp. Sext. §. 6. *Repugnat, Dei voluntatem non fuisse ab æterno indifferentem ad omnia quæ facta sunt, aut unquam fient, quia nullum bonum, vel verum, nullumve credendum, vel faciendum,*

dum, vel omittendum fingi potest, cujus idea in intellectu divino prius fuerit, quam ejus voluntas se determinarit ad efficiendum ut id tale esset: Neque hîc loquor de prioritate temporis, sed ne quidem prius fuit ordine, vel naturâ, vel ratione ratiocinatâ, ut vocant, ita scilicet ut ista boni idea impulerit Deum ad unum potius quam ad aliud eligendum. Nempe, exempli causa, non ideo voluit mundum creare in tempore, quia vidit melius sic fore, quam si creasset ab æterno: nec voluit tres angulos trianguli æquales esse duobus rectis, quia cognovit aliter fieri non posse, &c. Sed contra, quia voluit mundum creare in tempore ideo sic melius est, quam si creatus fuisset ab æterno: & quia voluit tres angulos trianguli necessariò æquales esse duobus rectis, idcirco jam hoc verum est, & fieri aliter non potest, atque ita de reliquis. His adde ea quæ habet Tom. 1. Epistol. 112. *Quantum attinet ad veritates æternas, dico iterum, quod sunt tantum vera aut possibiles, quia Deus illas veras aut possibiles cognoscit, non autem contra veras à Deo cognosci, quasi independenter ab illo sint vera. Et si homines rectè intelligerent sensum suorum verborum, non possent unquam dicere absque blasphemia, quod veritas uniuscujusque rei præcedat cognitionem, quam Deus de eâ habet, nam in Deo idem est velle & cognoscere. Ita ex hoc ipso quod aliquid velit ideo cognoscit, & ideò tantum talis res est vera.* Id quod satis infert Dei summa perfectio. Summè enim perfectus non foret, si ab eo non penderet omnis realitas. Perfectius enim Ens illo concipi posset, à quo scilicet omnia omninò dependerent. Dicendum aliàs foret, objecta per se suam habere naturam & essentiam, & priora esse, saltem naturâ, divinâ Voluntate & Intellectu, quod absurdum est, neque cum Dei primitate conciliari potest. Sic sequeretur è contrario divinam voluntatem & intellectum ab illâ ipsâ dependere, & per consequens, Deum esse non omnimodo Independentem. Huc quoque nos ducit definitio possibilis: Possibile est, quod à certâ causa potest produci; præsupponit ergo in suo conceptu conceptum causæ, & per consequens eâ est posterior. Ipsa quoque Scriptura non obscurè significat, potentiam Dei præcedere res possibiles, quando Deum prius considerat, postea res possibiles, ut Matth. XIX. 26. *Apud Deum omnia possibilia sunt*, & Luc. 1. 37. *Quia apud Deum non erit ullum verbum, quod fieri non possit.* Hæc ego brevi complexus eram notâ ad §. 38. Loci 11. System. *Ante illam notitiam possibilium debet concipi in Deo volitio istius possibilitatis; Res enim possibiles cum eo ipso habeant realitatem aliquam dependent à voluntate Divinâ, & propterea per consequens sunt possibiles, quia eas Deus possibiles voluit.*

CC. In hâc notâ *miserè me hallucinari* vult Vir Celeberrimus §. 112. num. 17. Videamus rationem. *Nam*, inquit, *cum eâdem scientia naturali Deus & seipsum & omnia extra se possibilia perfecte cognoscat, debebit fingere Decretum Dei de sui existentiâ antecedens ad hanc scientiam, si debet dari decretum præcedens ad rerum possibilitatem : cùm tamen ipsa possibilitas nihil aliud sit quam non repugnantia ad existendum per Dei omnipotentiam, si ipsi libuerit eas decernere : Nam Deus res possibiles extra se non cognoscit per earum realitatem, sed per suammet potentiam, quam se ipsum cognoscendo etiam cognoscit perfectissimè & quo usque extendatur, si ipsi libuerit eam explicare : Pertendere verò, ut facit, inter Decreta Dei de rebus futuris & decreta de possibilibus esse distinguendum, nihil aliud est quam decreti divini naturam ignorare.* Cujus sanè argumentationis vim nullam esse conferenti eam cum meâ notâ patebit. Quare enim fingerem decretum Dei de sui existentiâ, quia dico, possibilitatem rerum dependere à Dei voluntate? Scio Theologos objectum primum simplicis Intelligentiæ statuere Deum ipsum, sed secundum dicunt esse omnia possibilia, contradistincta utique à Deo ipso. De his loqui me patet ex ipsâ notâ, non de Deo, quando dico, *res possibiles* dependere à voluntate divinâ. Facilè autem concedo, possibilitatem rerum nihil aliud esse, quam non repugnantiam ad existendum per Dei omnipotentiam. Sic ab æterno homo habuit non repugnantiam ad existendum, hoc est, ab æterno verum fuit conjungi posse duas has substantias mentem & corpus humanum eo conjunctionis vinculo, quo nunc inter se invicem sunt colligata. Hæc veritas autem non est prior Dei voluntate, nisi verum aliquod adeoque reale quoddam Dei voluntatem antecedere velis, quod absurdum ostendimus. Ut igitur omnia quam maximè distincto conceptu hîc cogitemus, consideremus realitatem quamvis rerum, quam ideæ earum nobis repræsentant, verbi gratia mentis, corporis, trianguli, quadrati, &c. Hanc utique realitatem omnes illæ res habent, propter dicta, à voluntate Dei, per quam scilicet mens humana est res cogitans, non verò res extensa, & triangulum est figura trium laterum, non quatuor laterum & sic de aliis. Ita voluntatem Dei sequitur entium realitas. At voluntas ista Dei, prout nondum consideratur ut talis, quæ istam realitatem extra se producit, sed prout eam potest producere, nomen omnipotentiæ accipit, atque inde est, quod omnes illæ res dicantur posse produci, & ut possibiles spectentur. Tandem verò illa ipsa divina voluntas, quâtenus spectatur ut realitatem istam productura,

ra, appellatur Dei decretum, & prout actu producit voluntas Dei Efficax. Cùm autem fieri non possit, quin eo ipso, quo voluntas Dei quocunque modo denominata in Deo ponitur, simul ponatur istius volitionis conscientia, Deo cognitio sive scientia tùm realitatis, tùm possibilitatis, tùm futuritionis & tandem existentiæ est assignanda. Hæc si non arrideant Viro Celeberrimo libenter cupio ex ipso meliora discere, modò docere velit, hoc est cum ratione loqui. Dixerat idem §. 40. Scientiam Dei simplicis Intelligentiæ *præcedere Dei decreta*, ad quæ notavi in dictatis: *Hoc tamen non est intelligendum de omnibus Dei decretis, sed tantum de iis, quæ spectent res futuras*; *nam ante jam observavimus, quòd volitio Dei de rebus possibilibus præcedat cognitionem rerum possibilium in nostro conceptu*. Ubi apparet, me volitionem Dei & decretum Dei non ita distinxisse, sicut hîc factum, quòd ad rem istam id non esset necessarium. Quibus hîc opponit, *id esse divini decreti naturam ignorare*. Sed ad rem quæ inter nos controvertitur, non facit sive appelles volitionem de rebus possibilibus, sive decretum de rebus possibilibus, modò certum sit, Dei voluntatem debere priorem concipi omni rerum possibilitate, quod satis liquere potest ex dictis.

CCI. In potentiæ Dei explicatione tribuit mihi, artic. 113. num. 18. *quòd pro meâ subtilitate affirmem, Deum posse ea facere quæ implicant contradictionem*. Quod an verum sit patebit ex notâ adjectâ ad ejusdem Loci §. 58. *Quæritur an Deus etiam ista possit facere quæ implicant contradictionem? R. Nos id non posse determinare, cùm potentia Dei sit infinita, nos verò finiti, si autem hoc vellemus determinare tum omninò limites poneremus potentiæ divinæ nobis non cognitos*. Affirmare utique est determinare aliquam rem, ideoque dici nequit affirmare, qui dicit se id non posse determinare. Sed art. 105. rectius mea verba citat; *à nobis id non posse determinari*. Addit ibi priori notæ alteram ad §. 58. *Respectu Dei nihil aliud possumus dicere impossibile, nisi id quod ipsius naturæ repugnat: reliqua etsi sint contradictoria, an respectu Dei etiam impossibilia debeant vocari, ostendimus antea, à nobis id non posse fieri*. Tertia nota est quam seq. artic. Vir Clarissimus impetit: *Quæ repugnant Dei naturæ nullo modo debent admitti, quæ verò repugnant naturæ rerum creatarum, ea non sunt admittenda, donec de iis aliter fuerit revelatum*. Hæc sequuntur ex iis quæ in præcedentibus fuerunt dicta: si enim omnis ratio veri, omnisque realitas pendeat à Dei voluntate, ab eâdem derivandum erit, ut aliquid possibile dicatur. Quo faciunt illa quæ habet Philosophus

 Respons.

Respons. Sext. *Attendenti ad Dei immensitatem ; manifestum est nihil omnino esse posse quod ab ipso non pendeat, non modò nihil subsistens, sed etiam nullum ordinem, nullam legem, nullamve rationem veri, & boni ; alioqui enim, ut paulo ante dicebatur, non fuisset plane indifferens ad ea creanda quæ creavit. Nam si qua ratio boni ejus præordinationem antecessisset, illa ipsum determinasset ad id quod optimum est faciendum : sed contra, quia se determinavit ad ea quæ jam sunt facienda, idcirco ut habetur in Genesi, sunt valde bona, hoc est, ratio eorum bonitatis ex eo pendet quòd voluerit ipsa sic facere.* Et paulò post : *Nec opus etiam est quærere in quonam genere causæ ista bonitas, aliæve tam Mathematicæ, quam Metaphysicæ veritates à Deo dependeant : cùm enim causarum genera fuerint ab iis enumerata, qui forte ad hanc causandi rationem non attendebant, minimè mirum esset, si nullum ei nomen imposuissent ; sed tamen imposuerunt, potest enim vocari efficiens : eâdem ratione qua Rex est legis effector, etsi lex ipsa non sit res physicè existens, sed tantum, ut vocant, Ens morale. Nec opus est etiam quærere, quâ ratione Deus potuisset ab æterno facere, ut non fuisset verum bis 4. esse 8. &c. fateor enim id à nobis intelligi non posse ; atqui, cùm ex aliâ parte rectè intelligam nihil in ullo genere Entis esse posse, quòd à Deo non pendeat, & facilè illi fuisse quædam ita instituere, ut à nobis hominibus non intelligatur, ipsa posse aliter se habere quam se habent, esset à ratione alienum propter hoc quod nec intelligimus, nec advertimus à nobis debere intelligi, de eo quod rectè intelligimus dubitare.*

CCII. Satis verò apparet, Celeberrimum Theologum mentem meam non percepisse quando dicit art. 106. *Horret animus cùm ista lego : non potuisset enim turpius quispiam prævaricari in causâ Ecclesiæ & veritatis : Nam extendere omnipotentiam Dei ad ea quæ implicant contradictionem, est unâ liturâ inducere omnia argumenta, quibus Adversariorum causam in negotio Eucharistico impugnamus, quia implicat contradictionem unicum Christi corpus præsens esse per indistantiam loci & sine ullâ sui extensione in omnibus particulis panis Eucharistici, ubicunque Sacramentum hoc celebratur & administratur : Corpus Christi esse in, cum & sub pane indistanter per penetrationem dimensionum ; ex pane fieri corpus Christi quod multis sæculis illi pani præextitit ; substantiam panis annihilari remanentibus tantum illius accidentibus quæ existant sine omni subjecto ; ex ejusmodi accidentibus corpora posse nutriri vel gigni vermes, &c. Cum adversarii à nostris his & similibus absurditatibus urgentur, respondent Deum esse omnipotentem, cujus summæ potentiæ illa non repugnent, cùm præsertim tàm absolutè dixerit Christus de pane quem distribuebat suis discipulis, hoc est*

corpus

corpus meum; nostri verò regerunt omnipotentiam Dei ad talia extendi non posse quod implicent contradictionem, prout non potest Deus factum infectum reddere, aut, ut loquitur Hieronymus ad Eustoch. Cum omnia posit Deus, suscitare virginem non potest post ruinam, quoniam talia posse potius impotentiæ quam plenæ potentiæ, ficut docet Scriptura Deum nec mentiri posse, nec posse se ipsum abnegare: Ego verò non extendo Dei omnipotentiam ad ea quæ implicant contradictionem, non affirmo, Deum ea posse facere, tantum dico, me, cùm finitus sim, Deum autem infinitum agnoscam, non audere potentiam Dei infinitam limitibus circumscribere, quod facerem, si dicerem, hæc Deum facere non posse. Etsi enim nolim dicere, Deum facere non posse ea quæ implicant contradictionem, manent nihilominus contradictoria, adeoque talia quæ pro veris haberi non possunt. Nec enim sequitur, si à nobis nequeat Dei potentia Infinita limitari, sique propterea determinare non audeamus, Deum facere non posse ea quæ implicant contradictionem: E. non est contradictorium, unicum Christi corpus esse præsens per indistantiam loci, & sine ullâ extensione sui in omnibus particulis panis Eucharistici, & quæ similia sunt. Quamdiu autem hoc contradictorium percipio, tamdiu ad ei assentiendum non obligari sum censendus, adeoque non minus sic sententia Pontificiorum aliorumque; qui contradictoria à nobis credi volunt, potest refutari. An impotentiæ foret si diceretur, Deum posse contradictoria, non intelligo, hoc saltem scio, me finitum dicere non posse nec debere, quid Deus non possit, ne potentiæ ejus infinitæ limites præscribam. Pontificiorum sententia non tantùm eo refutatur, quòd hæc sint contradictoria, sed etiam aliis argumentis, quòd hæc ipsorum explicatio verborum Christi, *Hoc est corpus meum*, multis modis Scripturæ repugnet.

CCIII. Pergit noster: *Cum etiam saniores ferè Scholastici agnoscant, omnipotentiam Dei non extendi ad contradictoria, eo quòd faceret idem simul esse & non esse, & duas contradictorias esse simul veras, & sic desineret esse prima veritas, norma & mensura omnis alterius veritatis in mundo. Distinguunt quidem Philosophi inter id quod implicat contradictionem ex parte rei tantum, ut corpus esse inextensum, & id quod implicat ex parte Dei, ut electos perire, reprobos servari: Sed interea tamen accuratè loquendo contradictio quæ se tenet ex parte Dei ceu primæ veritatis, cujus ideis constantibus & æternis de naturâ corporis repugnat corpus dari inextensum, id est quod sit simul corpus & non corpus.* Scholasticos audaces esse in definiendo infinito & potentiâ Dei infinitâ determinandâ

minanda non miror, qui etiam in aliis multis sese ingerunt in ea, quæ non viderunt. De potentiâ Dei infinitâ asserere possum, eâ posse effici omnia quæ fuerunt, sunt & futura sunt, & plura quam ego unquam possum intelligere, sed non audeo negare eum posse facere, quæ quomodo fieri possint non intelligo, considerans me esse finitum, Deum verò infinitum. Neque propterea negandum nobis, *Deum esse primam veritatem, normamque & mensuram omnis alterius veritatis in mundo*, cum potius ex eo ipso, quòd Deum agnoscamus pro primâ rerum veritate, omnis realitas adeoque omnis possibilitas arcessenda sit ab ejus voluntate, quod totum est id, quod hic à me asseritur.

CCIV. Aggreditur art. 107. tertiam nostram notam à nobis superius §. 201. recitatam. *Non excusat*, verò inquit, *insolens hoc & falsissimum dogma quod statuunt ejus auctores, ea quæ repugnant naturæ creaturarum non esse admittenda, donec de iis aliter clarè fuerit revelatum: Nam præterea quòd Adversarii pertendunt, quamvis falsò, se niti revelatione divinâ, cui non sunt opponendæ contradictiones in adjecto, hæc exceptio supponit, dari vel posse dari contradictiones & repugnantias evidentes ex parte rei, quæ tamen firmentur auctoritate & revelatione divinâ, quod statui nequit.* Convenit hæc mea nota cum iis, quæ artic. 37. prolixius deduxi & declaravi. Pono hìc cum Cartesio casum impossibilem, si auctoritas divina clarè nobis revelet, id quod contradictorium est à Deo factum esse, tunc demum id pro vero habendum, & potius renunciandum esse nobis ipsis, quam ut à verbi divini auctoritate vel hilum recedamus. Interea statuo, cùm Deus in hoc universo voluerit planè repugnare nostro intellectui, ut contradictoria sint vera, Deum nobis stante hoc universo non posse credenda per fidem ea proponere, quæ leges hujus universi subruerent. An verò Deus suâ potentiâ infinita potuisset forte aut posset hujus loco aliud universum condidisse aut condere, in quo obtinerent veritates nostris præsentibus contradictoriæ, nescio, cùm potentiam Dei infinitam nesciam meo finito Intellectu definire. Falsum ergo satis patet, à me supponi dari posse contradictiones, quæ firmentur auctoritate & revelatione divinâ.

CCV. Pergit hoc art. 107. *Quin isto paradoxo sua vineta cædunt nostri Novatores, & omnes suas claras ac distinctas perceptiones in hoc stagno lutulento extinguunt: V. G statuunt non posse dari plures mundos, quod implicet contradictionem, duo corpora concipere à se mutuo distantia, inter quæ tamen nihil intersedit; ac si conciperes vallem sine monte, vel umbram sine luce; at facilis erit ex-*

ceptio desumpta ab omnipotentiâ divinâ cui compedes non debeas injicere: Asserunt solem quiescere, quod repugnet suo judicio tam vastum corpus tantillo temporis spatio tam prolixum iter emetiri: sed excipietur, vel nihil hic esse contradictionis, vel etiamsi contradictionem implicaret, id tamen Deum posse, quod tam clarè in suo verbo nobis revelavit: Pertendunt implicare animam ullo loco definitivè contineri, aut transire de loco in locum; at reponetur huic imaginariæ eorum contradictioni contrarium nobis à Deo revelatum, qui possit ea quæ implicant contradictionem: Et sic omnes controversiæ quas per suam Philosophiam decisas vellent, erunt ex Scripturis ventilandæ & disputandæ. Applicemus & hoc quæstioni supra agitatæ de infinitate mundi: etenim meus Censor agnoscit cum ratione pugnare ut fiat infinitum, sed quod lepidum est, subjungit quod non repugnet vel saltem quòd ostendi non possit repugnare ut Deus faciat infinitum extensione vel numero: Quasi vel id possit facere Deus, quod repugnat fieri juxta sanam rationem, vel non deberet esse actu infinitum quod infinitum esset extensione vel numero. Quibus omnibus facile respondemus. Solis quietem non derivamus ex eo, quòd tàm vastum corpus tantillo temporis spatio tàm prolixum iter debeat emetiri, neque Cartesius, neque ulli eorum, qui ipsius Philosophandi rationem sequuntur, hoc argumentum adhibent, sed alio planè nituntur, prout videri potest in Consensu Veritatis Wittichii art. 397. & seqq. Deum clarè in verbo suo contrarium demonstrâsse falsum esse idem ille ostendit. Quid autem opus est, ut semper omnipotentiam divinam determinemus in ejusmodi quæstionibus, & dicamus, Deum hæc vel illa non posse, quia repugnant nostris conceptibus, sive, quia implicat contradictionem; judicandum nobis est ex nostris conceptibus, eaque omnia, quæ clarè & distinctè percipimus implicare contradictionem, statuenda sunt non esse. Si quis quærat de potentiâ Dei absolutâ, an Deus ea facere tamen possit? Dicimus nos eam non comprehendere, scire, Deum esse infinitum nos finitos, & propterea, quid Deus non possit, non audere determinare, sufficere, quòd hæc implicent contradictionem, ad judicium certum formandum. Quoniam igitur repugnat conceptui mundi pluralitas, dico, dari non posse plures mundos, sive, quod idem est, pluralitatem mundorum implicare contradictionem, sicque falsum esse, dari plures mundos Similiter, quia repugnat conceptui animæ, quando in se consideratur tantum, ut cogitans, citra operationem extra se terminatam, contineri definitivè ullo loco, aut transire de loco in locum, negamus animæ tale quid esse tribuendum; Quid Deus non possit

circa

circa animam non determinare ausi. Idem judicium formandum de Infinitate mundi. Agnosco cum ratione pugnare ut fiat actu infinitum *perfectione*, quod vocabulum omittit Vir Clarissimus, nego repugnare vel saltem ostendi posse repugnare actu infinitum extensione vel numero Sic verò non dico, Deum posse facere id quod repugnat fieri juxta sanam rationem; tantum dico, me determinare non debere Dei infinitam potentiam, quod facerem, si dicerem, Deum id facere non posse; neque enim opus est, ut affirmem vel negem alterutrum, cum possim id quod captum meum exsuperat, cujusmodi sunt ea quæ quæruntur de potentiâ Dei infinitâ, indeterminatum relinquere. Infinitum extensione vel numero erit infinitum actu, sed non erit infinitũ *perfectione*, cujusmodi solus est Deus.

CCVI. De Cultu Dei quid naturæ lumen doceat hæc notavi ad Locum 1. §. 6. *Non quasi absolute loquendo non possit homo rectè attendendo ad ideam Dei invenire cultum Dei naturalem, sed quia homini peccatori talis cultus naturalis non sufficit, neque modum reconciliationis natura docet, hinc peccator, dum istum modum invenire conatur, necessario ad aliena delabitur. Sic Platonici finxerunt varias purgationes, quibus istas reconciliationes adscripserunt.* Quæ sanè quo jure reprehendantur à Celeberrimo Viro artic. 110. videre nequeo. Putat ea non convenire cum Paulo 1 Cor. 11. 14. & 11 Cor. 111. 5. Id verò quòd Apostolus Paulus dicit locis citatis, non evincit, quod *homo absolutè loquendo non possit rectè attendendo ad ideam Dei invenire cultum Dei naturalem*. Annon enim idea Dei docet Deum auctorem esse & datorem omnium, supremum omnium arbitrum, Maximum & Infinitum planè? Annon inde sequitur omni animi cultu omni veneratione esse prosequendum, præferendum omnibus creaturis, solum amandum eique confidendum, & quæ alia Lex naturæ ex Dei cognitione derivat? Hoc si negaveris eâdem operâ contra Apostolum Rom. 11. 15. negabis, gentes habere opus Legis scriptum in cordibus suis, eripies Apostolo argumentum, quo contra gentiles usus fuit Rom. 1. 21. 22. 23. 25. eosque convicit, quod notitiâ Dei rectè non fuerint usi. Peccato adscribendum ergo, quod non attenderint satis ad ideam Dei, sed amore creaturarum passi sint se avertere ab amore Dei, coluerintque creaturas conditore præterito. Hinc docet Apòstolus 2 Cor. 111. 5. omnem aptitudinem ad bonum debere nobis donari à Deo, cùm eam peccatum planè abstulerit. & 1 Cor. 11. 14. ostendit hominem per peccatum ita depravatum, ut nihil spiret nisi carnalia, & spiritualia si audiat annunciari, irrideat & pro stultitiâ habeat.

CAP.

CAP. XV.

Ubi Repletivum quomodo Deo possit assignari. Ubiq; esse propriè Deo non competere rectè docet Parkerus, sed tantùm impropriè, qui etiam ostendit axioma illud, quod nusquam est non est, universaliter verum non esse. Ante mundum conditum Deus non potuit dici fuisse ubique, cùm nec tunc potuerit dici creator, aut conservator. Deus non est extra mundum, nec in spatiis imaginariis. Neutrum probatur ex 1 Reg. VIII. 27. Cujus loci sensus explicatur. Deus melius dicitur omnipræsens, quam ubique esse. Modus omnipræsentiæ divinæ hoc ordine concipiendus, ut primò cogitemus Deum omnipræsentem ratione operationis omnium in omnibus, dein ratione potentiæ, atque tandem ratione essentiæ. Est igitur Deus omnipræsens ratione essentiæ suæ, quod tamen non concipiendum est per diffusionem aut coëxtensionem quandam essentiæ divinæ, quorum sententia magis concordat cum sententiâ Vorstii, quam nostra.

CCVII. De ubiquitate Dei, sive de omnipræsentiâ ejus nunc est agendum, quam & Theologus ex Scripturâ & Philosophus ex lumine rationis cognoscit, qui hîc Theologum juvare potest in distincto & conveniente cum naturâ divinâ conceptu de eâ formando. Id autem nunc tanto commodius facere poterimus, postquam rationem præsentiæ animæ humanæ & angelorum explicuimus. Distingui vidimus art. 152. Ubi in repletivum, definitivum & circumscriptivum, sed omnia istius distinctionis membra solis corporibus convenire ostendimus. Si tamen Deo velimus tribuere Ubi repletivum cavendum accuratè est, ne id eo sensu accipiamus, ac si Deus substantiâ suâ ita impleat spatium, ut ex eo corpus excludat, sed cùm Deus sit mens sive substantia cogitans infinita, atque hoc respectu spatio non indigeat, cùm extiterit quoque, antequam vel corpus vel spatium esset, impropriè dicitur esse in Ubi repletivo, quâtenus scilicet nullum est Ubi, in quo non operetur, quod non conservet, & cui propterea sic, ut substantia operans & conservans, non sit præsens. Ex his videre potest Vir Clarissimus, quo sensu

ctionemem istam admittamus, quodque eam non *absolute rejiciamus*, uti nobis impingit in fine art. 79.

CCVIII. Cum autem Deus juxta ea, quæ diximus, propriè non sit in loco, nec etiam propria locutio erit censenda, si dicatur, esse in omnibus locis, sive, quod eodem redit, si dicatur esse ubique. Ubique enim esse est esse in omnibus locis sive spatiis, neque ea distinxit Vir reverâ Gravis & Sapiens Theologus Heydanus Disputat. Anni 1655. de Attrib Dei in specie habitâ, ut putat noster Vir Venerandus, cum quo hîc agimus artic. 77. Contrarium patet ex thes. XXII. *Quod omnipræsentiam Dei attinet quâ dicitur esse ubique in omnibus locis, id sane intelligendum. Nam cum* ubique *dicatur ab* Ubi, *quod est determinatio ac terminus loci, proprie loquendo Deus non est ubique, quia cùm sit spiritus, & infinitus & immensus, non est in loco* (ex quibus potius apparet, Virum illum *ubique esse*, & *esse in omnibus locis* pro iisdem habere.) *Nam ut aliquid vere & proprie dicatur esse in loco, debent & illud quod est, & in quo est, realiter esse distincta, & duo entia realia, quia à nihilo contineri aliquid dici non potest. Ideo angelus aut quicquid illud sit verè & propriè in nihilo esse, aut ab eo contineri nequit.* Huc verò omnia tendunt, quod apparet ex seq. thesi connexâ, ut ostendat, Deum non posse dici ubique ante mundum conditum, sive, quod idem est, esse in omnibus locis, quando nullus locus erat. Quando enim Deus refertur ad aliquid, eique præsens esse dicitur, debet utique id ipsum, ad quod refertur, existere, & per consequens debet & Deus & locus existere, adeoque realiter esse distincta. Hanc esse istorum verborum mentem cuilibet apparere potest ex seq. thesi: *Omnipræsentia ergo Dei, cùm ad aliud referatur, proprie res conditas respicit, quibus secundum essentiam præsens dicatur. Cùm ergo ante res conditas nihil extiterit præter Deum, nulli etiam rei præsens aut alicubi fuisse dici potest.* Opponit noster Vir Reverendus art. 77. *Nam præterea, quòd solius creaturæ finitæ est loco certo contineri, ut non sit alibi, cùm e contrario Deus infinitus, ita sit ubique & in omnibus locis, ut nec ullo eorum nec omnibus illis, vel includatur sive contineatur, vel excludatur, saltem posito locum esse ens reale, semper manebit distinctio realis, inter omnem locum & Deum omni loco præsentem, si dicatur Deus esse ubique & in omnibus locis. Sed nec satis philosophicè aut rationaliter dicitur esse ens reale, eò quod non sit nihil, cùm inter ens & nihil detur medium, nempe modus entis; cujusmodi locus dici debet, sive spatium concreatum à Deo rebus à se conditis, in quo essent, moverentur, operarentur creaturæ, & omnes res corporeæ suam extensionem in longum, latum & profundum*

fundum consequerentur. Sed non dicit Venerandus D. Heydanus, Deum locis omnibus contineri ; hoc tantum urget, locum à Deo debere esse quid realiter distinctum, quia per locum externum intelligitur superficies corporis ambientis, qui propterea corpus, quod ambit, continet, sicque ab eo sit distinctus. Si igitur Deus ante mundum conditum dicatur fuisse in omnibus locis, deberent fuisse ante mundum conditum loca à Deo realiter distincta. Dein etsi locus non realiter differat à corpore, sed tantùm modo cogitandi, debet tamen realiter differre à Deo, vel eo ipso quia non realiter differt à corpore, nisi velimus, quod Dei naturam simpliciter consequatur esse in loco, sicut sequitur naturam corporis esse in spatio, &, si istud corpus ab aliis ambiatur, esse in loco externo, quod dici nequit, nisi similiter Deum ac corpus extensum concipiamus.

CCIX. Parkerus de descensu Christi ad Inferos Lib. II. p. 112. *Atque Deum quidem & quoad essentiam ubique esse, cum Gregorio Nazianzeno credendum est : illa tamen locutio non satis commoda mihi videtur, quòd in omni Ubi sit. Si enim in omni Ubi Deus, ergo in Ubi : atque hoc cum ubiquitatis divinæ modo contradictionem apertam implicat.* Et pag. 114. de locutione illâ ipsâ *ubique esse* sic inquit : *Quid igitur est? Hæc propositio affirmativa, Deus ubique est ; affirmativè vera esse non potest, nisi juxta supereminentiæ modum eum, qui nobis incognitus : cùm divina majestas (ut cum concilio Ephesino loquar) omni loco & mensurâ superior sit.* Adde pag. 116. *Deum igitur in Ubi collocare nullus potest, nisi ejus divinitatem metiatur, quod & Nazianzenus alibi perstringit. Quid enim? Num mihi concipere fas est, Deum in omni Ubi esse: nisi de eo cogitem, quasi de ente, essentiâ, spiritu aut denique re, quæ ubique per omnia permeet atque transeat. At hæc de Deo cogitare nefas est.* Ex quibus inter se invicem collatis apparet, quod quando *ubiq; esse* idem est, quod *esse in omni Ubi*, hoc est quando propriè accipitur, non posse de Deo dici. Ad objectionem verò in contrarium motam promtam quoque habet idem Parkerus responsionem Lib. II. pag. 116. *At si Deus in nullo sit Ubi inquies, nusquam est, & si nusquam est, ne omninò quidem est.* Ad quam hoc modo respondet : *Meminit hujus scrupuli hoc ipso in loco Nazianzenus* (locus est Orat. 2. de Theologiâ.) *Quod si, inquit, nuspiam est, quæsierit fortè non nemo illorum hominum, qui omnia scire cupiunt, quo pacto existeret? Nam si quod non existit nusquam est, etiam fortasse quod nusquam erit, non existere fateri debemus. At quod contra Nazianzenum objicitur, contra Nazianzeni sententiam est : id quod hoc verbum fortasse innuit, quorsum adjectum? Nisi quòd hæc ratiocinatio illi magno-*

pere displiceret? Ita Elias Cretensis particulam fortassis *inseruit, acerrimâ quâdam ratione differens. Nam Deus & nusquam est, & tamen existit. Similiter Maximus. Nobis cogitandum relinquit, vocem* nusquam *non omnino esse, quòd nullibi ullo existat modo. Nam Deum nos & esse dicimus &* nusquam *esse.* Alios postea adducit auctores negantes illam majorem universaliter usurpatam. *Quod nuspiam est non est.* Quæ si legat Vir Clarissimus, videbit credo, se non habuisse causam dicendi §. 84. in fine: *Quòd aliquis imperterritè scripsit angelum & animam separatam* nusquam *esse, nisi subintelligatur* circumscriptivè, *ita male sonat in auribus Christianis, ut vix credibile sit ex ore Christiano prodiisse.* Quemadmodum enim substantiis cogitantibus non conveniunt qualitates sensibiles calidum & frigidum esse, item album & nigrum esse, &c. cùm hæ sint à quibus totâ suâ naturâ differunt, ita ut possit dici nullam qualitatem sensibilem cadere in substantiam cogitantem; ita propter eandem rationem dicendum, nullam differentiam loci in eas propriè cadere, nec posse dici supra vel infra, nec ad dextram nec ad sinistram esse, adeoque esse nuspiam propriè loquendo. Quamvis autem sic Deus propriè non possit dici *ubique*, impropriè tamen potest dici ubique, eodem scilicet sensu, quo præced. articulo ostendimus, Deum posse dici esse in Ubi repletivo, quâtenus nempe omnia loca conservet, omniaque in iis operetur & producat infinita suâ efficaciâ. Id oritur ex Dei Independentiâ sive primitate, quæ necessariò infert omnium rerum in esse & operari à Deo dependentiam. Hoc autem habito respectu propriè potius & melius dicetur, omnes res esse in Deo, uti loquitur Scriptura. Actor. XVII. 28. quam Deum ubique esse; quia esse ubique supponit corpora, & res subsistentes, quæ aliâ re ad existendum non indigeant, cùm è contrario per illam phrasin denotetur, omnes illas res ad existendum indigere causâ illâ primâ, indesinenti operatione operante Johan. V. 17.

CCX. Concedimus tamen Deum posse dici *ubique* impropriè, idque post mundum conditum, in quo demum est ubi, spatium & locus. At ante mundum conditum nullum fuit spatium, nullum Ubi; nullo ergo sensu Deus tunc ubique potuit dici, nec proprio nec improprio. Est enim hoc attributum ἐκ τῆς πρός τι, & non tantùm relatum, sed etiam correlatum supponit. Sicut ergo Deus ante mundum conditum potuit dici creator, conservator, &c. quòd ea creaturam supponant, ita quoque non potuit dici fuisse in Ubi, nec per consequens ubique, quando nempe nullum

nullum fuit Ubi. Atque hæc quoque eſt ratio, quare non poſſit dici, Deum eſſe extra mundum. Eſt enim hoc attributum relativum, quod refertur ad loca & corpora, quæ cùm nulla ſint extra mundum, Deus non poteſt dici eſſe extra mundum. An ergo eſſet in nihilo? An in ſpatiis imaginariis? Quæ nulla ſunt extra mundum. Cùm autem ad probandum, Deum eſſe extra mundum in ſpatiis imaginariis à quibusdam afferatur locus 1 Regum VIII. 27. ubi dicit Salomon: *Etenim an reverâ habitaret Deus in terra? Ecce cæli ipſi & cæli cælorum non capiunt te, quantò minus domus hæc quam ædificavi?* Olim reſponſionis loco ad eum dictavi ſequentia, *Ex hoc loco quidam volunt inferre, quod Deus etiam ſit extra hunc mundum in ſpatiis, quæ dicuntur, imaginariis; at hoc perperam. Salomonis nempe inſtitutum erat oſtendere, Deum ex templo nullam capere perfectionem vel delectationem; cùm etiam totus mundus nihil poſſit conferre ad Dei beatitudinem; comparat nempe ibi Deum cum idolis gentium, quæ ex templis pulchrè conſtructis ſentiebantur gaudium percipere; & oſtendit, ſic ſe rem non habere in Deo. Deinde poteſt dici, quod hactenus cæli cælorum non capiant Deum, quia poteſt creaturas præter eas, quæ in eis ſunt, condere, ita ut hic mundus non exhauſerit Dei omnipotentiam; &, quid opus eſt Deum præſentem dicere ſpatiis imaginariis, cum juxta ſententiam auctorum nihil ſint; non ergo magis Deus præſens poteſt dici ſpatiis imaginariis, quam Chimæra, Hircocervo & ſimilibus cerebri noſtris figmentis.*

CCXI. Hæc non improbaturum putabam Virum Reverendum, mecum ſpatia imaginaria rejicientem: at ille art. 81. ex hoc loco, ut & Job. XI. 7. 8. 9. *Numquid perveſtigationem Dei aſſequeris? An uſque ad finem omnipotentis pertinges? Altitudine cæli quid facies? Profundius inferno quid noſces? Longior terrâ menſura ejus & latior mari.* Item Jer. XIII. 24. & Eſa. VI. 1. vult probare, Deum omnipræſentem eſſe, quod nemo Carteſianorum unquam negavit, prout paſſim id iis impingit, imò longè efficacius, & melius eam aſſerant, quàm illi, qui Dei ſpiritualem naturam concipiunt per modum corporis ſubtilis & diffuſionem corporis liquidi, quod ſtatim plenius oſtendemus. Sed præterea ex his ipſis locis dicit ſequi, *Dei immenſitatem non exhauriri univerſo mundi ſpatio*, quæ locutio obſcura eſt. Vox enim illa immenſitatis, ſi in ſe conſideretur & propriè, ſignificat negationem menſurabilitatis, quæ menſurabilitas propriè competit corporibus finitis, prout comparantur & referuntur ad alia corpora, quorum menſura nobis eſt cognita, atque ita Deus cùm dicitur immenſus, idem eſt, ac ſi diceretur incorporeus. Si verò Immenſitas ſumatur pro

Dei ubiquitate, eam Deo post mundum conditum adscribi posse adserimus, ita tamen, ut non possit dici extra mundum, quod nullo modo evincitur ex verbis Tzopharis apud Jobum. Agit enim hic locus propriè de Dei infinitâ sapientia & omniscientiâ, quod ex antecedentibus satis apparet Sic enim versu 5.& 6. *Enimverò utinam Deus loqueretur & aperiret labia sua tecum, indicaret tibi arcana sapientiæ!* Istam sapientiam Dei negat hominibus esse perscrutabilem, idque asserit comparatione adhibitâ cum iis corporibus, ad quorum fines non pertingimus, & quorum magnitudo hominibus est incognita. Quid verò hoc facit ad probandum, Deum esse extra mundum? Ubi non est extra, quia non est locus. Falsum verò est, quod nobis art. 79. impingit, *nos extra mundum ponere spatia realia in infinitum extensa*, quod nunquam poterit probare. Quòd si quoque inde inferre velis, Deum esse immensum, neque ullis corporibus commensurari posse, quatenus non est corporeus, inde tamen non sequetur, Deum esse extra mundum.

CCXII. Ad responsionem priorem meam ad Locum 1 Reg. VIII. 27. inquit ibidem art. 81. *At verò hæc est Glossa Aurelianensis quæ corrumpit textum; cùm illic non agat Salomon de Dei beatitudine, sed de ipsius præsentiâ, quam templo circumscribere non velit, quippe cui totus mundus non sufficiat.* Patet tamen expositio mea ex toto contextu. Salomon enim postquã gratias egisset Deo, quòd rem ita direxerit, ut, quod David non potuerit facere, ipse Deo ædificaverit templum, *domum habitaculi, stationem, in quâ resideret in secula*, à versu 12. usque ad versum 23. comparationem instituit Dei veri cum idolis gentium, vers. 23. dicens, *nullum esse similem ei Deum* ex iis, qui pro diis à gentibus habebantur, eo nempe nomine, quòd sit Deus præstans promissa; rogans, ut quemadmodum hanc promissionem factam Davidi, quòd per filium Salomonem sit procuraturus sibi templum ædificari, Deus impleverit, ita etiam alteram adimpleat, de continuatione Regni in solio Davidis versu 23. usque ad 26. Quod ut impetret à Deo, petit in seqq. exaudiri ab ipso preces & deprecationes populi Israëlitici, oraturi vel in hoc templo vel conversâ facie ad istud, hoc est oraturi in fide Messiæ, cujus hoc templum erat typus, à versu 26. & seqq. quòd in eum finem sit illud templum extructum. Id ex opposito & per remotionem probat versu 27. ostendens, Deum Israëlis, cùm non sit similis diis gentilibus, prout dixerat versu 23. non ita habitare in templis, quemadmodum dii gentilium in iis credebantur habitare, tanquam iis alligati vi dedi-

dedicationis ſacræ, & ex iſto habitaculo, præſertim ſi pulchrius ſit & magnificientius, delectationem quandam capientes; Dei autem veri non eſſe eandem rationem probat ex eo, quòd Deus ſit in ſe ſummè perfectus & incorporeus, neque propterea vel terræ vel etiam cœleſtibus corporibus alligatus, quorum nullum poſſit ei unquam conferre aut facere ad eum ſuſtentandum: quo ſpectat verbum Hebraîcum כ־כלוך, non faciunt ad te ſuſtendandum ipſi cœli cœlorum ſicut 2 Sam. xix. 33. de Barzillai dicitur כיכל את המלך *Suſtentavit regem.*

CCXIII. Negat igitur Salomon, Deum habitare in templo manufacto ad modum quo dii gentilium in iis fingebantur habitare, idque probat ex eo, quòd ne quidem in cœlis cœlorum habitet. Cujus argumenti vis in eo conſiſtit; quod cùm habitatio concedatur ad delectationem & ſuſtentationem, adeoque aliquam perfectionem, Deo non poſſit aſſignari, quem nulla creatura queat ſuſtentare vel beatitudinem ei aliquam conferre; item, quòd cùm habitatio in templis ſic adſcribatur idolis gentium quoad exercitium virtutis, quæ ad iſta loca ſit adſtricta, id in Deo locum habere nequeat, cùm virtus Dei ne quidem omnibus creaturis terminetur. Patet hæc noſtra interpretatio porro, ſi conferamus Act xvii. 24. 25. *Deus qui fecit mundum & omnia, quæ ſunt in ipſo, hic cum ſit cœli & terræ dominus, non habitat in templis manu factis; Neque colitur manibus hominum, ac ſi alicujus rei indigeret, cùm ipſe omnibus det vitam & ſpiritum & omnia.* In quibus probatur, templa nihil delectationis, commodi aut beatitudinis Deo poſſe conferre, cùm nullam capere poſſit ex omnibus creaturis, neque ideo opus habeat templis manufactis aut ullis creaturis indigeat, utpote quarum ipſe ſit auctor, quæque propterea omne id, quod habeant perfectionis, ex Dei manibus acceperint. Sic ergo Salomon inquit ſimiliter, cùm Deus non ſit alligatus loco ulli, cùm nullus poſſit quicquam Deo conferre, adeoque nec eum delectari, ſe tantum habere hoc templum pro ſymbolo Meſſiæ, Deumque rogare, ut precantes ſive in hoc templo, ſive converſâ facie ad illud, ſicque teſtantes fiduciam ſuam in Meſſiam velit exaudire.

CCXIV. Fuiſſe verò hanc gentium opinionem de ſuis diis, nemo negabit, qui Lucianum de ſacrificiis aut Arnobii Librum VI. & VII perlegerit. Lucianus enim de ſacrificiis egregiè ridet illam gentilium de diis opinionem, quâ *numen ipſum rem uſque adeò humilem atque abjectam exiſtimant eſſe, ut obſequiis egeat humanis*, inter quæ etiam refert templi ornatum,

tum, introducens Chrysen illum apud Homerum eo nomine putantem, se apud Apollinem bene fuisse meritum. Credidit ergo delectatum isto ornatu Apollinem atq; eo sibi obligatum. Ac sacrificia describens, inquit: Τίς οὐκ ἂν εἰκάσειεν ἥδεσθαι ταῦθ' ὁρῶντας τοὺς θεούς; *Quis igitur non facile conjectet gaudere deos, cum ista spectent?* Quæ quoque similiter de eorum ornatis ædibus posse dici ex toto illo tractatu apparet. Nihil verò clarius illis quæ Arnobius habet libro VI. quibus & gentilium opinionem de templis narrat & refutat: *Etenim plena,* inquit *dementia est necessitatibus tuis potentiora metiri, & quæ tibi sint usui datoribus diis dare, & honorem istum, non contumeliam ducere? Templa igitur quærimus in Deorum quos usus, aut in rei cujus necessitatem, aut dicitis esse constructa aut rursus ædificanda censetis?* Et post paulò: *Templa enim hæc quid sunt? Si humanam infirmitatem roges nescio quid immane atque amplum: si Deorum potentiâ metiaris, successus quidam parvi, atque ut verius eloquar, genus angustissimum cavernarum paupertini Cordis excogitatione suspensum:* Iterum paucis interjectis; *Sint ergo hæc licet aut ex molibus marmoreis structa, laquearibus aut renideant aureis, splendeant hîc gemmæ, & sidereos evomant variatâ interstinctione fulgores; terra hæc sunt omnia, & ex fæce ultimâ vilioris materiæ concreta. Neque enim, si vos eos pretiis carioribus penditis delectari credendum est hîc Deos: nec recusare, nec spernere, quo minus se sepiant, & eorum objectibus coërceantur inclusi:* Et post multa interposita hanc opinionem gentilium refert de habitatione Deorum suorum in statuis, quæ in templis sunt collocatæ: *Sed erras, inquitis, & laberis, nam neque nos æra, neque auri argentique materias, neque alias quibus signa consiunt, eas esse per se Deos & religiosa decernimus numina: sed eos in his colimus, eosque veneramur, quos dedicatio infert sacra, & fabrilibus efficit inhabitare simulachris.* Libro verò VII. originem hujus sententiæ refert: *Hæc omnia, ut dixi, nequeuntes scire, neque ratione aliquâ pervidere, in eas sunt opinationes lapsi, ut Deos ex se fingerent, & qualis sibi natura est, & illis talem darent actionum, rerum, voluntatumque naturam.* His possem plura ex Origine aliisque adjicere. Sed, sive hanc nostram priorem interpretationem, sive posteriorem (duas enim dedimus, quarum posteriorem non tangit Vir Celeberrimus,) quis sequatur, patet satis; non posse ex hoc loco evinci, Dei præsentiam extra hunc mundum esse concipiendam, quod vult Vir Celeberrimus, non probat tamen. Nec video, quî id inde elicere queat, cùm neget spatia imaginaria extra mundum. Si enim Deus sit extra hunc mundum, cùm extra sit adverbium loci, & hîc de Ubi sive loco

loco disputetur, oportebit sane extra mundum concipere spatia sive loca, sicque necessariò introducentur spatia extra mundum imaginaria, quæ nobiscum rejicit, quod tantò fortius conficitur, cum Dei præsentiam in mundo concipiat per modum alicujus diffusionis & coëxtensionis; inde enim sequetur, debere quoque extra mundum esse diffusum, & per consequens esse in spatiis imaginariis.

CCXV. Melius autem & propriè Deus dicitur esse omnipræsens, tùm quòd ubique esse, non nisi impropriè dicatur, prout ostensum superius, tùm quòd sic magis generatim exprimatur illa relatio Dei ad creaturas, quæ oritur ex operatione Dei in omnes creaturas, earumque omnium conservatione, tum etiam quòd præsentia sit attributum, quod ex usu rectè loquentium rebus cognoscentibus & curam gerentibus attribuatur. Quod optimè explicavit Venerandus & Celeberrimus Heydanus in disputatione de *attributis Dei in specie*, citatâ ad id lege *coram* 209. D. de Verb. Signif. *Coram Titio aliquid facere jussus, non videtur præsente eo fecisse, nisi is intelligat: itaque si furiosus, aut infans sit, aut dormiat, non videtur coram eo fecisse*; Ita 2 Reg. V. 26. præsentem se dicit Elisa fuisse Gehazi, quando Spiritu prophetico cognovit ipsius factum, *Non abierat animus meus, cùm converteret se Vir à curru suo obviam tibi.* Sic corpora corporibus sunt adsita, hoc verò sensu nequeant dici mentibus præsentia, cùm cognitione destituantur: at mentes corporibus sunt præsentes, quando ea cognoscunt. Dei ergo hoc attributum potius omnipræsentiam vocamus, quam ubiquitatem, quo Deus omnibus & singulis rebus, cœlo & terræ, omnibusque quæ in iis continentur corporibus, ut & angelis, atque animabus humanis, adeoque omnibus creaturis, intimè est præsens, cognoscit, eorum curam habet, conservat, omniaque in iis operatur. Hanc omnipræsentiam Theologi evincunt ex variis Scripturæ locis Actor. XVII. 27. 28. Psa. CXXXIX. 7. 8. 9. Jerem. XXIII. 23. 24. Philosophi verò è ratione probant, quòd Dei summa perfectio ejusque Independentia, quâ omnia ab ipso dependent & conservantur, omniaque in ipsis agit & operatur, eam ipsam divinam omnipræsentiam ponat. Atque sic Philosophi Cartesiani omnipræsentiam ex Dei naturâ derivant, & pro certissimâ habent.

CCXVI. Modum istius omnipræsentiæ vulgo hoc versiculo complectuntur. *Enter, præsenter Deus est & ubique potenter*, cujus verba cùm sint ambigua, aliter ab aliis explicantur. Et possumus facilè admittere expli-

cationem Reverendi Heydani de Attributis Dei in specie,& quæ eodem redit nostri Celeberrimi Viri, quam habet art. LXXVI. sed præstat & magis perspicuè, & meliori ordine, quam à Scholasticis factum, modum istius omnipræsentiæ divinæ explicare. Initium igitur facimus ab operatione divinâ, dicimusque Deum esse omnipræsentem primò ratione operationis, quoniam omnia in omnibus operatur, omnibus creaturis dat suum esse, omnia conservat, omnibus largitur potentiam & vires agendi & cum omnibus actionibus concurrit. Hæc enim,uti vidimus,est fundamentum istius omnipræsentiæ, quæ ex Dei naturâ ita derivatur, quâtenus ei competit hæc perfectio, ut omnia & singula,quæcunque sunt, ab ipso quoad omnia dependeant, ut nulla sit essentia, nihil quicquam reale, nullaque operatio, quæ non à Deo efficiatur & producatur. Hoc modo & ordine ipsa Scriptura Dei omnipræsentiam explicat Act. XVII. 27.28. *Ut quærerent Dominum, si fortè palpando eum invenirent, cùm non longè absit ab unoquoque nostrum: In ipso enim vivimus, movemur & sumus.* Probat enim Apostolus Dei omnipræsentiam, sive, quòd Deus non longè abest ab unoquoque nostrûm, ex eo, quia omne id quod habemus, sive sit vita, sive motus, sive ipsa essentia, adeoque & ipsum esse & porro esse, & agere ab ipso habemus. Quomodo autem hoc ab ipso habemus, nisi per ejus operationem sive actionem? Hoc præcipuum esse dicimus in omnipræsentiâ Dei cognoscendâ, quòd omnia in omnibus operetur; quamvis hoc ipsum non comprehendamus quomodo fiat, cùm intima Dei natura & modus ejus operandi nobis sit incomprehensibilis. Verùm non subsistimus in hoc modo divinæ omnipræsentiæ, sed per eum ulterius ducimur: Cùm enim Deus ista omnia, quæ operatur in omnibus, operetur per suam potentiam, etiam secundo dicimus, Deum esse omnipræsentem ratione suæ potentiæ. Rectè enim juxta dicta art. præced. potentia ista divina dicitur præsens iis omnibus, quorum curam gerit. Atque hæc ipsa consideratio præsentiæ, quam habet potentia divina ad omnia etiam nos adducit ad essentiam divinam, ut ita tertio dicamus, Deum esse omnipræsentem ratione suæ essentiæ, quâtenus illa potentia, quam omnipræsentem ostendimus, non differt à divinâ essentiâ, quæ essentia dicitur potentia, prout refertur ad objecta & operationes, quæ ab eâ possunt fluere & produci. Sed & hâctenus Deum dicimus omnipræsentem ratione suæ essentiæ, quâtenus actio divina prout activè & in Deo spectatur nihil aliud est quam efficax & operosa divina voluntas, quæ quoque est

est ipsissima Dei essentia. Et hoc modo Christus ex operatione in cordibus fidelium infert, se cum Patre habitare in cordibus ipsorum Johan. XIV. 23. *Si quis diliget me, sermonem meum observabit, & Pater meus diliget eum, & ad eum veniemus & apud eum inhabitabimus.*

CCXVII. Sic ergo, quicquid in contrarium dicat Vir Celeberrimus, Cartesiani omninò asserunt, Deum esse omnipræsentem ratione suæ essentiæ, neque ipsemet contrarium unquam poterit, vel ex Cartesio vel ex eorum, qui rectè ipsum philosophantem sequuntur, scriptis ostendere. Ut autem hoc modo & ordine consideremus Dei omnipræsentiam, atque incipiendo ab operatione extra Deum terminatâ progrediamur ad ejus potentiam & subsistamus in essentiâ, ipsa essentia divina requirit, quæ cùm sit mens infinita respectum ad locum per se non habet, cum non sit extensa, uti patet ex dictis, sed istum respectum demum sortitur, quando in tempore extra se operata est, omniaque creando produxit, eaque nunc conservat & in iis efficacissimè operatur. Hunc ordinem sic impugnat Vir Celeberrimus art. 79. & inquit: *Nos vix aliud tribuere Deo ratione suæ ubiquitatis, quam subtilissimæ Cartesii materiæ, quæ etiam secundum nos omnia in omnibus quodammodo operetur.* Imò quod mirandum, dicit, in Vindiciis dissertationis suæ fine artic. 68. *Cartesianum illum esse, qui illam vim Dei omnia in omnibus operantem confert cum suâ subtili materiâ, quæ etiam juxta ipsum suo modo omnia in omnibus operatur:* cùm tamen neutrum horum mihi in mentem venerit, neque id ex dictatis meis possit ostendi. Est enim inter Deum omnia in omnibus operantem & materiam Cartesii subtilem manifestissima differentia. Subtilissima ista materia diffusa est per totum mundum, eo quod ob partium suarum subtilitatem omnes poros etiam minutissimos transeat: At in Deum nulla cadit diffusio, nulla subtilitas, nullæ partes. Subtilissima ista materia cùm sic ex partibus constet, alia est numero quæ in cœlo, alia quæ in terrâ nunc est, alia quæ alibi, quamvis aliæ atque aliæ partes aliis succedant propter continuum ejus fluxum: unde quæ hîc nunc operatur alia est ab eâ, quæ operatur ibi, nec quoque omnia operatur, cùm multæ actiones etiam fiant vel per alia corpora, vel per mentes. At Deus idem planè numero, absolutè & citra ullam partium successionem, & omnia operatur in omnibus, etiam in angelis, in mentibus, in omnibus corporibus, verbo, in omnibus & singulis creaturis: Addit Vir Celeberrimus art. LXXX. *præpostere* à nobis *applicari* locum 1 Cor. XII. 6. *ad quem benè moneat Calvinus: hoc*

loco efficere omnia in omnibus, non extendi ad universalem Dei providentiam, sed ad munificentiam, quâ nos prosequitur, dum unumquemque dignatur aliqua gratiâ. Sed etsi hæc verba Pauli extenderis ultra ipsius scopum ad generalem Dei concursum, quo omnia conservat & regit, prout Actor. XVII. 27. 28. dicit Apostolus, Deum non procul esse ab unoquoque nostrum, quòd in ipso vivamus, moveamur & simus, iste tamen concursus itaque conservatio omnium, quam etiam Vorstius agnoscebat, potius est effectus & consequens ubiquitatis divinæ, quam ejus formalis ratio: etsi enim nolimus assentiri Scoto statuenti, Deum posse agere in distans, tamen per prius debemus eum concipere præsentem singulis rebus, ante quam concipiatur eas regere, sustentare & conservare. Sed quando dicimus, Deum operari omnia in omnibus, id non dicimus respectu habito præcisè ad Locum 1 Cor. XII. 6. sed quâtenus id absolutè verum est; idque infert Dei independentia, creaturarumque dependentia; quamvis igitur scopus Apostoli exigat, ut verba ista intelligantur de munificentiâ, quâ Deus nos prosequitur in distribuendâ suâ gratiâ, nihil tamen impedit, quo minus verba hæc Dei in tam amplo sensu accipiamus, quam accipi possunt: cum divinæ sapientiæ sit paucis verbis ea omnia exprimere, quæ per ea rectè judicantibus intelligi possunt. *Deum* verò *nos per prius debere concipere præsentem singulis rebus, antequam concipiatur eas regere, sustentare & conservare*, est hypothesis Viri Celeberrimi, quæ erat probanda, non nudè asserenda; Nos contrarium in antecedentibus ostendimus.

CCXVIII. Reliqua quæ adjungit hoc articulo, vel petunt principium, vel contra nos nihil faciunt quicquam. *Adhæc*, inquit, *operatur omnia in omnibus vel præsens essentiâ, vel absens: Posterius fingi nequit, siquidem non procul abest à nobis; adeoque prius omninò statui debet. Et valdè alienum est, consequens ubiquitatis Dei pro ipso antecedente sumere, aut non distinguere inter causam cognoscendi Dei ubiquitatem ex illius operatione omnium in omnibus, & causam formalem sive essendi illius. Tum etiam illa vis Dei operativa omnium in omnibus, vel est ipsemet Deus essentialiter, vel aliquid ab eo distinctum: Hoc posterius dici nequit, quin aliquid ponatur in Deo quod non sit Deus: Si detur prius, Essentialis ergo Dei præsentia adstruitur. Etenim Deum immediatè operari omnia in omnibus, immediatione non virtutis modò sed etiam suppositi, nemo nisi Socinianus & Vorstianus negaverit.* Multa sanè hîc sunt quæ contra nos nihil quicquam faciunt. Dicimus enim, *Deum operari omnia in omnibus præsentem essentiâ*, dicimus, *illam vim operativam Dei omnium in omnibus esse ipsummet Deum essentialiter, Deumque immediatè operari omnia in omnibus*

omnibus immediatione non virtutu modò, sed etiam suppositi, idque & in superioribus & in dictatis nostris olim asseruimus, ut satis mirari nequeamus, qui fiat, quòd dicat art. 76. *Essentialem Dei omnipræsentiam Cartesii sequaces negare esse certissimum* & art. 82. *nos negare Deum essentiâ omnipræsentem, neque id velle confiteri cum universâ Ecclesia, ne quid corporei Deo tribuamus.* Quibus similia alibi inculcantur. Sic verò ad System. ipsius Locum II. art. 32. jam olim annotavimus: *Ubiquitas est attributum Dei non absolutum sed respectivum; adeoque distinguenda est ab immensitate, quæ vel dicit negationem mensuræ, vel idem est, quod Dei infinitas. Ante mundum conditum ergo, quando nullum erat ubi, nullus locus, Deus non poterat dici ubique, quia respectum non poterat habere ad id, quod non erat. Sed post mundum conditum, cum jam sint loca, Deus illis omnibus est præsens. Cavendum autem est, ne in ubiquitate Dei concipienda aliquid corporeum ei tribuamus, eamque concipiamus per aliquam diffusionem vel extensionem, sed prout ratio & scriptura istam Dei ubiquitatem explicat, ita etiam nobis est concipienda. Scriptura dicit Act. XVII. 27. Non longè abest ab unoquoque nostrûm, nam in ipso vivimus, movemur & sumus, adeoque ubiquitatem Deo tribuit, imprimis quòd Deus omnia in omnibus operetur, & quòd Deus omnia conservet. Similiter ratio docet essentiam Dei, utpote rem cogitantem per se nullum habere respectum ad locum, sed quâtenus essentia Dei extra se operatur. Hinc præsens est toti mundo, quia in toto mundo operatur eumque conservat; quia tamen operatio Dei procedit etiam à Dei potentiâ, etiam Deus sic potest dici ubique respectu suæ potentiæ, & tandem, quia Dei potentia non differt ab ejus essentiâ, etiam eâtenus potest dici Deus ubique respectu suæ essentiæ, sed non aliter, quam quâtenus ea operatur ad extra, quod post mundum conditum facit.* Non ergo pugnat hîc nobiscum, sed cum Vorstio, contra quem & nos pugnamus iisdem & similibus argumentis. Quod verò putat operationem Dei esse consequens ubiquitatis Dei, cujus antecedens sit *præsentia divinæ essentiæ*, id jam antea sub aliis verbis proposuerat, & mera est petitio principii. Nos enim putamus, idque probavimus, incipiendum esse in omnipræsentiæ divinæ explicatione ab operatione divinâ, quâ extra se quid producit, cùm ea sit fundamentum istius relationis, per quam omnipræsens dicitur, sicque ad potentiam ejus & essentiam esse progrediendum.

CCXIX. Benè tamen facit Vir Celeberrimus, quòd art. 76. agnoscat Clarissimum Heydanum errori isti, quâ Dei essentialis omnipræsentia negatur, non subscripsisse Disputat. *De Attributis Dei in specie*, quod

quoque de me potuisset censere ex meis dictatis, & de solidæ eruditionis Theologo Coccejo, cujus memoria est in benedictione, cognoscere ex ipso isto System cap. 9. §. 45 quando dicit: *Si Deus immensus non esset & ubi atque locum haberet qui eum teneret & mutaret locum, & æternus minime foret*, quibus verbis apertissimè contradicitur Vorstio, Deum immensum neganti, corporeum fingenti, & sic essentiam Dei cœlo includenti, ut suspicionibus indulgere nulla ipsi reverâ fuerit causa, quod facit art 76. Ipsum illud Corollarium, quod sub ipso defensum fuit: *Omnipræsentia divina est efficacissima voluntas Dei omnia sustentans ac gubernans*, non repugnare essentiali Dei præsentię, sed potius eam inferre, vel ex hoc proprio suo argumento, quod art. 80 habet, potuisset colligere; *Si enim vis Dei operativa omnium in omnibus sit ipse Deus essentialiter*, sicut optimè ibi asserit noster Vir Celeberrimus, cùm ista vis Dei operativa sit illa ipsa efficacissima Dei voluntas omnia sustentans ac gubernans, erit igitur ista efficacissima Dei voluntas ipse Deus essentialiter; adeòq; Deus erit essētialiter pręsens, si ratio omnipręsentię divinæ explicetur per Dei efficacissimā voluntatē.

CCXX. Sed video huc redire tandem quæstionem omnem, quæ inter nos & Celeberrimum Virum potest intercedere: An scilicet Deus sit ita censendus omnipræsens per essentiam, ut ista essentia dicatur ubique diffusa, tamquam res aliqua subtilis quæ plura replet spatia? Quod quidem nos negamus & omnes illi, qui conceptus de mente & corpore distinctos formant; Vir Clarissimus tuetur & defendit. Id patet tùm ex artic. 79. ubi tanquam contrarium suæ sententiæ nobis tribuit; *nos negare ullo modo dici posse Deum ubique diffusum*, tùm ex artic. 81. ubi id quod Theologi dicunt, Deum esse ubique repletivè, ita explicat, ut concipiat Dei naturam spiritualem ad modum rerum subtiliorum. Sic enim ibi inquit: *Hinc collegerunt Theologi, Deum esse ubique repletivè, quod etiam convenit ejus naturæ spirituali; quo enim res subtiliores sunt, & magis accedunt ad naturam spiritualem, eò plura replent spatia; ut experimur in luce, in odore, in sono: è contrario corpora densiora potius occupant loca, ex illis alia corpora expellendo; quod etiam memini me legere apud Sennertum Philosophum & Medicū Celeberrimum.* Probat *Deum esse ubique repletivè*, sive omnia & singula replere spatia, ex eo, *quòd res quo sunt subtiliores & magis accedunt ad rem spiritualem, eo plura replent spatia*, ubi ad istam conclusionem inferendam subsumi oportet: Atqui Deus est maxime subtilis & res maximè spiritualis; Ergo maximè, adeoque omnia & singula replet spatia. Sic possem dicere majori cum jure,

jure, quam ille ſupra de me, Virum Celeberrimum conferre Deum cum ſubtili materiâ, quæ propter ſuam ſubtilitatem plurima replet ſpatia. At nos negamus, Deum eſſe concipiendum vel ad modum rei craſſæ vel ad modum rei ſubtilis, cùm ſit planè incorporeus. Craſſities autem & ſubtilitas ſunt differentiæ corporum. Craſſum corpus eſt, quod habet particulas firmiter inter ſeſe compactas, ut non niſi majora ſpatia & loca ſubire queat: Subtile verò conſtat particulis tenuioribus, in perpetuo motu conſtitutis, quæ propterea etiam minora ſpatia ſubire poſſunt & ſeſe undique diffundere, quo faciunt exempla lucis, odoris, ſonus, ab ipſo adducta, quæ in corporibus ſubtilibus locum habent. Nihil commune habent mentes cum corporibus, adeoque nulla corpora magis accedunt ad naturam ſpiritualem ſive mentem, quam alia, nec magis cum ſpirituali naturâ conveniunt ſubtiliora corpora quam craſſiora, niſi hærere velimus in vocabulo ſpiritus, quod, ſi ejus originem ſpectes, deſignat corpus ſubtile, cujusmodi ventus, ſpiritus animales, ſpiritus Chymicorum, &c. Tanti eſt diſtinctos conceptus facere de mente & corpore, quod fecit Carteſius, ut qui hîc ipſum ſequi nolunt, adeò graviter offendant. Nolo hîc Viro Clariſſimo impingere conſequentia abſurda, quæ facilè ex illâ ſententiâ elici queunt, cùm perſuaſus ſim, eum mecum abhorrere. Abſtinendum tamen eſſe judico ab antecedente, unde iſtiusmodi abſurda conſequentia efflorescunt, & propterea negandum, Deum eſſe maximè ſubtilem, negandum quoque Deum ad modum corporum ſubtiliorum eſſe ubique diffuſum.

CCXXI. Id negat manifeſtè Auguſtinus epiſtolâ 57. quæ eſt ad Dardanum, in quibus præter ea, quæ noſter Vir Venerandus citat. 85. non debuiſſet omittere, quæ antecedunt. Sic enim paulò ante inquit Auguſtinus: *Quanquam & in eo ipſo, quod dicitur Deus ubique diffuſus, carnali reſiſtendum eſt cogitationi* (NB) *& mens à corporeis ſenſibus avocanda, ne quaſi ſpatioſâ magnitudine opinemur, Deum per cuncta diffundi, ſicut fumus, aut humor, aut aër, aut lux iſta diffunditur* NB *(omnis enim hujuscemodi magnitudo minor eſt in ſui parte, quam in toto,) ſed ita potius ſicuti eſt magna ſapientia etiam in homine, cujus corpus eſt parvum.* Quæ ſanè è diametro pugnant cum noſtri Venerandi ſententiâ, qui ad modum corporum ſubtiliorum, cujusmodi eſt lux, concipit eſſentiam divinam. Quamvis autem Auguſtinus utatur verbis *ubique diffuſum eſſe* de Deo, quod nollemus factum, cum diffuſio iſta ſit quid corporeum, tamen ea ſic emollit verbis citatis,

ut

ut omnis cogitatio carnalis de extensione aliquâ Dei, qualem reverà gignit phrasis, *ubique diffusum esse*, sit removenda. Quo etiam faciunt quæ in eâdem epistolâ habet & à nostro citantur. Et sanè ad negandum, Deum esse ubique per modum extensionis, dicit Augustinus, *Deum in solo cœlo esse totum & in solâ terrâ totum, & nullo contentū loco, sed in se ipso ubique esse totum*, unde videntur hausisse nostri Theologi, quando inquiunt *Deum esse totum in toto mundo & totum in quâlibet ejus parte*, quam phrasin & modum loquendi in meis dictatis sic olim explicui: *Deus non est totus, nisi prout totus designat perfectionem, vel prout totum opponitur divisioni, quâtenus Deus non est secundum partes*; ne quis audiens illam locutionem cogitaret de Deo toto, quemadmodum cogitat de toto aliquo corpore, quod ex diversis partibus est compositum, quodque est majus quâvis sui parte. Ad quæ respiciens Vir Venerandus inquit art. 79. *Nos non posse pati, Deum dici esse in toto mundo, & totum in quâlibet mundi parte*, cùm tamen ibi ostenderim, quo sensu Deus posset dici totus esse in toto mundo & totus in quâlibet mundi parte. Sed si hoc sensu vel sit admittendum, vel sit intelligendum eo modo, quo totum dicitur id, quod ex diversis partibus est compositum, optaremus ejus audire rationes, & quomodo, si posterius dicatur, Deus non statuatur corporeus.

CCXXII. Sed ex art. 83 collato cum 82 videor mihi intelligere quomodo noster velit, Deum esse totum in toto mundo &c. scil. *per coëxtensionem virtualem, licet non actualem & formalem.* Comparat enim art. 82 phrasin istam de Deo usurpatam cum modo loquendi, quem vulgo adhibent de animâ, quam dicunt *totam esse in toto corpore & totam in quâlibet ejus parte*, atq, de eâ inquit, *esse coëxtensam virtualiter licet nō actualiter aut formaliter ipsi corpori.* At talis extensio virtualis jam à nobis refutata est art. 128, ostensumque eam manifestam implicare contradictionem. Quod si verò Deus sit concipiendus per totum mundum diffusus ad modum lucis, vel odoris, vel sonus, non tantùm coëxtensus erit mundo virtualiter, hoc est, non tantùm poterit coëxtendi mundo, sed erit coëxtensus actu. Quæritur enim de actuali Dei præsentiâ, quæ si sit explicanda per coëxtensionem mundi, non dicendum erit tantùm, *posse coëxtendi*, quod esset, posse esse præsentem, sed *actu esse coëxtensum*, si ista coëxtensio Dei actualem præsentiam deberet explicare. Omninò ergo phrasis ista, *Deus est totus in toto mundo & totus in quâlibet ejus parte*, sumenda est eo sensu, quo eum in Dictatis explicui.

CCXXIII.

CCXXIII. Sed benè monuit Augustinus, in Dei omnipræsentiâ concipiendâ, *resistendum esse carnali cogitationi*, quod necessarium est, ne in Vorstii delirium incidamus. Is Deo tribuit magnitudinem, sed finitam, unde cœlo ejus essentiam includit,& non nisi ratione virtutis & potentiæ in terrâ versari, alienum verò à Dei majestate putat, si ejus substantia præsens sit rebus spurcissimis. Cum istâ sententiâ multum habet affinitatis sententia eorum, etsi id fortè ignorent, qui Dei præsentiam concipiunt per modum diffusionis, instar alicujus corporis subtilis. Sicut enim Deum Vorstius concepit corporeum, ita etiam ex istâ sententiâ corporeus est concipiendus; quamvis in eo à Vorstio sit dissidium, quòd cùm ille Deo tribueret corpus finitum cœlo inclusum, ex hâc sententiâ Deo sit assignandum corpus infinitum, quod etiam extra mundum sit extensum. At nostra sententia longè plus recedit: nam & dicimus, Deum esse omnipræsentem ratione suæ essentiæ, & negamus, essentiam divinam ab ejus potentiâ posse separari, ut se potentia exserat, ubi non sit ejus essentia,& evertimus planè fundamentum sententiæ istius Vorstii erroneæ, quod est, Deum esse corporeum, dum accuratè & solicitè ab eo omnia attributa corporea removemus. Similia observat Parkerus de descensu Christi ad Inferos, qui postquam in hanc sententiam quædam dicta Patrum citasset, inquit, Lib. II. pag. 113. *Sed nonne ad hæresim illam Augustini Steuchi propendent ista, quam Conradus ille Vorstius, irreligiosissimam revocavit ab Orco? Deum nempe substantiâ suâ in cælo duntaxat residere, ubique autem non aliter esse, quam providentiâ, sapientiâ, atque potestate suâ? Nullo modo. Exprimunt quidem ubiquitatem divinam hi Patres per effectus, utpote nobis notiores: essentiam interim non coarctantes, aut verò etiam à potentiâ & sapientiâ separantes: quod nemo hominum, nisi quis fortè de grege porci Epicurus, attentârit.* Unde apparet, quam perperam Vir Celeberrimus nostram sententiam intellexerit, dùm eam cum Vorstianâ passim comparat.

CCXXIV. Vix jam indigent responsione quæ habet art. 84. Dicit, *eâdem calvâ excusatione* (scil. quòd cùm potentia divina non differat ab ejus essentiâ, eo ipso, quia Deus est omnipræsens ratione potentiæ, etiam debeat dici omnipræsens ratione essentiæ) *potuisse Vorstium se tueri.* Item, *si nobis hoc loco ubiquitas potentiæ & essentiæ idem sit, cur non hanc æquè rotundè ac illam confiteamur? Aut cur adeo solicitè ab hâc abstinemus, adeo ut & negemus conceptis verbis substantialem angelorum ubietatem & in loco præsentiam?* Quomodo enim Vorstius potuisset dicere, Deum ratione essen-

tiæ omnipræsentem esse, quòd potentia ab essentiâ non differat, cùm hoc ipsum sit quod negat Vorstius, Deum ratione essentiæ omnipræsentem esse, distinguendo manifestè inter essentiam & potentiam, ut juxta hanc Deum omnipræsentem asserat, juxta illā neget. Quid verò magis rotundā quærit confessionem, quam eam quam vidit in Dictatis citatis art. 218, & hîc videt? Unde probabit, nos negare conceptis verbis substantialem angelorum ubietatem & in loco præsentiam? Cujus contrarium in superioribus asseruimus. Pergit ibidem, *nos supponere, Deo nullam relationem posse competere ad locum, eò quòd sit spiritus simplicissimus*, &, *negare ubiquitatem Dei essentialem, quòd eâ positâ esset censendus coëxtensus omni spatio*, in quibus probandis artic. 84. & initium 85. absolvit. Sed is labor frustraneus est planè. Non enim supponimus, *Deo nullam relationem competere ad locum*, sed è contrariò, & respectu operationis, & respectu potentiæ, & ratione essentiæ Deum ad locum referimus, quando operatur in loco, quod fecit post mundum conditum: at quando Deus non operatus est aliquid extra se producendo, quando mundus nondum fuit conditus, quomodo dici potuisset habuisse relationem ad locum, qui nullus uspiam erat? Ubiquitatem etiam Dei essentialem nos non negare toties jam diximus, sed negamus eam quam ipse per modum diffusionis instar corporis alicujus subtilis concipit.

CAP. XVI.

Nullæ proprietates sunt accidentia. Potentia & essentia etiam in creaturis ratione tantum differunt, non realiter. Accidentia non sunt entia, sed sunt substantiarum modi. Sustentatio personalis est merum figmentum, ortum ex eo, quod subsistentia sit aliquid positivum. Qui subsistentiam in merâ negatione constituunt satis possunt explicare mysterium Trinitatis & Incarnationis. Humana Christi natura nullo caret positivo dùm caret propriâ subsistentiâ. Ad unionem in Christo hypostaticam explicandam nullum commodius est simile, quam quod desumitur ab unione nostræ animæ cum corpore. Decreta Dei nec opera nec actiones propriè possunt appellari. Deus semper facit id quod est optimum. Quænam & quomodo præcepta

Dei sint immutabilia? Perperam dicitur esse distantiam infinitam inter ens creatum & nihilum. De animâ mundi. Materia prima nihil aliud est, quam extensio in genere considerata. Omnis & tota realitas in operatione angelorum, & quarumvis creaturarum est à Deo Non exigua pars imaginis divinæ consistit in voluntatis libertate. Corporis Christi circumscriptio probanda est ex naturâ corporis humani. Quomodo particula Quâ accipiatur in quæstione: An Christus adorandus sit quâ Mediator? Titillatio in se ipsâ considerata, & prout est naturalis, non est vitiosa. Incarnatio Christi eodem momento facta est, quo unio ejus animæ cum corpore. Filiationis vox est ambigua & propterea necessariò distinguenda, quando quæritur: An in Christo duplex sit Filiatio? Motus celeritas in infinitum potest augeri. Argumentum Remonstrantium, Quod quisque tenetur credere illud verum est, &c. potest reduci ad legitimam formam syllogismi. De Iure ad Regnum Hæreditarium & Electivum. Iustificatio peccatoris coram Deo est explicanda ex naturâ fori & judiciorum. Fideles acti à Deo ipsi agunt. Iustitia alia est universalis alia particularis. Bona opera quomodo se habeant ad justificationem? Nomen virtutis quo utitur Scriptura, non est superbum. Pœnitentia est virtus imperfecta. Non est verum absolutè & universaliter, partes se mutuo perficere. Formæ & materiæ termini sunt ambigui.

CCXXV. Varia adhuc adduci possent specimina Usus Philosophiæ Cartesianæ in Theologiâ, sed sufficiet nobis ad ea digitum intendere, quæ improbavit Vir Celeberrimus in nostris dictatis, quæ ordine nunc considerabimus, omissis tantum, quæ in superioribus jam sunt ostensa & defensa. Vulgaris Philosophia solet rerum proprietates in numerum accidentium referre, unde distingui in eâ solet accidens proprium & commune. Eam secutus Vir Clarissimus dixit Syst. Loco II. §. 11. *Proprietates divinas non esse accidentia, qualia sunt hominum aut angelorum.*

lorum. Ego verò ad naturam proprii & accidentis attendens hæc seqq. dictavi : *Nullæ tamen proprietates sunt accidentia contra quam vulgo putant; proprietates enim nihil aliud sunt quam ipsa rei essentia, prout ea propter imperfectionem nostri intellectus debet diversis conceptibus enunciari; contradistinguuntur autem essentiæ, quâtenus essentia sumitur strictè, & denotat proprietatem sive attributum aliquod primum in nostro conceptu, à quo reliqua in nostro conceptu oriuntur & fluunt. Si enim proprietates essent accidentia, possent adesse & abesse, quod repugnat naturæ proprietatis: si etiam proprietates essent entia diversa ab essentiâ, possent separatim existere, quia ens & ens realiter differunt, & per consequens à Deo separatim constitui possent; atqui hoc est absurdum, cùm proprietates sine essentiâ & ab eâ separatæ nihil sint.* Id quod reprehendit ille art. 111. num. 10. eo nomine, *quòd in eo profitear, me ab omnibus dissentire.* Atqui id libenter profiteor, me in Philosophicis ab omnibus dissentire, qui scholasticam & vulgarem Philosophiam sequuntur, cujus dissensus, an habeam justas rationes, judicabit lector cordatus ex toto hoc tractatu, & quoad hanc materiam ex rationibus, quæ in notâ adduxi. Affine huic est quod notavi ad §. 19. Loci 11. quod tamen potius volui adjicere ad explicandum verba ipsius: *Nec agit Deus, ut creatura, per aliquid superadditum ad suam naturam, sed per suammet essentiam,* sic dictando: *Id tamen non ita est intelligendum, quòd omnes creaturæ agant per aliquid superadditum; nam quando creaturæ agunt sine habitu per solam potentiam, eo ipso agunt per essentiam, ista enim potentia ab essentiâ non nisi ratione differt. Hoc saniori Philosophiæ* dicit art. 111. num. 11. *repugnare.* Quod si intelligat de Scholasticâ illâ, quam obesse Theologiæ existimo, concedo, sed eam saniorem nego, cùm repugnet rectæ rationi. Nec proprietatum naturam nec accidentium ea rectè explicat, nec conceptibus distinguendis, sed confundendis est apta nata. Accidentium naturam quod attinet notavi ad Loci 111. art. 3. ad verba Clarissimi, quibus dicit, *Essentiam in communi esse duplicem, alteram substantialem alteram accidentalem*, hæc pauca : *Cum accidentia non habeant essentiam, sed tantum sint modi substantiarum, sine quibus non possunt concipi, & non habent distinctam existentiam ab existentiâ substantiarum, sed essentia accidentium ut & eorum existentia est illa ipsa essentia & existentia substantiarum,* quibus potius volui sententiam ejus explicare, & cum meâ conciliare, quam ei contradicere. Ille tamen art. 113. num. 19. hæc improbat, dicendo : *Me mirè Philosophari de accidentibus*, refutationis causâ hæc adjiciens ; *Certè nec modus cum re debet confundi, & aliud est non*

posse

posse separatim à substantiis existere accidentia, aliud accidentium quidditatem & essentiam non debere à substantiarum naturâ & essentia distingui. Ego verò modum cum re non confundo, sed maximè meâ brevi explicatione distinguo, & pro certo habeo, ea demum habere distinctam à se invicem essentiam (accipiendo vocem essentiæ pro attributo omnium primo quod reliqua omnia sub se complectitur, & rem à re, ens ab ente distinguit) quæ à se invicem possunt separari. Quæ enim distinctam habent essentiam ea distinctè à se invicem possunt cogitari, & per consequens saltem à Deo possunt separatim poni, quod sufficit, ut pro distinctis entibus debeant haberi.

CCXXVI. De subsistentiâ ante hâc egi, idque plenius art. 149. occasione status animæ separatæ, sed quia aliquoties in Theologia solet ejus mentio fieri, ex illo, quem ibi proposui, distincto subsistentiæ conceptu, fuerunt, quæ hîc & illic pro re natâ dictavi. Quoniam verò illi qui alio modo philosophantur, subsistentiam volunt esse quid positivum, quod nec ipsi explicare possunt, nec alii intelligere, hinc cùm natura Christi humana non habeat subsistentiam, fingunt aliquam sustentationem personalem, quâ suppleatur illud nescio quod positivum, quod naturæ Christi humanæ fingunt deesse, quod observavi & refutavi notâ ad Syst. Celeberrimi Viri Loc. 11. §. 22. *Hic introducunt*, dico ibi, *nescio quam sustentationem personalem, cùm non possit concipi alia sustentatio, quam qua eadem est cum conservatione; per sustentationẽ autem personalem hoc volunt, quod divina natura ita assumpserit naturam humanam, ut per hanc assumtionem suppleat ipsam subsistentiã, quam natura humana nullam habet, & quam tamen concipiunt tanquam quid positivum : Sed subsistentia nihil aliud est quam mera negatio conjunctionis cum aliâ re ad constituendum unum suppositum. Quicquid nempe sic unitur cum alio, illud eo ipso dicitur subsistere : ita ergo ab æterno divina natura Christi habuit subsistentiam, quâtenus ab æterno negabatur conjuncta cum aliâ naturâ, sed in tempore per unionem cum naturâ humanâ accessit relatio, & sic non amplius potest negari naturam divinam esse conjunctam cum aliâ; quia tamen totus* θεάνθρωπος *non est conjunctus cum aliâ adhuc quâdam naturâ præter naturam humanam, sic toti* θεανθρώπῳ *iterum tribuitur subsistentia propter istam negationem.* Cui notæ consuetum illud reponit §. 111. num. 12 quòd *debeat concipi subsistentia ceu modus existendi completus, non qui simpliciter rei conjunctionem cum aliâ neget, sed qui ipsi rei det incommunicabilitatem : quam autem prolixam caudam errorum trahat illius imaginatio & assertio in*

negotio Incarnationis Dominicæ videbimus suo loco; Quid verò positivi dicat modus ille, quem vocat existendi completus, aut quid positivi denotet incommunicabilitas nullibi docet. Quàm non obsit hæc sententia negotio Incarnationis Dominicæ, ex parte jam diximus ad artic. 149. & mox plenius dicemus. Similia prioribus habet Vir Celeberrimus §. 113. num 20.

CCXXVII. Ad art. 4 Syst. Loci III dictavi 1. *Illud ipsum quod nunc incomplete dicitur existere, paulo post, etsi nihil ei accedat, complete existere dicetur, verbi gratiâ, mens nostra post separationem a corpore*; 2. *Animæ nostræ per separationem nulla deest perfectio, in quantum est anima, cum mentes angelicæ, quæ nunquam fuerunt conjunctæ cum corpore longe perfectiores sint, quam mentes humanæ.* Sic porrò ad art. 5 hæc reperio olim dictata: *Subsistentia potius sic definienda est, quod præcise & abstracte considerata nihil aliud sit quam mera negatio conjunctionis cum aliâ re ad constituendum unum suppositum: qualibet enim res individua & singularis, eo ipso, quo non est conjuncta cum alia re ad constituendum unum suppositum, dicitur subsistere: Quando autem postea illa ipsa res conjungitur cum alia re in unum suppositum, tunc accedit ei nova relatio; si verò postea illa relatio iterum cesset, tum post separationem iterum dicenda est subsistere, sic, verbi gratiâ, natura Christi humana non subsistit, quia semper refertur ad λόγον, cum quo inseparabiliter est conjuncta: anima vero nostra humana, quia per separationem à corpore ab eâ aufertur relatio ad corpus, eo ipso jam habebit subsistentiam, hoc est, negationem conjunctionis*; & ad art. 6. *Omnis res intellectualis & individua, eo ipso, quo talis, agit, non verò omnis res materialis. Sunt ergo omnino actiones quorundam etiam non suppositorum, v. gr. nostra anima: &, si duo talia individua sint conjuncta in unum suppositum, totum compositum ab istis actionibus denominatur.* Observat verò Vir Celeberrimus §. 113. num. 20. *notum esse omnibus, quantum intersit ad bene explicandum & vindicandum mysterium Trinitatis bene exponi quid sit subsistentia & personalitas*, quod non diffiteor; unde à me id accuratiùs factum quàm juxta vulgarem Philosophiam fieri assolet judico. Hos verò meos conceptus, quamvis dicat, *inexplicabile facere mysterium Trinitatis*, cùm id non probet, eâdem facilitate à me potest negari. Melius id posse explicari per hunc nostrum subsistentiæ conceptum, nullus dubito; quamvis illum putem mecum fateri, non posse istud Mysterium à nobis plenè intelligi. De Trinitate inexplicabili redditâ per meam sententiam aliquid videtur dicere art. 112 num. 13 his verbis: *me ad locum 3. §. 12 docere, quòd essentia divina*

divina singularis non communicatur personis, sed possit tamen in illis esse. Scripserat ille: *sed singularis cùm sit* (essentia divina) *habet ex infinitate sua, quod pluribus simul personis communicetur citra sui multiplicationem.* Ego notavi: *Ratio quare hoc habeat est nobis incognita, cùm tantùm τὸ ὅτι sit cognitum in sacris literis; essentia igitur singularis, eo ipso, quo talis est, non est communicabilis, sicut pars communicatur toti, sed potest tamen esse in tribus personis, quia id ita revelatum est. Infinitas verò non magis facit ad Trinitatem personarum, quam ad infinitatem personarum citra revelationem*; quibus sanè verbis non nego, quod *essentia singularis divina communicetur personis*, ut mihi impingit, sed tantum nego, *essentiam singularem divinam esse communicabilem ut pars communicatur toti*, cui oppono, *posse tamen esse in tribus personis*, quod sanè idem est propter oppositionis naturam, ac si dixissem, *posse tamen communicari tribus personis*, sivè, *esse communicabilem tribus personis.* Hæc agnitura sperem Virum Celeberrimum, ubi iræ in me conceptæ amor erga me antiquus successerit.

CCXXVIII. Sed videamus, an ex meâ subsistentiæ explicatione graviora subeat pericula mysterium incarnationis. Ea pericula recenset §. 122. num. 47. quæ an vera sint nec ne, ex solo notarum mearum conspectu puto fieri posse conspicuum. Aliter enim iterum hîc, ut sæpius, verba mea legit vel interpretatur, ac à me fuerunt dictata. Ad §. 12. dictavi. 1. *Hoc*, scilicet quòd natura humana subsistat, *non rectè dicitur, nam non natura sed persona subsistit; igitur post unionem non rectè dicitur natura divina subsistere, sed potius persona θεανθρώπου subsistit habens utramque naturam*, quod ab omni errore alienum existimo. 2. contra Lutheranos asserentes, *naturam divinam esse incarnatam ostendi, id minus benè dici*, *hâc positâ ratione: Natura enim distinguitur à personâ; si verò id intelligas de divinâ naturâ characterisatâ in Filio, cum ea sic non differat à personâ Filii, idem est ac si dixeris, Filium sive secundam personam Trinitatis esse incarnatam.* Ex quibus apparet, me observare, ambiguè ipsos loqui, posse tamen sensu quodam admitti; quod non video, quo jure possit reprehendi. Id enim charitas Christiana postulat, ut verba proximi in meliorem sensum, si id fieri possit, accipias. 3. Nego consequentiam argumenti Clarissimi Viri, quod habet §. 12. *Si natura divina in se & absolutè considerata uniretur natura humana, tùm ex utrâque tertia quadam natura conflari oporteret*, hâc adjectâ notâ: *Hoc tamen non videtur sequi; quod enim vulgo concipiunt, quòd ex mente & corpore inter se invicem conjunctis tanquam naturis diversis, nascatur tertia natura humana, il-*

lud

lud totum in merâ denominatione consistit ; natura enim ista humana dicitur natura tantum denominative, propter arctam unionem inter mentem & corpus, non verò potest dici eo sensu una, quo mens nostra est una, vel corpus una essentia. In quâ notâ nihil adhuc erroneum possum deprehendere. Multò minus reprehendenda videtur nota 4 ad art. 14, quibus dicit Vir Clarissimus: *Imò quicquid delirent Scholastici, sicut una persona divina non potest plures naturas humanas assumere, ita non potuerunt plures personæ divinitatis eandem numero naturam humanam assumere*, ad quæ notavi: *Audacter hîc agunt Scholastici, qui quid Deus possit vel non possit determinare audent. Nos dicimus, hac superare nostrum captum, adeoque a nobis non debere definiri.* 5 ad §. 19 sic notavi: *Neque destituta est humana natura propterea aliquo reali, quod tamen dicendum esset ex sententiâ eorum, qui subsistentiam habent pro aliquo positivo.* Vir Celeberrimus id reprehendit num. 47 pag. 98 eo nomine, *quia illo careat reali modo subsistendi, qui personæ humanæ convenit, & eam in esse personæ constituit.* At necdum nobis explicat, quid sit illud reale, per quod iste realis modus subsistendi constituitur, neque ostendit quomodo hoc posito verum esse possit, Christum factum esse hominem nobis per omnia similem, excepto peccato.

CCXXIX. 6. Dictavi ad §. 25 ubi dicitur, *relationem intercedere inter utramque* Christi *naturam sustinentis & sustentati*, hæc sequentia: *Illud omne ex eo oritur, quod subsistentiam conceperint tanquam aliquid positivum ; quia autem humanitas caret subsistentiâ, finxerunt aliquam sustentationem personalem, per quam λόγος assumens personaliter sustentet humanitatem, supplendo istius positivi defectum: at ista gratis dicuntur, quia ex falsâ hypothesi dependent: concedimus quidem, quod humana natura sustentetur à divinâ, sustentatione substantiali, quæ nihil aliud est, quàm conservatio, sed ea planè alia est ab illa sustentatione personali*: quæ reprehendit noster pag. 98 dicendo, *sustentatione personali λογον sustinere in se naturam humanam ceu partem vel adjunctum inseparabile suæ personæ*, quod intelligemus, ubi cognoverimus, quid sit illud positivum, quod subsistentia addit naturæ singulari. Et paulò pòst inquit: *inde sequi, quod Deus omnia intimè conservans omnibus creaturis sit hypostatice conjunctus*, quæ profectò mira admodum est consequentia: Ego enim nego, fingendam esse ullam sustentationem personalem, improbo istam sententiam ob rationes dictas, nego quoque illam sustentationem personalem quicquam facere ad unionem duarum naturarum in Christo,

quam

quam unionem dico cum Clarissimo Viro factam esse ἀδιαιρέτως καὶ ἀχωρίςως, item ἀτρέπτως καὶ ἀσυγχύτως, statuo λόγον assumendo naturam humanam in unitate personæ, cum ista naturâ humanâ quantum potuit unum esse factum, idque explico similitudine unionis, quæ est inter animam & corpus, adeoque non minus dico, θεάνθρωπον esse unam personam, ac homo aliquis pro unâ personâ haberi debet; addo, inde fieri, ut ὁ λόγος ea in istâ natura humanâ efficiat, quæ reverâ opera Dei sunt, de cætero modum istius Unionis esse eminentissimum & nobis perfectè ineffabilem; affirmo, nullam aliam dari sustentationem, quàm eam, quâ Deus intimè conservat omnes creaturas, quæ utique, eo ipso quo talis, nihil facit ad Unionem illam duarum naturarum in Christo hypostaticam Judicet jam qui voluerit, an ex meâ sententiâ sequatur, *Deum omnia intime conservantem omnibus creaturis esse hypostaticè unitum?* 7. ad §. 29 ubi sustentationem illam personalem explicare voluit, exemplo animæ, dicendo: *Sicut anima non subsistit in homine, vel subsistentia hominis, sed in homine existit, terminatur & sustentatur, ut sit hujus anima non alterius*, annotavi: *Non potest dici sustentari anima sustentatione aliqua personali; quia alias deberet tunc sustentari à corpore, perfectius ab eo & per id, quod est minus perfectum.* Quæ consequentia mea satis videtur manifesta. Si enim sustentatur humana Christi natura à λόγῳ sustentatione personali, sicut anima sustentatur in homine, debet utique dici, ut simile illud queat applicari, ita sese habere ad se invicem λόγον & humanam naturam in Christo, sicut sese habent anima & corpus in homine, & cum juxta §. 29. anima dicatur sustentari, sicut humana Christi natura dicitur sustentari sustentatione personali, nihil manifestius est, quā ut sequatur, sicut λόγος sustentat humanam naturam, ita corpus sustentare animam, quod quidem non puto statuere Virum Clarissimum, ex ipsius tamen similitudine quam manifestissimè consequitur.

CCXXX. 8. Ad §. 23. ubi dicitur, *humanitatem Christi oppositè ad λόγον assumentem esse incompletam*, dixi: *Hæc locutio procedit ex eo, quod per subsistentiam aliquid positivum intelligant: 9. Illud non potest dici persona, quod separatim non existit, sed conjunctim cum alio, qualis est humana natura Christi, & anima quamdiu est conjuncta cum corpore, sed quando anima post illam unionem separatam existit, nulla est ratio, quare persona non debeat appellari.* Propter quas notas mihi pag. 98. impingit Nestorianismum. Sic enim inquit;

quit: *Non vult* (de meâ hâc notâ loquitur) *ſtatui humanitatem aſſumptam à λόγῳ metaphyſicè incompletam, id eſt reverâ non eſſe perſonam, per purum Neſtorianiſmum, cui propugnando docet, nullam eſſe rationem, cur anima ſeparata non debeat perſona appellari: quod deſinat eſſe conjuncta corpori, & pars hominis: Unde fortè Chriſto tempore mortis, triplex perſonalitas ſit tribuenda, theologica τοῦ λόγου, œconomica τοῦ θεανθρώπου, & ſpiritualis animæ rationalis à corpore ſeparatæ.* Scilicet, quia nego, ſubſiſtentiam dicere aliquid poſitivum, & propterea nego, humanam Chriſti naturam, ſubſiſtentiâ deſtitutam, carere aliquo poſitivo, cujus defectus ratione debeat dici incompleta, etiam juxta ipſum ſum cenſendus negare, humanitatem Chriſti reverâ non eſſe perſonam. Si hoc ex meis verbis poſſit confici, poterit quoque confici, idem ſimul eſſe & non eſſe, & falſum eſſe verum. Egone, (quia ſtatuo ſubſiſtentiam nihil eſſe aliud quam negationem conjunctionis cum alio ad conſtituendum ſuppoſitum, & propterea, cùm anima ſeparata non ſit conjuncta cum alio ad conſtituendum ſuppoſitum, aſſero, nullam eſſe rationem, quare non debeat appellari perſona) propugno Neſtorianiſmum, qui tollit unionem perſonalem, hoc eſt conjunctionem naturæ divinæ cum humanâ ad conſtituendam unam perſonam, quam ego aſſero ubique? Deus ſervet mentem Vir Celeberrimi, & imbuat amore mei, ne pergat talia mihi impingere! Tempore mortis Chriſti ſtatuo cum omnibus Orthodoxis, manſiſſe unionem hypoſtaticam inter λόγον, animam corpusque Chriſti, quamvis à ſe invicem ſeparata. Sic utique anima conjuncta cum λόγῳ unione perſonali non poteſt dici perſona, neque corpus conjunctum cum λόγῳ perſona poteſt appellari. Unde ergo triplex illa perſonalitas, quam hic imaginatur Vir Celeberrimus?

CCXXXI. 10. Ad §. 26. in quo agitur de ſimilibus, quæ ſolent adhiberi ad unionem perſonalem in Chriſto explicandam, hæc fuerunt dictata: *Præcipua ſimilitudines huc facientes ſunt, r. unionis ſurculi cum arbore, & animæ cum corpore; ſicut enim anima non adeſt corpori tantū παραστατικῶς, ſicut nauta adeſt navi, ſed ea, quæ corpori accidunt, ſpectat tanquam ad ſe pertinentia, ita etiam Chriſti natura divina, ſaltem hâctenus, ut amoveat omnem injuriam, & omne malum à naturâ humanâ, in quantum hoc requirebat ſalus humana; in eo tamen eſt differentia, quod divinitas hinc nihil patiatur ſicut patitur anima noſtra;* de quâ notâ pag. 98. dicit, *me vexare ſimilia illa*, quia nimirum

rum illud præfero, quod est maximè appositum, & differentias quasdam in reliquis observo, quòd si sit dicendum *vexare similia* illud mihi commune erit cum nostro, qui expressè §. hoc 26. System. IX. inquit, *nullum ferè esse horum quod non claudicet uno pede.* Negat à me rectè præferri reliquis illud simile, quod est animæ cum corpore, quo tamen tantoperè Patres & ipsa Synodus Chalcedonensis delectati fuerunt, *quia anima cum corpore unio sit naturalis, non hypostatica & personalis.* Quæ opponenda nullo modo videntur. Unio enim hypostatica & personalis utique est dicenda unio inter duo, quæ sic unita constituunt personam: atqui inter animam & corpus est talis unio, quâ fit, ut sic unita constituant personam humanam. Ergone neganda erit esse hypostatica & personalis, quia naturalis est, hoc est, quia id fit juxta ordinem & cursum naturæ in omnibus omnino hominibus? Præfert ipse ibidem *simile unionis surculi cum arbore,* (quæ unio tamen non est personalis, ut nunc de aliis differentiis in notâ meâ observatis non agam) an verò hæc unio non est naturalis, etsi ars ad istam procurandam unionem interveniat? Cum reverâ coalescat surculus insitus cum arbore, sicut coalescit surculus quivis, qui ex ipsa arbore propullulat. 11. Tandem ad §. 27. ad hæc Clarissimi Viri verba, *Hinc patet, Filium Dei non hominem suppositaliter sic dictum assumsisse,* hæc annotavi: *Etsi hominem suppositaliter sic dictum assumsisset, ille eo ipso perdidisset suppositalitatem.* Ad quod observat, *id mihi ingratiam Nestorii non videri impossibile,* quamvis eo ipso Nestorianismus evertatur, quando statuitur, hominem, qui hoc posito casu antea non fuit conjunctus cum alio ad constituendum unum suppositum, postea sic conjungi, esseque unam personam, cùm Nestorianismus duas personas in Christo invehat. Sed inquit pag. 99. *Si ille homo suppositaliter* eo ipse perdidisset suam suppositalitatem, *atque ex personâ humanâ in non personam abiisset, inde sequitur, λόγον personalitate suâ excidisse, dum alteri naturæ se conjunxit, ut fieret θεάνθρωπος, quo* me inquit *relabi ad Eutychianismum.* Eodem scilicet consequentiæ genere impingi mihi poterit Eutychianismus, quo antea Nestorianismus. Dum subsistentiam dico in merâ negatione conjunctionis cum alio consistere, nihil utique perdere potest dici, qui perdit negationem, &, dum conjungitur cum alio, potius potest dici accipere relationem sive respectum, qui ante istam unionem locum non habuit. Ita ergo λόγος, cum ante Incarnationem non esset unitus cum humanâ Christi naturâ, postea unitur, nihil perdendo, sed potius accipiendo relationem sive respectum ad naturam

turam humanam, qui respectus antea locum non habuit. Quænam ergo hîc mutatio unius naturæ in aliam, quæ confusio attributi divini cum humano, quæ tandem realitatis vel absentia vel commixtio, cujusmodi ad Eutychianismum requiri, qui eum intelligit, satis novit.

CCXXXII. De decretis Dei censuit Vir Celeberrimus Loco IV. §. 1. *illa minus propriè opera Dei dici*; ego verò reor, *ne quidem accurate loquendo posse appellari Dei actiones*, idque dictavi ad hunc §. ratione hâc additâ: *actio est enim quâ fit aliquid de novo, & qua mutatio status alicujus rei inducitur; atque per decreta Dei, nisi accedat eorum executio, nihil fit de novo, nec mutatio status alicujus rei inducitur, ut per creationem & alia opera divina proprie dicta fit.* Quæ planè conveniunt & illustrari possunt ex iis quæ dixi art. 200. de voluntatis divinæ variâ consideratione. Hæc sic perstringit Vir Reverendus art. 114. num. 25. *Quasi verò novitas rei sit de essentiâ omnis actionis & cogitationis, ejus præsertim, quam in Deo concipere debemus. Certè generatio Filii æterna est actio Patris, licet per eam nihil fiat de novo.* Sed hæc tota quæstio spectat tantum modum loquendi, sicut & observatio illius in Systemate, quando dicit, *Decreta Dei minus propriè opera Dei dici*, quod tamen statui novit ab aliis Theologis. Sicut ergo decreta Dei possunt impropriè appellari *opera Dei*, ita etiam impropriè possunt appellari *actiones*. Accuratè tamen loquendo censeo, id demum debere appellari actionem, quod infert mutationem status alicujus rei. Per actionem enim utique aliquid fit. Si enim nihil fiat nescio quomodo actionis nomine dignum esse possit. Si ergo per actionem aliquid fit, illud ipsum, quod fit, non potest censeri esse, eo ipso quo fit; saltem non potest censeri esse eo modo, quo fit, aliàs enim quomodo fieri dici posset. Noster verò num. 25 cogitationem & actionem pro iisdem habet, quod verum esse non potest, si accuratè loqui velimus; volitio quidem nostra est actio, non tamen omnis nostra cogitatio actio dici potest; in Deo autem volitio & intellectus non distinguuntur modaliter, nec inter se invicem nec ab essentiâ divinâ, sicut distinguuntur in nostrâ mente, cùm Dei velle sit ejus intelligere, & vice versâ, quia Deus purus est actus. Generationem æternam Filii non intelligo, credo tamen, quia intelligo, Scripturam eam revelasse: si actionem impropriè appellare velis, eo sensu, quo & opus Dei impropriè nuncupatur, nihil repugnabo. Sed satis de quæstione, quæ de nomine potius est & notione secundâ, quàm de re.

CCXXXIII. Quomodo Deus faciat semper id quod est optimum explicare

explicare volui notâ quâdam ad Systēm. Loc. IV §. 10 *At dices: Deus potuisset creaturas quasdam meliores facere, verbi gratiâ, si fecisset hominem impeccabilem, ergo non videtur semper agere id quod est optimum: Resp. Creaturæ possunt duplici modo considerari, vel absolute & in se, vel ut habent rationem partis in universo; prout considerantur in se possunt fieri meliores; sed non prout considerantur ut partes universi, quia ad id requiritur creaturarum varietas, & varii perfectionum gradus, unde non possunt omnes esse aquè perfecta; Sic fecit Deus creaturam impeccabilem id est angelos, ergo etiam debet esse creatura peccabilis, ut sic esset varietas in universo.* Ea à nemine improbatum îri putaveram, cùm hæc ipsa responsio videatur tollere difficultatem in Objectione propositam. Vir tamen Celeberrimus inquit art. 114, num. 26 *Sed preterea quod res singulæ mundi sunt creatæ à Deo valde bonæ, ut Moses loquitur, adeoque perfecta in suo genere, nec peccabilitas sit imperfectio positiva, sed merè negativa perfectionis majoris indebita, angelos creatos fuisse impeccabiles, cùm tot ex illis suo gradu exciderint, falsissimè asseritur.* Quæ omnia parum contra me faciunt. Non enim nego, res singulas à Deo creatas esse valde bonas, adeoque perfectas in suo genere; quæritur tantum an non quædam res, prout absolutè considerantur, possint fieri meliores? Quod non negandum videtur, si animum ad hominem attendamus. Annon enim homo conditus ad imaginem Dei sed mutabilem absolutè loquendo melior fuisset, si conditus fuisset immutabilis & impeccabilis? Quòd si peccabilitas sit imperfectio merè negativa perfectionis majoris indebitæ, est sane imperfectio, quod mihi sufficit. Inde enim utique sequitur, hominem, si impeccabilis fuisset, habiturum fuisse majorem perfectionem, sicque in se consideratum futurum fuisse meliorem. Apparet hoc ex comparatione hominis cum angelis, qui sanè sunt impeccabiles, licet id non habeant ex creatione, sed ex gratiâ confirmationis. Non enim dico in meâ notâ, fuisse *creatos* impeccabiles, cùm ad comparationem meam sufficiat, quòd reverâ impeccabiles sint, non verò requiratur determinatio quando & quomodo impeccabiles fuerint facti.

CCXXXIV. Quomodo & quænam præcepta Dei sint immutabilia explicare volui, dùm ad Syst. Loc. IV, §. 11 dictavi: *Hîc notandum est distingui debere inter ea pracepta Dei, quæ fluunt ex naturâ Dei, & ea quæ fluunt ex naturâ rerum creatarum; quantum attinet ad ea pracepta, quæ fluunt ex naturâ Dei scilicet 1, 2 & 3. ea non possunt ullâ ratione mutari, verbi gratiâ, Deus non potest præcipere, ut creatura rationalis se odio habeat, sic enim Deus se ipsum*

abnegaret, & se, qui est objectum valde & summè amabile, constitueret objectum odibile, quod fieri non potest. Et ad Syst. VII §. 9. *Ea, quæ legis naturalis sunt, ortum habent vel ex naturâ Dei, cujusmodi sunt imprimis officia quæ circa Deum versantur, vel ortum habent ex constitutione rerum naturæ, quas Deus voluit esse immutabiles, ita ut prior immutabilitas absoluta sit, posterior secundum quid tantùm; cùm Deus, absolutè loquendo, etiam naturas rerum mutare possit, sed se ipsum mutare nequeat.* Ex quibus apparet, distinctionem immutabilitatis præceptorum divinorum habere fundamentum in distinctione Dei à creaturis, quod everti posse non video. Quod enim Vir Celeberrimus dicit art. 114 num. 27 me eâ distinctione uti, *ut mutabilia faciam quàm plurima præcepta Decalogi,* tribuit mihi id quod alienum est à meâ mente, cùm ea quæ pendent ex natura hominis & aliarum rerum non statuam mutabilia, minorem tantum gradum immutabilitatis obtinere dicam, quàm ea quæ pendent ex naturâ Dei, quod neminem negaturum reor. Sed inquit noster: *Ea quæ fluunt ex natura hominis ceu conditi ad imaginem Dei, eo ipso in Dei naturam & sanctitatem refundi.* Sed novit distingui inter Dei naturam & voluntatem, quæ distinctio est rationis, cùm reipsâ nihil sit in Deo, quod non sit Deus. Sanctitas verò voluntati divinæ propriè competit, & tanquam attributum voluntatis divinæ consideratur. Quæ ergo sic refunduntur in Dei sanctitatem utique refunduntur in Dei voluntatem, sicque firmo stat pede mea distinctio inter præcepta, quæ ex naturâ Dei, & ea quæ ex naturâ hominis dependent, cùm ista natura hominis, qualiscunque ea sit, semper dependeat à Dei Voluntate, prout ea solet distinctè à naturâ Dei considerari.

CCXXXV. Argumentum illud Philosophicum, quo utuntur quidam ad probandum, creationem esse opus potentiæ infinitæ, desumptum ex eo, quòd inter aliquid & nihilum sit distantia infinita, infirmum existimo, quamvis ipsam illam sententiam pro verissimâ habeam, creationem alteri quàm Deo tribui non posse. Propterea ad Loc. v. Syst. §. 4. seqq dictavi: *ens non potest dici magis differre à non ente, quàm suæ perfectionis latitudine, quæ si sit finita, etiam est finita distantia: atqui creatura est finita: Ergo. Sed dices: Ea est infinita distantia, quâ non potest dari major, atqui non potest dari major distantia, quàm inter ens & nihilum: Resp. quæritur hîc de distantiâ non cujusvis entis à nihilo, sed illius entis, quod ex nihilo debet produci, quodque ideo est finitum. Aliàs infinita distantia est inter Deum & nihilum, quia Dei perfectio est infinita.* Has meas rationes non evertit Vir Celeberrimus, quando art. 117 num.

num. 30 inquit: *Quasi non ideo sit infinita distantia contradictionis, qua major concipi nequit, inter nihil & aliquid, quòd distantia perfectionis, sit infinita inter Deum & creaturam.* Major enim utique est distantia inter Deum & nihilum, quàm inter ens finitum & nihilum. Ens finitum participat de nihilo, eo ipso quo finitum est, hoc est, eo ipso quo negatur ei major perfectio; at Deus de nihilo nullo modo participat. Nec distantia major esse potest, quàm est perfectio propter quam distare dicuntur: at perfectio entis finiti tantummodo finita est. Infinita distantia contradictionis huc nihil facit, neq; robur conciliat isti argumento, de cujus infirmitate hîc quæritur. Probandum enim est, *Creationem esse opus potentiæ infinitæ*: atqui potentia Dei, infinita dũ dicitur, maximè positivè infinita est intelligenda. Quando autem dicitur contradictionis distantia esse infinita, nõ intelligitur per istam distantiam aliquid positivè infinitum, sed tantùm significatur inter duo contradictoria non esse mediũ, quòd nihil facit ad præsens negotiũ.

CCXXXVI. Porro quoniam quæstionem illam merè Philosophicam, de animâ Mundi, Vir Venerandus attingit Syst. V. §. 12 ad illam respondi per distinctionem vocabuli illius, *Anima mundi*, quod ambiguum est, atque hæc sequentia dictavi: *Si per animam intelligas essentiam aliquam spiritualem & cogitantem, nullo modo mundo tribui potest, quia hoc solius Dei est, qui omnia in omnibus operatur; si verò per eam intelligamus materiam subtilem, quia omnia penetret & permeet & multarum operationum sit causa, posset id suo sensu admitti; nec tamen propterea ista materia omnia in omnibus operari censenda est, tum quia omnia non efficit, tum etiam quia id quod efficere debet Deus per eam efficit, tum tandem, quia aliæ partes materiæ hoc agunt, aliæ aliud in aliis & diversis locis.* Hanc responsionem, cùm satis fuerit ipsi art. 117. num. 31 recensere inter errores, nullâ adjectâ ratione, nec ego ut quid amplius addam, opus videtur. Sed ad id, quod ad §. 18 dictavi, quòd per *materiam primam nihil aliud intelligamus, quàm extensionem in genere consideratam*, observat, *se illam materiam primam rebus concreatam asseruisse, extensionem* verò *illam genericè consideratam in mero conceptu consistere*, quæ observatio nihil sanè potest juvare ipsius causam. Novi ab ipso dici art. 18 Materiam primam dici concreatam, at eâdem periodo dicit etiam universalia concreata. *Quæ potius*, inquit, *concreata dici debent, quàm creata, ut Materia prima, Accidentia in suis subjectis, Universalia (NB) Tempus & Locus.* Quo ergo sensu dixerit ipse Universalia concreata, eodem quoque dicere poterit, extensionem genericè consideratam esse concreatam.

CCXXXVII.

CCXXXVII. De Operatione angelorum & quarumvis creaturarum sic censeo, prout dictavi ad Syst. Loc. V §. 30 *Illa operatio, quæ angelis ut & creaturis quibuslibet tribuitur, longe alia est ab ea, quæ Deo adscribitur, nec alio sensu possunt dici operari, nisi quod positâ tali eorum voluntate aliud quid sequatur in creaturis, quod tamen totum quoad omnem suam realitatem Deus efficit; sic ergo non apparet, quo minus, si Deus velit, positâ hac vel illâ voluntate angelorum, aliquid inde sequi possit in mente nostrâ quam in aliquo corpore.* Hoc verò judicat Vir Clarissimus *meis paradoxis esse adjiciendum*, sic scribens §. 117 num. 35 *Quâ ratione præter plura alia absurda hinc efflorescentia, causis secundis & particularibus omnis sua activitas, efficientia & causalitas abrogatur, & illæ in instrumenta mere moralia mutantur, quorum nulla vis ad effectum usque pertingit vel influit in illum.* Sed omnes nostri Theologi utique censent Deum auctorem esse omnes realitatis, & opus cujuslibet causæ secundæ non tantum remotè, sed proximè & immediatè à Deo dependere judicatur, quæ & superius ex naturâ Dei & creaturarum deduximus. Ipsemet Syst. sui Loco IV, §. 29 inquit: *Causæ secundæ non movent nisi motæ, & pendent à Deo, tum in essendo, tum in agendo: & insuper immediatione tàm Virtutis quàm Suppositi, immediate in earum effectum & actionem influit.* Vel ergo negandum est, omnem realitatem à Deo produci, vel agnoscenda est hæc differentia inter Dei actionem & creaturarum à me adducta. Pertingit causarum secundarum vis ad effectum usque, vel influere dici potest in illum, non sanè quasi sit concipiendum subtile aliquod egredi ex agente & pertingere ad patiens, sed quòd positâ tali vi causarum secundarum propter & per istam vim in patiente effectus ipse producatur. Sed si inde velis inferre, causas secundas producere aliquam realitatem, quæ non tota dependeat & fiat à Deo, naturam Dei & creaturarum plane evertes.

CCXXXVIII. De Imagine Dei quæ dixi ad eundem Locum §. 52 mira dicit, & non posse intelligi. Hanc ergo notam totam prius hîc describam, postea tentabo, an clariorem ipsi reddere queam meâ explicatione. Probavit ipse ex Gen. IX, 6 & Jac. III, 9. *Imaginem Dei in homine spectavisse animæ essentiam & conditionem spiritualem, immortalem, intelligentem & volentem,* ad quæ verba sic annotavi: *His locis Scripturæ etiam hæc potest addi ratio, quoniam in naturâ animæ singularis Dei similitudo, exprimens & referens Creatorem, reperitur, quæ ipsa similitudo revera imago est dicenda; in eo autem præcipuè consistit, quòd ad idem prosequendum vel fugiendum ita feramur,* ut

ut à nullâ vi externâ ad id impellamur; quamvis enim Dei voluntas sit amplior respectu intellectus & objectorum, quia Deus plura intelligit, adeoque etiam vult, quàm nos; item respectu potentiæ, prout omne id quod vult facit, tamen præcise & formaliter considerata voluntas Dei juxta dicta, non est amplior quam voluntas nostra. Hæc ratio tota desumpta est ex Medit. Cartesii IV pag. 27 in fine. Fortè obscurum visum est, quid intelligatur per *Voluntatem præcisè & formaliter consideratam.* Sed si attendatur ad seqq. id satis patere posse videtur, cùm voluntas præcisè & formaliter considerata distinguatur à voluntate prout spectat objecta, vel prout habet adjunctam potentiam. Voluntas ergo præcisè & formaliter considerata nihil aliud est, quàm quod solet dici, *Voluntas in se tota spectata.* Eadem autem hoc respectu est amplitudo voluntatis nostræ & divinæ. Essentiæ enim consistunt in indivisibili & gradus non admittunt. Et libertas est eadem, sive quis multum sive parum agat, velit, cognoscat. Homo pauperrimus æquè liberè vult & agit circa pauca objecta, ac Princeps circa plura. Quæ omnia si attentè considerentur, nihil jam existimo remansurum esse obscuritatis.

CCXXXIX. Corporis Christi circumscriptionem ex naturâ corporis humani petito argumento probandam judico, unde ad art. 22. Syst. Loc. IX, ad verba Celeberrimi Viri, quibus refellit *Lutheranos Ubiquitistas & Transsubstantiatores Pontificios, quòd Christo affingant corpus nullo circumscriptum spatio & loco,* hæc notavi: *Cùm tamen sit & debeat esse corpus humanum, ideoque ab aliis distinctum; igitur circumscriptio non quidem convenit corpori, quâ corpori, sic enim totus mundus esset circumscriptus aliquo spatio; sed convenit quatenus est ab aliis distinctum, quia omnem distinctionem corpus à motu accipit.* Quàm notam non absque reprehensione prætermittit art. 123 num. 48 quia, non quidem, ut perperam dicit, infinitatem mundi, sed quòd mundus sit indefinitus, suppono, quæ sententia suo loco satis est probata & defensa. Ad §. 24 De Unione materiæ cum formâ, quam ipse supponit, obiter hæc annotavi: *Hæc Unio prout vulgò concipitur est fictitia; quasi duo talia entia sua naturâ diversa sese mutuo penetrarent, adeoque sic unum ens constituerent,* quod num. 49 nullâ adjectâ ratione inter errores meos numeratur, cùm tamen ex notâ ipsâ appareat, me absurditatem istius sententiæ demonstrâsse.

CCXL. Quæstionem de Adoratione Mediatoris quâ Mediator est, de quâ dissentire videntur nostri Theologi, Logicam vel potius Gram-

maticam judico, terminarique posse, si rectè attendatur, per particulæ istius *qua* sive *quatenus* ambiguitatis solutionem, unde sequentia dictavi ad §. 34. ix. Syst. *Quæstio ista est tantum de modo loquendi: Utrinque enim conceditur Christum Mediatorem etiam quia est Mediator esse adorandum; item, Christum non adorandum fore nisi esset Deus; vox etiam quatenus utrinque accipitur reduplicative; sed in eo differentia est; quod affirmantes vocem quatenus reduplicative acceptam intelligunt de quavis causa secundariâ adorationis sive impellente ad adorandum; Negantes vero reduplicationem illam proprie & stricte acceptam, ad designandam causam proximam & rationem formalem sive intrinsecam adorationis, quo sensu non potest dici, Christum esse adorandum, quatenus est mediator; sed dicendum rationem adorationis formalem esse solam Deitatem. Nam quatenus mediator etiam est homo, at quatenus est homo non est adorandus, id est ratio formalis adorationis non est humanitas: Necessitatem autem istius quæstionis fecerunt Sociniani, qui negant ex Christi adoratione sequi ejus divinitatem, quia etiam adoratur quatenus est mediator, quibus per distinctionem antea datam est respondendum.* In quâ notâ *me mire philosophari* inquit noster num. 5. *ut neutri dissidentium accedam, utrique vapulaturus*; in quo malè ipsum conjicere nullus dubito, cùm satis appareat ex notâ meâ, me accedere ad partem negantem, dextrè explicatâ ejus sententiâ, ostensoque, quòd affirmantes perperam illorum sententiam interpretentur.

CCXLI. De conceptione Christi, quoniam ita philosophatus fuit Vir Reverendus Syst. ix. §. 40. ut dixerit, *Spir. S. effecisse, ut semen virginis in uterum effluxerit, absque ullâ titillatione aut inordinatione*, supponens titillationem non esse absque inordinatione, hæc pauca annotavi: *Hoc tamen non ita dici potest, quia non omnis titillatio est peccaminosa; & quamvis peccaminosa esset, non propterea ipsum semen peccato inficeretur*, cui meæ sententiæ hic num. 51. opponit *constantem sententiam B. Augustini*. Sed hoc quidem constanter docere Augustinum certum est, per libidinem, eam scilicet, quæ contrariatur rationi rectæ, propagari concupiscentiam eam quam Paulus Roman. vii. peccatum appellat, & Augustinus peccatum originale dicit, esse peccaminosam, sed *omnem titillationem in generatione esse peccaminosam,* non persuadebor, esse constantem B. Augustini sententiam, donec illud ex Augustino fuerit demonstratum. Quomodo enim peccaminosa esset titillatio, quæ naturalis est? An ergo titillatio, quam digitis meis alicui facio, etiam peccaminosa est? Contaminari facile quamvis actionem nostram in nobis peccatoribus, à malo, quod nos circum-

cumstat, & in nobis habitat, non nego, sed propterea ipsa actio naturalis, quatenus talis, peccaminosa censeri non debet.

CCXLII. Nulli reprehensioni potuisse esse obnoxiam notam aliam meam ad hunc ipsum articulum factam antehâc fui persuasus, quæ sic habet: *Unio ista hypostatica non prius dicenda est facta esse, quam facta est unio inter animam & corpus; quando autem ista fiat unio inter animam & corpus vix certò determinari potest.* Nunc tamen eam reprehendi miror num. 52 his verbis: *Quòd si incarnationem & unionem hypostaticam præcessit unio animæ cum corpore, debuit λόγος assumsisse & sibi hypostaticè conjunxisse personam humanam, non naturam.* Ego verò nullibi dico, *quòd unio animæ cum corpore præcesserit incarnationem & unionem hypostaticam*, neque id ex meis verbis ullis fidiculis potest extorqueri; unde hæc reprehensio non nisi imaginario fundamento fuit nixa. Nec majori jure incurrit censuram distinctio vocis *filiatio*, quam adhibui ad decidendam quæstionem: *An in Christo duplex sit filiatio?* Cujus decisio ex logicâ videbatur petenda. Sic habet nota ad Syst. IX, §. 42. *Filiatio potest dupliciter accipi, vel ut relatio tantum, vel ut proprietas personalis: priori sensu duæ sunt filiationes, sive relationes, una ad patrem æternum, altera ad Mariam, quia sunt duæ generationes & nativitates; posteriori sensu non, quia tantum est unus filius.* At inquit Vir Celeberrimus num. 53, *festivum hoc esse*, non cogitans, quod Theologi quidam, inter quos est Wollebius Lib. I Theolog. cap. 16, can. 3 duas filiationes Christo assignent etsi ipsemet id negaret §. 42. Sic habent verba Wollebii: *Duæ sunt Filii generationes, æterna una, quâ genuit eum Pater, temporalis altera, quâ natus est ex virgine: duæ quin etiam filiationes, quarum altera Patris, altera Mariæ filius existit.* Quas sententias facilè posse conciliari hâc adhibitâ distinctione nemo non videt.

CCXLIII. Ad respondendum difficultati, quam Lutheranorum quidam movent contra ascensionem Christ localem, desumptam à locorum distantiâ immensâ, quam tangit Vir Celeberrimus Syst. IX §. 57 notavi: *Sed quantum ad motum attinet, ejus celeritas in infinitum potest augeri. Si enim concipiamus corpus aliquod à terrâ usque ad cœlum supremum, quod cum terra sit connexum, & cum eâ gyret circa suum axem, ejus partes tam citò debebunt suum motum conficere, quam citò terræ partes circa suum axem gyrantur, quod fit intra 24 horarum spatium.* Quæ verba quare inter erroneas sententias num. 55 referat dicere non possum. Sicut nec video ullam rationem quare juxta art. 124 num. 56 errasse sim censendus, quando ad

Syst. X. §. 33 (ubi ad argumentum Remonstrantium, *quod quisque tenetur credere illud verum est* &c, dicit, *nihil aliud esse quam inanem paralogismum*) annotavi: *id tamen non videtur; facile enim hoc argumentum ad legitimam formam potest reduci: quicunque tenentur credere Christum pro se esse mortuum, pro illis & revera est mortuus; quia illud, quod tenentur credere debet esse verum, cùm non teneamur credere falsum: atqui omnes homines tenentur credere Christum pro se esse mortuum; Ergo Christus mortuus est pro omnibus & singulis; cui syllogismo respondendum est per negationem Minoris.*

CCXLIV. Quæstio de Jure ad regnum alicujus familiæ Politica est, quam tangit Vir Clarissimus Syst. X. §. 59 & 60, ubi de Christo inquit: *dici non posse jure successionis aut hæreditario regnum terrenum Judææ ad ipsum pertinuisse. Nam diu id juris in familiâ Davidis perierat &c.* ad quæ ut putabam confirmanda hæc annotavi: *Non enim diutius jus ad Regnum aliqua familia habet, quàm isti familiæ regnum conferre velint subditi, vel etiam possint.* Quam notam dicit hîc §. 124, num. 59 *ad Politiæ pericula spectare, quia sic jus Regum hæreditariorum, imò omnium Magistratuum ex arbitrio & voluntate subditorum suspenditur.* Sed distinguatur tantummodo inter regnum hæreditarium & electivum, & omnis cessabit difficultas. In Regno electivo mortuo Rege, vel etiam sponte se abdicante, jus omne quòd Regi concesserunt subditi ad tempus vitæ, necessarium est redire ad ipsos mortuo illo Rege; neque enim aliàs ullum jus haberent alium eligendi. Sed in Regno hæreditario censendum est, subditos, à quorum sanè voluntate non minus pendet, ut sit regnum hæreditarium, atque ut sit electivum, non tantum ad præsentem Regem, sed ad familiam ex ipso descensuram transtulisse, iis conditionibus & legibus, quæ inter fundamenta Regni solent censeri. Quamdiu ergo familia ista conservatur jus habet ad regnum, quod non potest censeri relabi ad subditos, donec ipsa fuerit exstincta, nisi vi isto jure privetur. Ex quibus sanè, quid periculi possit redundare ad Politiam facilè fero, ut omnes æqui judicent rerum arbitri. Hæc autem omnia sunt intelligenda de talibus regnis, quę ex mutuo eoq; spontaneo pacto ortum habent. Aliam enim rationem obtinere agnosci in regnis despoticis, quæ imprimis locum habent, ubi vi armorum fuerunt subjecti, qui liberi essent, qui propterea duriori habentur conditione.

CCXLV. Cùm Justificatio peccatoris coram Deo sit actus forensis, judicavi ex naturâ judiciorum & fori loquendum esse in distinctius explicandâ Justificatione hominis peccatoris coram Deo, unde ad Syst. 11

§. 58

§. 53 hæc aliquanto prolixius dictavi: 1, *Forma Justificationis non debet confundi cum fundamento: Nostra justificatio, quia fit propter justitiam Christi imputatam, eo ipso Christi justitia est ipsius fundamentum: forma autem debet considerari in diversis justificationis actibus, qui primariò sunt actus advocati, secundariò actus judicis, qui justificare dicitur, dum suam sententiam conformem reddit sententiæ advocati. Primus actus fuit, quando Christus post absolutas suas passiones comparuit coram patre suo in cœlesti sacrario, exhibens ei plenissimam suam satisfactionem, & meritum, atque eo nomine nos asseruit & vindicavit immunes à merito condemnationis, cui actui conformis fuit sententia judicis, qui nos absolvit propter istam satisfactionem. Quia autem ista justificatio Christi facta est apud Deum sapientem & bonum, qui acquiescit in satisfactione præstitâ, hinc fit, ut justificatio nostra sit efficax, utque sequatur à parte Dei tanquam actoris reconciliatio, quæ hic est remissio peccatorum. Atque is est primus actus justificationis, qui fit extra nos à Christo advocato & Patre judice. Secundus actus justificationis est in foro conscientiæ, quando Spiritus Sanctus nobis intimat ea, quæ facta sunt a Filio & à Patre, unde fit ut ad nostras conscientias pacandas nos satisfactionem Christi allegemus & sic nos ipsos justificemus, quod fit per actum fidei, quem Spiritus Sanctus in nostris conscientiis operatur, quo nos immunes pronunciat à merito condemnationis propter justitiam Christi nobis imputatam, & priori actu fidei apprehensam, quo recubuimus in Christum tanquam auctorem salutis. Hunc actum alii actus justificationis in conscientiâ sequuntur, quâtenus reflectentes super actus fidei & bonorum operum, quos actus novimus nos propriis viribus edere non potuisse, eos habemus pro certis signis & testimoniis redemptionis nostræ per Christum, atque sic nos iterum pronunciamus justos & immunes a merito condemnationis. Quia tamen hi actus in conscientia vim & efficaciam accipiunt ab actu primo, quo Christus in cœlis nostram causam agit & Pater nos absolvit, hinc scriptura solet passive loqui de nostrâ justificatione, eamque Christo & Patri tanquam causæ efficienti attribuere.* 2. Imputatio & Remissio peccatorum *non formaliter sunt idem, sed juxta dicta remissio peccatorum necessariò sequitur istam imputationem.*

CCXLVI. Hæc omnia Theologus Celeberrimus improbat art. 126 num. 70, ubi primùm occultè mihi videtur tribuere, ac si actum Spiritus Sancti voluissem distinguere ab actu nostro, quo super priores actus reflectimus, sicque per consequentiam actus ille noster non sit dicendus actus à Spiritu Sancto effectus; quod ex meâ notâ non potest elici. Cùm enim ut jam superius animadversum fuit, *nos acti agamus*, Spiritus Sancti actio

non poteſt concipi in noſtrâ mente ſine actu noſtro, ſicque iſta reflexio ſuper noſtros actus, quæ eſt actus fidei, non minus Spiritui Sancto noſtra corda inhabitanti adſcribi debet, quàm prima intimatio, quæ quoque fidei eſt actus. Dein adducit contra me Rom. IV, 5, 6, 7 ad probandum, *imputationem juſtitiæ & remiſſionem peccatorum formaliter idem eſſe*, ad quæ ſi reſpondero per diſtinctionis Caſtanæi applicationem, eſſe *fundamentaliter idem*, quod ex Apoſtolo conficitur, non *formaliter*, tota iſta difficultas fuerit ſublata. Tandem, quoniam inquit, *me in his omnibus novum idioma obtrudere Eccleſiæ illi hucuſque incognitum*, ſcire ipſum velim me hæc omnia ex Theologo inter Anglos Celeberrimo Guilhelmo Bradshaw didiciſſe, qui talia tradidit diſſertatione de Juſtificationis Doctrinâ; quamvis ſi à Theologo adducatur explicatio quædam magis diſtincta, nitens analogiâ fidei & conveniens cum fundamentis Reformatæ Religionis, etſi ante hâc à nemine fuerit adhibita, non ideo ſit rejicienda. Sed vehementius contra me inſurgit num. 69 propter annotationem ex eodem Bradshaw deſumptam, ubi ad vulgarem diſtinctionem inter juſtitiam perſonæ & cauſæ obſervavi: *Potius diſtinguenda eſt juſtitia univerſalis & particularis: nemo hominum juſtus eſt univerſaliter propriâ juſtitiâ, quamvis nullus ſit, qui non ſit juſtus particulariter hoc vel illo in caſu, quo ſenſu etiam diabolus juſtus dici poteſt, quâtenus ſæpe ab hominibus impiis accuſatur, ac ſi ad ſcelera eos induxiſſet, quæ tamen animi deliberato conſilio & plenâ voluntate ipſi commiſerunt.* Sic enim exclamat: *En advocatum diaboli, qui eum juſtificare ſtudet, & ineptè arbitratur, non poſſe accuſari Tentatorem, ubi homines peccant deliberato conſilio:* quæ verba, ut Deus ipſi non imputet, ex amore quo ipſum proſequor, oro. Quando autem ſuppono, *homines animi deliberato conſilio & plenâ voluntate ipſos commiſiſſe peccata ea*, quæ in diabolum rejiciunt, ſatis apparet, me per *animi deliberatum conſilium & plenam voluntatem* intelligere talia peccata, in quibus ſuggeſtiones diaboli non habent locum, quorum reſpectu neque tentator eſt appellandus. An verò putat omnia & ſingula peccata committi ab hominibus ſingulari inſtinctu diaboli? Audiat ergò Rivetum Exercit. 29 in Geneſin: *Negamus igitur, omnes malas operationes hominum & cogitationes à diabolo incitari, quæ ſæpe ex arbitrii hominis motu proprio emergunt.* Quod ſi hoc non dicat, an fieri poſſe negabit, ut homines ſe ſeductos à diabolo ad aliquod peccatum, ad quod tamen nulla ejus ſuggeſtio intervenit, clament?

CCXLVII. Ex annotationibus illis meis, quas recitavi art. 245 dependet

pendet & exorta quoque fuit nota illa quæ facta est ad Syst. XII §. 14 ubi dicit Vir Venerandus, *Bona opera ad Justificationem non pertinent antecedenter, sed tantum consequenter,* ad quæ verba dictavi sequentia: *Nempe si spectetur actus Justificationis, qui est extra nos, item actus justificationis primus, qui est in nostra conscientia: sed quantum attinet ad actum secundum & sequentes, possunt bona opera, juxta antea dicta, etiam antecedenter considerari.* Quæ sententia cum Pontificiis nec cum Remonstrantibus quicquam commune habet, ut mihi imputatur num. 73 sed idem exprimit, quamvis aliquanto distinctius, quod dicit noster art. 51: *Jac. II, 24 tribuitur operibus Justificationis ostensio & manifestatio à posteriori, non meritum & materia à priori.* Quando enim ostenditur Justificatio & manifestatur ex operibus, opera utique ista debent considerari antecedenter ad istam manifestationem. Unde jam satis patet, nec quoque nos repugnare Augustino, nisi & propriam sententiam oppositam Augustino velit censere.

CCXLVIII. *Philosophicum* vero *nomen Virtutis* cùm *superbum* appellet Vir Venerandus Syst. XII §. 9. & tamen dicat *exstare in Scripturâ Phil. IV, 8 & 2 Pet. I, 5, 6,* nec potuerim hæc conciliare, notavi hæc sequentia; *Si eo nomine abstineret Scriptura a voce Virtutis, quod illa sit superba & Philosophica, ergo semper abstineret; alias enim esset dicendum, quòd Scriptura utatur interdum voce superbâ quod est absurdum.* Hæc necdum ab ipso video conciliari, sed tantum dici §. 127 num. 72 *me meliorem non assignare rationem istius infrequentiæ,* quod tamen necessarium non erat. Quis enim Deo dictanti Scripturam fuit à consiliis, ut diceret, quare rarius his vel illis vocibus utatur? Sufficit ad meam notam defendendam, quo utitur Scriptura, etsi rarius eo utatur.

CCXLIX. De Philosophico illo nomine, quod dicit Virtutis, quæritur iterum: An Pœnitentiæ sit tribuendum? Reverendus Vir Syst. XIII §. 6 inquit, *Pœnitentiam non satis propriè virtutem dici,* quorum explicandorum causâ hæc à me dictata sunt: *Hoc est, Pœnitentia non est virtus perfecta; nam, 1, qui nunquam neglexit ea facere, quæ meliora esse judicaverit, in quo solo consistit virtus, non opus habet pœnitentiâ, quæ ex eo procedit, quod credimus nos aliquid mali perpetrasse. 2, Virtutes omnes sunt absolutè necessariæ, non verò pœnitentia, si verò nunquam negligatur Virtus, nunquam opus erit pœnitentiâ. 3. Omnes virtutes præcipiuntur lege divinâ, decalogo, atqui pœnitentia potius est officium euangelicum, & conditio secundæ tabulæ recuperandæ post naufragium; ut tamen habeamus pœnitentiam pro virtute imperfectâ, qualis etiam est* vereçun-

verecundia nihil repugnat. Quæ quo jure reprehendat num. 75 dicatque, me *in gratiam Pontificiorum velle posse dici specialem virtutem*, non intelligo. Nihil hìc dico in gratiam Pontificiorum, nec specialem virtutem appello, quamvis si facerem, non posset esse hìc ulla controversia, nisi de nomine. Addit, *me conferre cum verecundiâ, quam non nisi semivirtutem solent Ethici appellare*, quod sanè idem est, ac appellatio *Virtutis imperfecta*. Sed cùm reverâ hìc nulla sit inter nos dissensio, nolo diutius huic rei immorari.

CCL. Sed de illo axiomate prout universaliter enunciatur in vulgari Philosophiâ, aliquis est dissensus. An scilicet absolutè illud sit verum, quòd *Partes se mutuo perficiant?* Hinc ad Syst. XV §. 8, ubi illud à Viro Venerando absolutè enunciatur, hæc notavi: *Hoc verum non est: nam partes non se mutuo perficiunt sed totum: sic anima non perficit corpus humanum, nec corpus animam: ita tignum & lateres non se mutuò perficiunt, sed juvant se in perficiendâ domo.* Quibus hìc art. 130 num. 90 regerit: *Adversatur sanæ rationi quod negat ad §. 8. partes se mutuò perficere: Corpori enim perfectionem suam obtingere per animam, vel inde patet, quòd ea recedente in putre cadaver abeat.* At hæc probatio nihil evincit. Supponit enim vitam corporis dependere ab animâ, cujus contrarium supra est observatum, cùm non moriatur corpus vitio vel defectu animæ, sed potius, quia, destructâ vitâ corporis illud corpus ineptum redditur ad functiones animæ in corpore exercendas, anima illud deserit. Nec tamen, si hoc concederetur, partes se *mutuò* perficere, posset dici. Ostendendum enim quoque fuisset, animam à corpore aliquam perfectionem recipere, quam non habeat.

CCLI. Tandem de Formæ & Materiæ terminis Philosophicis ambiguis hæc notaveram ad Syst. XVIII §. 15. *In controversiâ*, scilicet de Formâ & Materiâ, *parum est situm, modo enim omnia sint in sacramento, quæ Deus instituit, perinde est, quâ notione secundâ insignias, sive appelles formam sive materiam sive aliud quid.* Quæ Vir Celeberrimus his verbis reprehendit num. 120 *In gratiam Pontificiorum putat ad §. 15. nihil interesse, quòd definiunt solo elemento externo, materiam Sacramenti, verbo formam*; mihi imputans, quòd quæram gratiam Pontificiorum, de quo ne quidem cogitavi, nec mea nota quicquam eo facit. Voces verò istas esse ambiguas & notiones secundas, vario accipi sensu, vel ex §. 42 System. XVIII apparet, ubi materiam Baptismi facit duplicem externam & internam, similiter & formam duplicem externam & internam statuit; unde judico adhuc, præstare, ut relictâ istâ involutione rei istius per has notiones secundas ambiguas

biguas

biguas ad clarius intelligendam naturam ſacramentorum explicemus accuratè ſymbolum in ſacramento externum & deinde rem ſignificatam, quæ explicatio quoque nos expediet plurimis difficultatibus, quæ à Pontificiis aliiſque circa ſacramenta ſolent moveri.

CAP. XVII.

Explicationes quorundam Scripturæ locorum & Quæſtiones Theologicæ Problematicæ. Exponitur Col. II. 8. Conciliantur 1. Cor. X. 15. & Matth. XI, 25. Non Arriani, ſed antiquiores hæretici corruperunt 1 Ioh. V, 7. Difficultate non caret, ordinem in Decreto divino conſtituere, quod agnovit Subtiliſſimus Twiſſus. Ordo Decretorum divinorum quem ſtatuunt Theologi qui ſupra lapſum aſcendunt. Objectum Prædeſtinationis eſt homo poſſibilis ſive creabilis, quod probatur argumentis. Refutantur quæ in contrarium objiciuntur. Secunda dies Creationis non caruit benedictione, ſed verbum Gen. I, 9 אמר *exponendum eſt, & dixerat. Aves Gen. II, 19 dicuntur conditæ ex Terrâ. An Deus diem ſeptimum ab orbe condito cultui ſuo addixerit? De Sapientiâ Adami. Quare Chriſtus immunis fuerit à Peccato originali? De mandato Hoſeæ dato cap. I, 2.*

CCLII. SEd infiniti operis foret, omnem Philoſophiæ ſanæ & ſobriæ uſum oſtendere: poterit quilibet, qui eâ rectè & ſolidè fuerit imbutus plures uſus ejus dum Theologiæ ſtudium aggreditur, quotidie experiri. Sufficiant hæc pauca ex quibus ſatis ſuperque patere poteſt Uſus Philoſophiæ Carteſianæ in Theologiâ ampliſſimus eò inſerviens, ut & ea quæ communia ſunt Theologiæ cum Philoſophiâ plenius à Theologo & accuratius, adhibito utroque lumine Scripturæ & Rationis, intelligantur, & ea, quorum τὸ ὅτι ſola tradit Scriptura ex Philoſophiâ, mentem à corpore accuratè diſtinguente, & utriuſq; naturam diſtinctè explicante, atq; claræ & diſtinctę perceptioni ubique operâ dante, plenius cognoſcantur. Plures uſus & in dictatis meis comparent & in Collegiis occaſione examinum vel diſputationum à me ſolent explicari, atq;

à meis auditoribus cum fructu audiri & cognosci. Unde quoque apparet dissensum, qui inter me & Celeberrimum Virum intercedit maximam partem spectare quæstiones Philosophicas in Theologiâ usum habentes, quem quilibet æquitatis studiosus vel modestè debet ferre, vel cedendo veritati tollere. Pauca sunt adhuc alia merè Theologica in quibus dissentimus, quæ in sequentibus brevissimè discutiemus. Ex quibus tamen inspectis cuilibet patebit, eum spectare vel particularium quorundam locorum Scripturæ explicationes vel problematicas controversias, de quibus inter Theologos Reformatos salvâ Reformatâ Religione & pace Ecclesiasticâ potest & solet disquiri, & quarum quædam adhuc sunt dubiæ & verisimilibus potius quàm demonstrativis possunt propugnari argumentis.

CCLIII. Atque hîc occurrit primò Locus Coll. II, 8, quem, secutus Danhawerum in Ideâ Boni Interpretis & malitiosi calumniatoris pag. 143 explicui de doctrinâ Rabbinorum ad Syst. I. §. 15 ubi illam Philosophiam cujus Col. II, 8 fit mentio appellat ψευδώνυμον, hæc annotando: *Est enim tantum Philosophia potius nomine tenus quàm revera, quæ etiam in sequenti versu appellatur seductio inanis. Et quid intelligatur nomine istius Philosophiæ ad Col. II, 8 satis apparet ex sequentibus, scilicet doctrina Rabbinorum, quam nomine Philosophiæ jactitabant, per quam imponebant hominibus ea onera, à quibus portandis sub N. T. sumus liberati. Hinc appellatur traditio hominum, item Elementa mundi, item ostenditur, quòd constiterit in prohibitione ciborum &c.* In quibus non putabam à me Theologum nostrum dissensurum, quod video facere art. 110 num. 4. Josephus sanè tres sectas Pharisæorum, Sadducæorum & Essæorum vocat *tres Philosophias* lib. 18 Antiquit. cap. 2. Ita Eusebius Præparat. Euangelicæ lib. 8 p. 222. Doctores inter Judæos in duo genera distinguit & prius genus φιλοσοφίαν κατὰ τὴν ῥητὴν διάνοιαν, alterum θεωρητικὴν φιλοσοφίαν appellat. Nec ullum fore inter nos dissensum conjicere potui de notâ meâ ad Syst. I §. 16 ubi ejus sententiam, quod *Revelatio rationem supponat*, sic confirmo: *Revelatio enim fit hominibus & prudentibus, sicut Paulus dicit, ut prudentibus loquor 1 Cor. X, 15. Sed videtur ipsi.* num. 5. *hoc non posse conciliari cum dicto Christi Matth. XI, 25.* Mihi tamen facilis videtur horum duorum Locorum inter se invicem conciliatio. Nam Matth. XI, 25 opponit Sapientes hujus mundi, cujusmodi tempore Christi erant Pharisæi & Scribæ, qui turgebant Sapientiâ humanâ suis discipulis, qui ex fece plebis erant, magnam

partem

partem Piscatores, vel similis sortis homines. Cùm ergo tempore Christi, hi attenderent ipsius vocationi, & ad Christum tanquam Messiam diu exspectatum, se reciperent, illi verò contemnerent Dei consilium Luc. VII, 30, Servator hæc ad animum sibi revocans laudat & celebrat æternum Dei Patris sui Decretum, juxta quod omnia ista ei eveniebant. Hæc tamen verba Christi non obstant, quò minus Nicodemus ex Pharisæorum numero in Christum credidisse sit censendus, vel Paulus eruditus ad pedes Gamalielis Euangelii doctrinam susceperit & prædicaverit. Multò minus inferunt, homines non debere sese prudenter gerere & cum ratione agere in suscipiendâ fidei doctrinâ, quo facit 1 Cor. X, 15.

CCLIV. De Loco 1 Joh. V, 7, qui in quibusdam exemplaribus non exstat, quæritur, cujus fraude fuerit factum, ut in istis exemplaribus non conspiciatur? Celebetrimus Vir Syst. III §. 47 id fraude Arrianorum factum censet, quod cum meo calculo probare non possem, hæc sequentia dictavi: *Id tamen verum non videtur; non quidem locus ille potuit esse insertus ab Orthodoxis tempore Arrianorum, uti suspicantur Sociniani, quia allegatur iste locus à Cypriano, qui vixit ante ortos Arrianos, item ab Hieronymo & Fulgentio, quos duos adversarii agnoscunt habuisse vetustissima exemplaria; nec tamen dicendum est Arrianos hunc locum ex quibusdam exemplaribus delevisse; nam, 1. hi non potuissent corrumpere exemplaria Athanasii & aliorum suorum adversariorum, in quibus tùm iste locus non reperiebatur. 2. Orthodoxi procul dubio fuissent de fraude ista Arrianorum conquesti, at hoc nullibi fecerunt. Corruptus ergo potius hic locus est sub Commodo, Pertinace, Severo Imperatoribus ab Artemone ejusque discipulis, qui similiter* jam ante Arrianos negabant Christi divinitatem. Id profiteor me didicisse ex Cl. Vedelii Opusculis Theologicis, in quibus pag. 49 & seqq. prolixius eam, quam hic proposui sententiam, defendit. Quod autem hîc art. 113, num. 23 Vir Celeberrimus objicit, *vix credibile esse tantum valuisse Artemonis artes ante Arriana tempora*, ad id respondit Vedelius ex Antiquitate Ecclesiasticâ pag. 51 & seqq. citato ad id Eusebio lib. 5. cap. 25 ubi docet Artemonis sive Theodori Coriarii discipulos Asclepiodotum & Theodotum Trapezitam, quo tuerentur hæresin suam, nimirum, Christum nudum tantùm hominem esse, ex professo hoc egisse, ut propriis manibus suis corrumperent, mutarent, eraderent Scripturas, idque non clam, sed apertè fecisse, dicendo: se corrigere Scripturas sacras. Observat idem Vedelius ex Eusebio lib. 4 cap. 23 tempus antiquius quoque & prius, istius corruptionis scripturarum

rum sub Aurelio & M. Antonio Vero Imperatoribus, quo hæretici non tantum textum Scripturarum sacrarum corrumpere conati sunt, sed ipsa scripta Dionysii Episcopi Alexandrini, eo adhuc superstite, & de hâc corruptione apud Eusebium conquerente.

CCLV. Sequitur Quæstio Problematica inter nostros Theologos, consentientes in articulis, qui contra Remonstrantes in Synodo Dordracenâ sunt constituti, agitata, de Ordine in Decretis de Prædestinatione hominum concinnandis observando, atque inde orto objecto Prædestinationis. Etsi enim certum sit, Deum unico eoque simplicissimo actu omnia ea quæ futura sunt decrevisse, non tamen dubitari posse videtur, an in unico isto Decreto divino considerando, nos oporteat aliquem constituere ordinem? Nisi quis dubitare quoque eâdem operâ velit, utrum debeamus considerare decretum divinum? Cùm igitur certum sit & indubitatum, nos debere considerare decretum divinum, eaque consideratio non possit fieri unico actu, sed diversos ob imperfectionem nostri intellectus requirat, dubitari quoque non debet, quin nostros hos conceptus & cogitationes debeamus certo aliquo, & cum perfectione Dei convenienti ordine adjuvare. Fateor autem hîc libenter, non carere difficultate illam istius ordinis constitutionem, & fortè fieri posse, ut non omnia assequamur, & satis convenienter ponamus ob imperfectionem nostræ mentis, quæ non comprehendit divina, quæque valdè est proclivis ad cogitandum de Deo ad imaginem hominis. Ipse Twissus, qui præ aliis in hoc negotio diu multumque sudavit conqueritur in Vindiciis Gratiæ Dei &c. Lib. I Edit. in 4° pag mihi 53 b. *Se quotiesitentaverit seriem decretorum divinorum, sive à scholasticis, sive à nostris Theologis contextam, sensisse in Labyrinthum inductum, ut censuerit vel supersedendum vel posterioribus cogitationibus reservandum.* Et pag. 78 b. *Post multam inquisitionem & diligentem examinationem eorum, quæ vel Pontificii vel nostri Theologi de Decretorum divinorum ordine meditati sunt, in quibus mihi satisfacere non potui, tandem nova series emersit,* quam ibidem ponit. Istum Ordinem in constituendis & ordinandis decretis divinis cum Subtilissimo Twisso observantes Theologi Supralapsarii appellari solent ex eo, quòd supra lapsum ascendant in constituendo fine supremo hominis, cum alii qui hominem prius lapsum spectant, antequam supremum hominis finem cognoscant, Sublapsarii soleant denominari. Ego itaque maturo adhibito judicio, re altius expensâ, deprehendi sententiam istam Sublapsariorum non posse

conci-

conciliari cum summâ Dei & perfectissimâ sapientiâ ejusque absolutâ independentiâ, quam & naturæ lumen docet, & Scriptura ubique urget. Eâ ergo relicta contuli me lubente animo in Supralapsariorum castra, quamvis in eâ non statim omnia quoque essent pervia, sed quidam scrupuli hærerent animo, quorum in dictatis meis, quæ in Theologi Celeberrimi manus pervenerunt vestigia quædam remanserunt, donec hâc præteritâ hyeme & hi ipsi omnes fuerunt superati.

CCLVI. In Ordine hoc constituendo incipiendum à Fine, quem Deus revelat, & pergendum ad Media, quæ in Scripturâ ad istum Finem ordinata referuntur. Etsi enim fines Dei non debeant inquiri, nec possint inveniri ex rationis lumine, prout supra ostensum, si tamen Scriptura nobis revelet Dei aliquos fines, & media ad istos fines obtinendos inservientia, & illos fines considerandos esse, & ita considerandos, ut ab eorum contemplatione incipientes ad media progrediamur, nemini dubium esse potest. Dico igitur, 1, Deum voluisse se glorificare tanquam gratiosum & misericordem in certis quibusdam hominibus, in aliis verò glorificari tanquam justum, qui est actus de fine. 2, Voluisse, ut in uno homine omnes ejus posteri sive totum genus humanum fierent miseri, adeoque hominem primum creare constituisse cum Justitiâ originali, sed mutabili, ejus lapsum permittere, eumque omnibus posteris, quos ex ipso continuâ generatione voluit procreare, imputare 3 Ut obtineret glorificationem gratiosæ misericordiæ voluisse certos quosdam ex istis hominibus ex lapsus miseriâ liberare per Christum, eumque iis contulisse Redemptorem, eosdem voluisse ad ipsum per Fidem vocare efficaciter, justificare, sanctificare atque æternâ beatitudine glorificare 4. E contrariò verò, ut obtineret glorificationem justitiæ, voluisse alios quosdam certos in illâ miseriâ relinquere, iisque negâsse æterno suo consilio Christum Mediatorem, negâsse vocationem per fidem, Justificationem & Sanctificationem, atque voluisse tùm propter communem illam miseriam in peccato originali, tùm propter peccata quævis actualia æternum damnare.

CCLVII. Atque ita convenienter his statuimus, objectum prædestinationis, quod concipitur ut prius omni Prædestinationis actu, esse hominem possibilem sive creabilem, rejicientes sententiam eorum, qui Decreta de homine creando & de lapsu ejus permittendo Prædestinationi præmittunt tanquam diversa, adeoque Prædestinationis Objectum statuunt hominem lapsum. Atque hujus nostræ sententiæ hæc 3 primaria

dictavimus argumenta ad Syst. IV §. 34. 1. *Quia Paulus ad Rom. IX in tuenda & salvandâ promissione Dei, quod ea non exciderit, etsi plurimi Judai persequerentur Euangelium, nunquam faciat mentionem peccati, sed semper ad absolutam potentiam Dei se convertat.* 2, *Comparatur Deus cum figulo, qui ex materiâ in se nec ignominiosâ nec honorificâ condit vasa ad decus & ad dedecus: si ergo Paulus putasset hominem lapsum esse objectum Pradestinationis, non potuisset dicere, Deum ex eâdem massa condere vas aliquod ad decus, sed potius dicendum ei fuisset, eum vel vas dedecore plenum in isto dedecore relinquere, vel voluisse illud reparare*; 3 *Si objectum pradestinationis sit homo lapsus, non erit permissio lapsus medium in isto decreto, nec destinabitur ad exercitium Dei justitia & misericordia, quo posito illa ipsa permissio lapsus nullum habebit finem; qui enim fines afferuntur ab aliis non sunt revera fines, nam infirmitas Liberi Arbitrii non est finis Dei sed hominis; verum hic Dei esset finis quod immutabiliter ageret; atqui hoc ex pradestinatione tali non potest fieri manifestum quando eum, quem integrum creavit, labi permittit.*

CCLVIII. Sed hîc Vir Celeberrimus art. 115 num. 29 hos mihi imputat de hâc doctrinâ errores 1 *quòd pradestinationem ut est Dei Decretum distinguam à Pradestinatione, ut sonat destinationem ad pœnam vel pramium*; cui opponit: *quasi hac ad Decretum Dei non pertinerent.* Mea verò nota ad Syst. IV §. 34 sic habet: *si consideretur totum Dei decretum pradestinationis, non potest homo lapsus dici ejus Objectum, cùm enim in isto Decreto Finis sit gloria Dei illustratio, latius Objectum pradestinationis sic accepta extendi debet: sed si per Pradestinationem intelligamus partem istius Decreti, nempe destinationem hominis ad salutem vel ad damnationem, sic potest homo lapsus esse ejus Objectum*, quæ an eadem sint cum iis, quæ mihi impingit, & an destinationem ad pœnam vel præmium dicam non pertinere ad Dei Decretum, judicium sit penes lectorem: 2, *me distinguere inter destinationem ad justitia exercitium, qua pracedat peccatum, & destinationem ad pœnam qua peccatum ipsum supponat; cùm tamen ipsa pœna inflictio sit exercitium justitia divina, nec possit Deus justissimus velle justitiam suam exercere, nisi in peccatorem: Absit enim ut velit exerceri justitiam in creaturam ullam, priusquam iram ejus suo peccato provocaverit*: quibus puto ipsum respicere ad ea quæ dictavi ad Syst. IV §. 36, ubi ad ipsius argumentum: *Nec quisquam apud Justissimum Deum est reprobabilis nisi lapsus & peccator*, sic respondi: *Falsum hoc est si per reprobabilitatem intelligatur possibilitas destinationis ad exercitium justitia; sed verum est si intelligatur per reprobabilitatem destinatio hominis*

nis ad mortem æternam. Quod verò hîc adducit ad id refutandum argumentum imbecillum nimis eſt, & jam diu à Twiſſo aliiſque refutatum. Etſi enim pœnæ inflictio ſit exercitium adeoque actus juſtitiæ divinæ, tamen non eſt actus juſtitiæ divinæ deſtinatio ad pœnam vel ad exercitium iſtius juſtitiæ. Eſt verò ambiguitas in illâ locutione, velle exercere juſtitiam ſuam: intelligi enim ea poteſt, vel voluntas, prout deſignat æternum Dei Decretum, quo Deus quoſdam deſtinavit ad exercitium juſtitiæ divinæ, vel prout deſignat voluntatem Dei efficacem, quâ in tempore iſtam ſuam juſtitiam exercet. Si poſteriori ſenſu accipiat, fateor, *Deum non velle exercere iuſtitiam ſuam in creaturam ullam, priuſquam iram eius ſuo peccato provocaverit*; at id nihil facit ad præſens negotium, ubi voluntas Dei ſumitur pro æterno Dei decreto, quo Deus quoſdam deſtinavit ad exercitium juſtitiæ ſuæ, quo ſenſu nego, debuiſſe hominem prius conſiderari ut peccatorem. Non enim ſequitur, ſi voluntas Dei efficax, quâ exercet juſtitiam ſuam, præſupponit hominem peccatorem: E. etiam decretum Dei, quâ vult eam exercere: niſi ſimili ratione inferre velis: ſalvatio & damnatio præſupponit miſeriam & culpam actu exiſtentem. Ergo etiam decretum ſalvandi & damnandi eam ſupponit: Item ſalvatio, quia fit per juſtitiam quoque Dei remunerativam, ſupponit bona opera, & damnatio ſupponit quævis peccata actualia, quia æquè fit propter hæc ac propter peccatum originale: E. etiam decretum ſalvandi ſupponit bona opera, & decretum damnandi ſupponit quævis Peccata actualia.

CCLIX. 3. inquit, *me diſtinguere inter Obiectum Prædeſtinationis latiùs ſumptæ, quæ ad omnes creaturas extendatur, & cuius finis ſit divinæ gloriæ illuſtratio, & eam partem decreti Prædeſtinationis, quæ ſit deſtinatio hominis vel ad pœnam vel ad ſalutem, cuius Obiectum ſit homo lapſus; ac ſi iſta deſtinatio non ordinaretur ad gloriæ divinæ illuſtrationem*; quibus non puto aliò reſpicere, quam ad illam notam meam ad §. 34 quæ hic deſcripta eſt art. 257, ubi tamen non dico, Prædeſtinationem latius ſumptam *ad omnes creaturas extendi*, neque alibi id in meis dictatis comparet: neque nego illâ notâ, *iſtam deſtinationem non ordinari ad gloriæ divinæ illuſtrationem*, uti cuilibet notam iſtam inſpicienti patebit; 4. *me aſſerere, poſſe homines nondum lapſos deſtinari ad exercitium miſericordiæ aut iuſtitiæ; quaſi deſtinari ad exercitium miſericordiæ poſſit homo non miſer, aut iuſtitiæ & pœnæ, homo non peccator: Deſtinatio enim hominum ad exercitium miſericordiæ & iuſtitiæ, vel eſt deſtinatio eorum ad miſeriam & peccatum, quod nemo ſanus dixerit, vel deſtinatio ad liberationem*

ex

ex miseriâ, aut inflictionem pœnæ, quarum utraque supponit peccatum. Ita est, assero non tantum posse homines nondum lapsos destinari ad exercitium misericordiæ aut justitiæ, sed & illud probo eâ notâ, quæ est citata art. 257. Destinatio hominum ad exercitium misericordiæ & justitiæ est destinatio eorum ad hunc finem, quem Deus intendit, scilicet, ut exercendo misericordiam & justitiam glorificetur tanquam misericors & justus: non ergo formaliter loquendo est destinatio eorum ad miseriam & peccatum, sed hæc destinatio eorum ad miseriam & peccatum est pars medii, quod necessarium fuit, ut Deus istam misericordiam & justitiam exerceret, uti apparet ex art. 256. Sic autem destinari potest ad miseriam & peccatum homo, qui ante istam destinationem consideratur ut nondum miser, sicut destinari potest ad exercitium justitiæ remunerativè homo, qui nondum consideratus fuit ut bona opera operatus.

CCLX. 5 dicit, *me ridicule asserere Synodi Nationalis definitionem, sistentem in homine lapso circa obiectum prædestinationis, spectâsse Remonstrantes non alios; quasi ea non pertinuerit ad veram expositionem doctrinæ Ecclesiasticæ ex Dei verbo de hâc quæstione.* Ego verò dico ad System. IV §. 35. *Definitionem Synodi Dordracenæ non tàm spectâsse eos, qui inter orthodoxos de Obiecto Prædestinationis dissentiebant, quàm Remonstrantes*, cujus dicti rationes sunt, tum quòd Synodus ista contra Remonstrantes fuerit convocata, non contra Supralapsarios, tùm quod verba canonis 7 nihil contineant, quod Supralapsariis adversetur. Hoc malo verbis Twissi quàm meis ostendere, quæ habentur Lib. I pag. 121. a. *Denique Synodus Dordracena canone 7 Electionem sic definit:* Electio est immutabile Propositum Dei, quo ante jacta mundi fundamenta, ex universo genere humano certum numerum hominum, non quidem meliorum aut digniorum, sed in communi cum aliis miseriâ jacentium, & ex originali justitiâ propriâ ipsorum culpâ prolapsorum in peccatum & corruptionem secundum liberum beneplacitum voluntatis suæ ex merâ gratiâ elegit ad salutem. *Nihil prorsus*, inquit Twissus *occurrit in universâ istâ Electionis definitione, quod non ambabus ulnis amplectimur. Hinc enim tantùm sequitur, peccatum & corruptionem præcurrere saluti, Electioni verò ad salutem præcurrere nullâ legitimâ illatione colligitur. Certissimum enim est, præcurrere non posse nisi ut prævisam & à Deo consideratam; prævisionis verò aut considerationis istius nulla usquam in his verbis vestigia concipiuntur. Decrevit Deus quosdam homines in Adamo lapsos salvos facere, hoc verissimum esse judicamus. Sed non minus verum & hoc: decrevit Deus omnes*

verè

verè credentes in Christum & resipiscentes salvos facere. Verum sicut ex posteriori non sequitur, prævisionem fidei & resipiscentiæ; ita neque ex priori prævisionem lapsus in Adamo præstruendam esse decreto salvandi. In utroque sequitur, tàm fidem & resipiscentiam, quàm lapsum in Adamo præcedaneam esse saluti, idque secundum rerum naturam, non modò secundum prævisionem: Sed considerationem horum omnium & singulorum præmissam fuisse destinationi ad salutem, nullâ legitimâ ratione conficitur.

CCLXI. 6. Me sic reprehendere pergit: *Contra sua Philosophiæ principia de non inquirendo in fines, quos Deus sibi proposuit in suis conciliis, negat, Deum in permissione lapsus intendisse patefacere homini infirmitatem sui liberi arbitrii; adeo metuit, ne hoc Idolum, in quo erigendo & sustentando totus est ex suis Pelagianis principiis, aliquid damni patiatur; neque hic finis tolleretur posito quod insuper Deus voluerit permittere lapsum, ut ex hominibus lapsis, alios erigeret per misericordiam, alios in miseria suâ relinqueret in exercitium justitiæ: quamvis rectè definiverit Synodus Nationalis in 1. cap, doct. §. 1. quòd cùm omnes homines in Adamo peccaverint, & rei sint facti mortis & maledictionis æternæ, Deus nemini fecisset injuriam, si universum genus humanum in peccato & maledictione relinquere, ac propter peccatum damnare voluisset:* Quæ spectant argumentum meum tertium, quo contra sententiam istam fui usus, quod recitavi supra art. 257. Ex quibus apparet, me ostendere, permissionem lapsus pertinere ad medium Prædestinationis, & tendere ad excercitium divinæ justitiæ & misericordiæ tanquam ad finem, quod probo, quia alius finis non potest adduci à Sublapsariis, & is qui adducitur, ostensio infirmitatis Liberi Arbitrii, non est finis Dei, quod ibi probo. Sic non ago contra meæ Philosophiæ principia, qui non inquiro fines Dei, quos in æterno suo consilio occultos mihi esse voluit, sed eos, quos revelavit admitto, quos homines excogitarunt, cujusmodi est ille de ostensione Infirmitatis Liberi Arbitrii rejicio. Sic vero non nego, Liberum Arbitrium per lapsum infirmum redditum, qui omnem eam corruptionem, quam communi consensu docent Reformati per lapsum introductam admitto, ut vel ex verbis meis apparet, quibus dico, *istam ostensionem infirmitatis Liberi Arbitrii*, quam utique hîc suppono, *finem rei appellari posse, quatenus consequatur ex permissione lapsus, non finem Dei*, nec ullibi in meis Dictatis quicquam reperitur, quod ad stabiliendum Idolum Liberi Arbitrii inservire possit; unde mirari satis non possum, quare hoc mihi Vir Clarissimus impingere voluerit. Quæ verò hîc addu-

cit ex Synodo Dordracenâ nihil faciunt contra me, sed iis planè subscribo.

CCLXII. 7. *Distinguit*, de me loquitur, *inter electionem strictè sumptam, pro destinatione ad salutem, & late acceptam, pro destinatione ad exercitium misericordiæ, ut scilicet, hujus quàm illius exequendæ media latius pateant; quia ita vult: Solus enim sapit, & qui hactenus hoc caput doctrinæ tractarunt, sive supra lapsum ascendentes, sive in lapsu subsistentes circa Prædestinationis Objectum, nihil hic istiusmodi intellexerunt: an fortè voluit cum Jesuitis eorumque consortibus, distinguere inter Electionem ad gratiam & electionem ad gloriam hariolari nequeo.* Respicit ad notam ad Syst. IV. §. 40. *ubi Media Electionis æternæ dicit Redemptionem per Christum* &c. quæ quo sensu possint admitti, dixi his verbis: *Hic accipi debet electio strictè dicta, pro destinatione ad salutem; cum aliàs latè accepta designet destinationem ad exercitium misericordiæ, quo sensu etiam alia ejus media sunt consideranda.* At hîc nihil singulare habeo, quod non sit admittendum ab omnibus supralapsariis, cum ex horum sententiâ necessaria planè videatur ista distinctio. Neque opus erat, ut hariolaretur, an voluerim distinguere inter electionem ad gratiam & electionem ad gloriam, quam distinctionem cum Nostro planè rejicio. Satis patet ex sententiâ Supralapsariorum, si electio designet destinationem ad exercitium misericordiæ esse ejus medium tùm commune Creationem hominis mutabilis & lapsus permissionem, tùm particulare Liberationem ex isto lapsu & miseriâ, uti videre potest à nobis explicatum art. 256.

CCLXIII. *Denique*, sic concludit suam in me censuram, *reprobabilitatem facit duplicem, destinabilitatem, scilicet, ad exercitium justitiæ, cujus causa non sit peccatum, & destinabilitatem ad damnationem, quæ peccato nitatur: quasi vel creatura planè innocens, possit destinari à Deo ad exercitium suæ justitiæ, id est revera ad pœnam; vel respectu Dei, possit concipi ullum discrimen inter damnationem creaturæ, & divinæ justitiæ exercitium in illa.* Quæ spectant notam meam ad Syst. IV. §. 49. *Reprobabilitas duplici sensu accipitur vel prout significat destinabilitatem, ut sic loquar, ad exercitium justitiæ, ita ejus causa non est peccatum, sed demum prout designat destinabilitatem ad damnationem.* Quæ verò his opponit similia sunt iis, ad quæ jam responsum fuit art. 258. & 259. Quid enim impedit, quo minus possit creatura rationalis possibilis sive creabilis destinari à Deo ad exercitium gloriæ suæ justitiæ, quod non subit rationem pœnæ in isto primo actu

de

de fine, sed ista demum pœna, quæ in damnatione consistit, ad hanc Dei glorificationem in justitiâ suâ refertur ut medium. Quando enim dixi *de destinabilitate ad exercitium justitiæ* intelligenda est justitia gloriosa, sive gloria justitiæ, convenienter iis, quæ Supralapsarii docent de Fine Dei, & quæ à me fuerunt notata ad Syst. IV. §. 34. quæ hic recitavimus art. 258.

CCLXIV. Quæstiones duæ sequuntur spectantes historiam Creationis adeoquè explicationem locorum quorundam Scripturæ. Prior pertinet ad benedictionem secundi diei & tertii, de qua communis est sententia, nullam secundæ diei assignatam fuisse, duplicem tertiæ. Ex qua hypothesi variæ à variis adducuntur rationes, quare opus secundæ diei benedictione fuerit destitutum, Viro Clarissimo Syst. V. §. 20. id eo referente, quod *maris opus tum quidem affectum, non autem perfectum fuerit*. Mihi verò omnis difficultas evanuit, ubi legi Magnum Vossium, qui Lib. II. de Idololatria cap. 67 prolixius hanc sententiam improbat, adductâ auctoritate Picharelli & quorundam Rabbinorum. Hinc factum, ut ad §. 20. hæc sequentia annotarem: *Id* (scilicet quod secunda dies caruerit solemni benedictione) *non probabile videtur, modo recte ordinentur opera dierum; id enim quod hic refertur ad opus tertii diei, scilicet, secretio aquarum super terram in unum locum, potius referendum est ad secundum diem, atque ita habebimus aliquod opus secundi diei perfectum & absolutum; aliàs duplicem habebit benedictionem dies tertia, secunda nullam, quod est absurdum.* Sic jam, prout vult Vossius, verba illa versu 9. ויאמר אלהים interpretanda fuerint, *& dixerat*, quod non raro fieri oportere notum est iis, qui Elementa Hebraicæ linguæ intelligunt. At Noster art. 117. num. 20. huic notæ sequentia oggerit: *Quæ omnia*, inquit, *ex Cartesiano fumo concepta αὐτοψία textus Mosaici & concors interpretum sententia clare refutat*, quæ jam facile ex dictis refelluntur: hæc enim è Vossio me hausisse jam monui, neque quicquam ad Cartesianam Philosophiam spectare possunt; αὐτοψία vero textus Mosaici, collata cum ratione in meâ notâ adductâ, contrarium planè evincit. Hanc quoq; sententiã sequitur Magnus Bochartus de Animalib. Part. 1. p. 55. *Sciendum est*, inquit, *primo biduo Creationis Deum magnas mundi partes fecisse*, & maria & terras, & quod tegit omnia cœlum. *Secundo biduo mundũ sua supellectile instruxisse, atque exornasse, cùm creavit in terrâ plantas & in cœlo sidera: Tertio deniq; biduo incolas addidisse, nempe aves, pisces, bestias, & postremò ipsũ hominem.*

CCLXV. Altera quæſtio pertinet ad materiam, ex quâ aves cenſendæ ſunt conditæ. Ex terrâ eas factas eſſe dixi ad Syſt. V. §. 13. adducto loco Geneſ. 11. 19. *Cum formaſſet Jehova Deus è terra omnes beſtias agri, omnesque volucres cœli.* In quo non putabam diſſenſurum à me Virum Celeberrimum, quod ipſum facere nunc video num. 33. opponentem Gen. 1. 20. Ubi *disertè creationem avium* dicit *conjungi creationi piſcium productorum ex aquâ*, & ad locum à me adductum Geneſ. 11. 19. reſpondet, *dici quidem, Deum formaſſe ex terrâ beſtias & formaſſe quoque aves, ſed non dici, formatas aves ex terrâ fuiſſe.* At ex collatione horum duorum locorum inter ſe invicem patet, longè probabilius eſſe, ut aves ſtatuantur factæ ex terrâ, quam ex aquis. Nam Geneſ. 1. verſu 20. non dicuntur reptilia animalia una cum volucribus facta eſſe ex aquis, cum expreſſè dicatur de ſolis reptilibus, ישרצו המים שרץ נפש חיה, quæ ad verbum ſic reddi poſſunt: *verminent aquæ reptilibus animâ vivente* ab his verò ſegregantur aves ועוף יעופף על הארץ *& volucris volet ſuper terram*; at Gen. 11.19. *Et fecit Jehova Deus ex terra omnem beſtiam agri & omnem volucrem cœli* videtur illud, *ex terrâ* intelligendum ἀπὸ τοῦ κοινοῦ, ut illa verba omnia, *Et fecit Jehova Deus ex terrâ*, ſint æquè applicanda volucribus cœli, ac antea beſtiis agri fuerunt applicata. Quæ enim ratio erit quare priora: *Et fecit Jehova Deus*, conſtruamus cum ſequentibus, hoc modo: *Et fecit Jehova Deus omnem volucrem cœli*, reſecemus verò quæ cum illis conjuncta *ex terrâ*, ac tantùm beſtiis agri applicemus. Cum ergo hic locus citra ullam coactionem nos eò deducat, ut dicamus, Deum feciſſe volucres è terris, nec citra vim videantur reſecari verba *ex terrâ* à prioribus, locus verò Geneſ. 1. 20. diſtinguat ſatis manifeſtè per uſum diverſæ phraſeôs formationem reptilium à formatione volucrium, hæc ſententia, quæ materiam volucrium ſtatuit fuiſſe terram, alteri præferenda. Nititur ea conſenſu nunquam abſque honore nominandi Bocharti *de Animalibus* Part. 1. pag. 55. ubi inter alia ſic inquit: *Alii in his verbis*; Et formavit Deus è terrâ omnes agri beſtias, & omnes cœli aves, *volunt illud* è terrâ *ſolum ad beſtias pertinere, non item ad aves, quæ interpretatio Sacro textui vim manifeſtam facit. Maneat igitur id, quod diximus*, ex Prophetæ *mente tàm aves, quàm quadrupedes terræ debere ſuam originem.* Non tamen res iſta tota magni videtur momenti, & quæſtio tantum eſt de particulari alicujus loci explicatione, quarum neutra cum analogiâ fidei pugnat.

CCLXVI. Quæſtio merè problematica eſt: An Deus diem ſeptimum

mum ab orbe condito addixerit cultui suo? circa quam Vir Celeberrimus affirmantium sententiæ accedit. Et cum is niteretur Genes. 11. 3. Syst. V. §. 24. ego hæc sequentia annotavi: *Id tamen ex illo loco non potest demonstrari; sæpissime enim fieri solet in Scripturâ, quod id quod longo tempore post factum, tunc referatur factum esse, quando istius fit mentio; Sic impropriè in Genesi tribuitur multis locus ea determinatio, quæ tamen longo post tempore fuerunt consecuta: Sic Exod. 16. ubi de manna agitur, dicitur quod Aaron urnam deposuerit ad perpetuam ejus memoriam, quod tamen longo tempore post fuit factum.* His alia exempla plura addi possent, ex hoc ipso capite desumta Genes. 11. 8. 11. 13. 14. & similia, quæ passim occurrunt. Quod si tamen concedamus, istam Sanctificationem septimi diei factam esse, quando quievit Deus ab operibus suis, adeoque, Deum primum septimum diem Sanctificasse, nondum evincetur, institutum hîc esse à Deo, ut quilibet septimus dies Dei singulari cultui addiceretur, cum nihil aliud inde colligi queat, quàm, quod & moralitas IV. præcepti docet, omnem ætatem agendam hominibus in meditandis Dei operibus, & Deo glorificando. Unde jam facilè apparet, perperam ab ipso num. 34. mihi imputari, *quod quartum præceptum Decalogi suâ sede emoveam, & omnem ejus moralitatem evertam.*

CCLXVII. Sic quoque doleo, quod suspicetur num. 37. me accedere ad Socinianos in quæstione de sapientiâ Adami. Ego verò Adamum insigni Sapientiâ à Deo præditum fuisse cum omnibus Orthodoxis assero, cum quibus rejicio Socinianos puerilem ignorantiam ei attribuentes, quod satis ostendi meâ notâ ad Syst. V. §. 55. *Quæ sanè* puerilis *ignorantia fuisset magna imperfectio, ut esset ignarus rerum omnium: id quod dici non potest de eo, qui primùm ex manibus Dei prodiit.* Istam tamen Sapientiam Adami tantam fuisse, ut non potuerit cum tempore augeri, asseri non posse existimo; nec etiam negari posse video, quin per revelationem multa debuerit addiscere, cujusmodi esse non dubito ortum Evæ miraculosum; cum impossibile sit ea quæ ex merâ Dei voluntate pendent aliter cognosci, quam per revelationem. Ex nominibus, quæ imposuit animalibus, colligi posse eam sapientiam, quâ intimam animalium istorum constitutionem & naturam Philosophicè & scientificè cognoverit, nondum potui deprehendere, quamvis non negem habuisse cognitionem Animalium historicam, similem ei, quam nunc multis sumtibus, & peregrinationibus longis sæpe homines sibi acquirunt.

CCLXVIII. Porro ad Syst. VI. §. 37. annotavi, extraordinariam Christi formationem non facere ad id, ut Christus eximatur à reatu, quem homines contraxerunt in Adamo, his verbis: *Si Christus fuisset fœderaliter consideratus in Adamo peccante, etsi extraordinarie fuisset formatus, tamen obnoxius esset isti peccato; ergo non ex illa supernaturali generatione colligendum est, quod non fuerit in fœdere Adami, sed potius, quia non fuit in fœdere Adami, debebat ergo esse ejus talis nativitas.* Qua annotatione tantum indico, ex isto solo fœdere, quod Deus pepigit cum Adamo & cum omnibus illis, qui in ipso tunc à Deo censerentur, arcessendum esse reatum peccati originalis, atque ex hoc solo Christum dicendum immunem à Peccato Originali, non ex miraculosâ quâdam & extraordinariâ formatione. His opponit Vir Venerandus num. 38. *E contrario nequivisse ita extraordinarie & supernaturaliter concipi ex Spiritu Sancto & nasci ex matre Virgine, modo planè miraculoso, si fuisset fœderaliter in Adamo, & sic contrahendæ noxæ originalis debitor; siquidem nemo fuit fœderaliter consideratus in Adamo, nisi qui ex ipso per ordinarios naturæ tramites erat proditurus.* Unde verò hoc patet, non potuisse aliquem nasci ex Virgine planè miraculosâ operatione divinâ, qui fuit fœderaliter consideratus in Adamo? quænam hîc est repugnantia? Fateor, neminem fuisse fœderaliter consideratum in Adamo, nisi qui ex ipso per ordinarios naturæ tramites erat proditurus, sed nego, non potuisse sic considerari; nego, hæc duo sibi invicem repugnare, ut quis fœderaliter consideretur in Adamo, & tamen ex ipso prodeat miraculosâ quâdam & extraordinariâ generatione. Quid enim dicemus de Isaaco & Joh. Baptistâ, qui ex matribus effœtis & sterilibus fuerunt nati, extraordinariâ sanè & miraculosâ generatione? an negabimus eos propterea non fuisse fœderaliter consideratos in Adamo?

CCLXIX. De Mandato Hoseæ dato cap. 1. 2. quo jubetur *accipere sibi fœminam scortationis & natos scortationis*, dubium esse puto, an hoc mandatum propriè & in re sit sumendum, an in ecstasi & visione, an verò planè parabolicè. Vir Clarissimus Syst. VII. §. 12. parabolicè id sumit, hoc addito argumento, cùm non potuerint iidem liberi à Prophetâ & assumi cum Matre, & ex eâ gigni, quod dicitur in sequentibus. Hujus argumenti vim & efficaciam cum nullam potuerim deprehendere, sic annotavi: *Hoc* (scilicet quod iidem liberi à Prophetâ fuerint assumpti à matre & ex eâdem geniti) *non dicitur: potuit enim Hoseas verè assumere meretricem in uxorem, & filios ex eâ natos in suos adoptare, vel etiam pro suis agnoscere,*

quos stante matrimonio uxor istiusmodi dubiæ fidei potuit generare ex congressu cum aliis. Hoc argumentum suum non propugnat art. 119. num 40. ubi hæc mea pro errore habet, tantùm *Belgas interpretes* opponit, & inquit, *hodiernorum novatorum commune studium esse, illam interpretationem eique additas notas sugillare & rejicere.* Ego verò eam interpretationem eo loco habeo, quo humana scripta haberi possunt: eam à Doctissimis Viris profectam, cum in pluribus sensum Scripturæ feliciter exprimat, omnibus aliis versionibus vulgo notis præfero; annotationes istas in pretio habeo; nec tamen eam versionem vel istas notas pro authenticis habeo, à quibus non liceat recedere, si deprehendatur, eos Viros ex imbecillitate humanâ alicubi lapsos fuisse. Interpretes utique fuerunt, non vates, sicut alicubi Hieronymus de LXX inquit. Hoc tamen non est sugillare istam versionem, quando nullum odium, sed solum veritatis studium ab eâ nos recedere jubet.

CAPUT. XVIII.

De Polygamiâ Patriarcharum diversæ recensentur sententiæ Theologorum. Polygamia ob legem in creatione latam est illicita. Divortia inter Iudæos labe non caruerunt, unde reprehenduntur à Christo Math. XIX. I. *Tim.* III. 2. *prohibetur Episcopo directè Polygamia crassior, indirectè verò subtilior. De differentiâ V. & N. Test. Scriptura sæpe utitur iis modis loquendi, quibus negari videtur beneficium aliquod spirituale fidelibus V. T. quod non habuerunt tanto gradu & efficaciâ. Explicantur Dan.* IX. 24. *& Zach.* III. 9. *Tempus Iræ & Gratiæ.* Πάρεσις *&* Ἄφεσις. *Quonam singulari modo Deus sit Deus fidelium V. T. & ipsi sint filii Dei ac populus ipsius. Quomodo sub V. T. negetur fuisse Spiritus adoptionis, & mysterium de Christi actionibus & passionibus, humiliatione & exaltatione fuerit absconditum. Quomodo juxta Ioh.* XVII. 26. *nomen Dei clarius fuerit patefactum sub N. T. Quo sensu sub N. T. sit Fides & Circumcisio cordis. Servitus fidelium V. T. quâ obnoxii fuerunt*

runt elementis mundi, angelis tanquam legis vindicibus, Senioribus populi & legislatoribus, à quâ omni liberati sunt fideles N. T. Sacerdotes & Doctores sub V. T. fuerunt in numero judicum. Vindicantur ista discrimina V. & N. T.

CCLXX. DE Polygamiâ Patriarcharum difficilis semper fuit quæstio, quam prolixè tractat Celeberrimus Theologus Rivetus Exercit: in Genesin XLV. Triplicem refert sententiam eorum, qui Polygamiam improbant; *alios esse*, inquit, *qui eam juri naturæ & divino putant contrariam, ac semper fuisse illicitam; alios, qui juri naturæ repugnare non censent, sed lege divinâ positivâ fuisse prohibitam communiter, alios, qui putant, legem illam positivam tantum habere locum sub* N. T. *quæ Judæos non obligaverit, nec etiam gentiles obliget.* Ipse primam sententiam sequitur. *Sed*, inquit, *huic sententiæ non parum afferre difficultatis Sanctorum Patriarcharum & aliorum justorum exemplum, de quibus durum videatur asserere, eos legem divinam & naturalem tàm manifestissimo crimine violasse, atque in facto culpabili ad extremum usque permansisse.* Augustinum adducit dicentem, *Polygamiam tum crimen non fuisse*, & Petrum Martyrem atque Zanchium, qui censeant, *Deum cum Patriarchis dispensasse de Polygamia.* Distinctionem postea affert quorundam inter Jus naturæ. 1. *Quod secundum se intrinsecè, ut est actus quidam Physicus talis speciei, eam includit malitiam inseparabiliter, quæ juri naturæ repugnat, quale est odium Dei, &c.* 2. *Quod intrinsecè & secundum naturalem speciem, non ita juri naturæ repugnat, quin licitè in se fieri possit; sed in eo repugnans est juri naturæ, quod adjunctum aliquod habet eidem juri repugnans. Id adjunctum si possit tolli tum rem illam liberam manere.* 3. *Cui communiter aliquod periculum peccandi contra jus naturæ conjungitur, quod si absit, tum cesset malitia.* Pergit & inquit, *hoc posito fundamento negare eos, Polygamiam contra jus naturæ pugnare primo modo, pugnare autem secundo modo, quia sit usus quidam rei alienæ invito Domino*, potuisse autem simplici Dei supremi Domini *concessione* fieri, *ut Polygamia licitè exerceretur; tertio modo Deum potuisse tollere periculum tam peccati quam scandali, ideoque Deum potuisse Polygamiam concedere Patribus & Israëlitis, eâque utentes ad multiplicationem populi Dei fuisse planè extra culpam.* Et post pauca: *Eò tendunt omnes prædictæ sententiæ, non ut Polygamiam introducant, vel Patriarchis & aliis piis Viris sub Vet. Test. dicam adulterii scribant, eosque ex eo gradu in quem à Deo fuerunt evecti, pietatis & fidei nomine commendati dejiciant,*

ciant. Itaque contra charitatem (NB) *agere existimo, si quis ex utravis contra sentientium parte id aut simile quid imputet aliter sentientibus.*

CCLXXI. His ita præmissis Rivetus inquit, se inclinare in sententiam illam, *quæ Patres absolvit à peccato ratione Polygamiæ*, seque vix adduci posse, *ut credat, tot & tales Viros, frequenter & perseveranter eam inivisse vivendi rationem, quæ Deo displiceret, & benedictionem prolis quæsivisse in conjugio, quod absolute juris naturalis & divini regulas perverteret.* Atque hujus sententiæ suæ rationes sequentes adducit, quas in gratiam eorum, quos fortè tæderet Rivetum inspicere, cum ad præsentem causam maximè faciant, describere lubet. Sic autem ille: 1. *Aut lex fuit nota, quâ Polygamia fuit à Deo prohibita, aut non fuit. Si fuit, tum Patres illi eam noverunt & sic contra propriam conscientiam peccarunt; quod durum est de illis sentire aut dicere. Si non fuit, ubi non est lex, ibi non est peccatum. Si quis dicat fuisse talem legem sed eos ignorâsse, ignorantia talis non posset eos excusare, quia supina fuisset. Nec conveniret cum illâ Dei familiaritate, quâ fruebantur, & quâ sæpe in rebus minoris momenti revocabantur. Nec probabile est, si res Deo displicuisset, & ignorantiâ peccâssent, Deum sinere voluisse, ut tamdiu in ignorantiâ versarentur. Id præsertim vix de Davide credi potest, qui cum in lege Dei die ac nocte meditaretur, legis illius sensum non potuit ignorare.* 2. *Accedit, quod nullus Prophetarum, quos Deus in eum finem misit, ut populo annunciarent peccata sua, nullus Sacerdotum, qui tamen constituebantur a Deo, ut pro populi peccatis offerrent, unquam meminerint Polygamiæ tanquam status à Deo prohibiti huic populo; cum tamen sæpe alia peccata taxarent, eaque nominatim, quibus sanctum conjugium polluebatur. Quod certè magno præjudicio est, tunc temporis Polygamiam apud illum populum non habitam fuisse à Prophetis illicitam, qui vix alioqui possent à negligentiæ culpâ liberari, in tantâ sic peccantium, si peccatum fuisset, multitudine & frequentiâ.* 3. *Ubi nulla est displicentia, ibi remissione peccati locus non est. Talem autem statum patribus istis non displicuisse certum est. Itaque vix cogitari potest, quomodo veniam potuerint impetrare. Fateor equidem, multa esse peccata, quæ nos latent, & de quibus displicentia in genere, & ut ita dicam, interpretativè, sufficit, ut supra à nobis ex Vener. Bezâ expositum fuit. Sed id intelligi debet de peccatorum circumstantiis, quæ nos facile fugiunt, aut de illis quæ subrepunt, quorum non tam ratio nos fugit aut natura, quam factum ipsum: alioquin enim si de facto nobis constet, aut meminerimus, novimus etiam esse suâ naturâ peccata. At in Polygamia neque potuit esse* subreptio *in multorum annorum continuatione, neque* ignoratio facti *in re tam apertâ, neque* oblivio

livio *in ordinatio vitæ genere. Proinde si ponatur, Polygamiam in ipsis fuisse peccatum, vix locum habebit talis excusatio. Si quis dicat, illos quidem factum non ignorâsse, sed in ea opinione fuisse, rem non esse a Deo prohibitam, aut non cogitasse, quia illud videbant in more po[s]itum, responsio recurrit eadem, quæ antea de ignorantiâ, cui præterea hoc addimus, opinionem erroneam non absolvere a peccato, ut nec morem gentis ac nationis. Si quis in eâ regione educatus, in quâ ebrietas frequens est, & tantum non pro vitio non habetur, ut etiam inter ea quæ ad conversationem civilem faciunt reputetur, quod minus proclive est plerisque in locis, an proptorea à peccato absolvetur apud rectè judicantes? Non existimo. Hæc & similia inducunt me, ut existimem sanctos Viros Polygamos & Israëlitas, qui morem illum secuti sunt, non fuisse adstrictos præcise legi matrimontali, quæ ad duorum in carne unâ conjunctionem restringitur, proinde in eo non peccasse,* NB. *nisi aliquid addiderint per excessum, aut aliâ ratione ex quâ aliqui eorum culpari potuerint.*

CCLXXII. Tandem sic concludit: *Deum igitur dicimus in primâ quidem conjugii institutione sancivisse, quid communiter conveniens esset, & in perpetuum ab omnibus servari vellet, & quasi regulam generalem proposuisse, cui exceptionem aliquam dare non fuerit in hominis potestate. At quia Abrahami semen multiplicari volebat Deus, Deum circa illam legem exceptione usum fuisse probabile censemus; & à communis legis obligatione Israëlitas absolvisse, licentiamque concessisse plures uxores ducendi, quod cum facerent non peccabant, sublatâ à Deo legis obligatione, quantum quidem eos spectabat.* Celeberrimus Voetius ulterius adhuc procedere videtur & secundam sententiam eorum Theolog. tuetur, quos dici, Rivetus, *non censere, Polygamiam juri naturæ repugnare, sed lege divinâ positivâ prohibitam fuisse communiter.* Ita enim Disput. Selectarum Parte I. De Jure & Justitiâ Dei pag. 342. *Jus divinum* inquit, *liberum (quod aliter dicitur positivum) & hypotheticè tantum necessarium est, tale est, quia Deus liberè ita voluit, qui absque implicatione contradictionis potuisset velle oppositum.* Et post enarrata quædam exempla pergit: *His adde, &c. in tabulâ secundâ de monogamiâ, de gradibus prohibitis, &c.*

CCLXXIII. Isthæc apud Rivetum cum legissem ante plures annos, priusquam Dictata quædam in Systema Celeberrimi Viri discipulis meis tradidissem, fecerunt me inclinare in ejus sententiam, atque ad excusandos pios Patres sub Vet. Test. nihil probabilius mihi visum, quam si diceremus: Deum cum ipsis de Lege Conjugii in Creatione latâ, quâ voluit ut duo essent in carne unâ, dispensâsse. Atque inde orta sunt dictata illa

illa, quæ in manibus habet Vir Clarissimus, quæ planè convenientia sunt cum sententiâ Riveti, de quibus tamen nolo cum quoquam contentionis serram reciprocari. Si in re dubiâ tum magis inclinavi in sententiam tanti Theologi non potest id mihi vitio verti, cum non videatur omni probabilitate destituta; præsertim cum semper statuerim cum omnibus nostris Theologis Polygamiam citra istam dispensationem divinam esse *omnino illicitam*. Quo jure autem sit illicita sic determino. Jus naturæ distinxi superius art. 234. in id, quod oritur ex naturâ Dei, & istud, quod ex naturâ hominis vel aliarum rerum fluit. Ad prius non potest commodè referri hæc Lex. Ad posterius hoc modo potest reduci; Primùm, quâtenus potest Polygamia ortum habere ex immoderato appetitu voluptatum corporearum, cujus usu fiat, ut debilitetur corpus ejusque sanitas amittatur, vel mens nimis alligetur corpori, & loco cogitationum & meditationum meliorum, atque voluptatum longè solidiorum tota cogitationibus & voluptatibus corporeis immergatur. Dein, supposito, hoc modo à quibusdam non peccari, adhuc alio modo Polygamia potest spectari, nempe quâtenus refertur ad Legem Conjugii, quam Deus in primâ Creatione tulit, quâ dum voluit duos esse in carne unâ, voluit esse amorem inter conjuges summum, ut uxor sit corpus mariti, cujus ipse sit caput, atque ita non minorem ejus habeat curam, quam proprii corporis; quò facit explicatio Apostoli Ephes. v. 28. 31. Cum hoc Amore summo, quem Deus in matrimonio esse voluit, quia pugnat Polygamia, potest censeri pugnare cum matrimonio, adeoque cum jure naturæ posteriori modo accepto; ita tamen ut cogitemus, hoc totum pendere ex hypothesi voluntatis divinæ. Possumus enim concipere, Deum aliter potuisse velle, & constituere, ut Amor non requireretur summus, sed ut esset dispersus inter plures, vel ut una uxor primario amaretur, aliæ non nisi inferiori gradu. Quod fortè quidam Theologi considerantes, videntur hanc Legem matrimonii ad Jus Positivum retulisse. Præterea, quia ex Polygamiâ multa incommoda oriuntur in Republicâ & statu Oeconomico, si quis nomine Juris naturæ velit in latissimo uti sensu, ut intelligat, id quod rationi quovis modo repugnat, potest repugnare juri naturæ, etiam hoc modo dici Polygamia cum Jure naturæ pugnare. Siquis autem ob has omnes rationes Polygamiam censeat illicitam, sive dicat, eam pugnare cum Jure naturæ, sive cum Jure divino positivo, parum illud referet ac quæstio vix alia superest, quàm de nomine.

CCLXXIV. Doleo autem quòd cum satis apparere posset ex dictatis, me citra dispensationem divinam habere Polygamiam illicitam, Vir Clarissimus oggerat num. 41. mea *ex Ochini disciplinâ profecta fuisse*. Et in fine, *me putare Christum Servatorem iniquè taxasse divortia Judaeorum, quos certum est ex more & consuetudine contraxisse sua conjugia citra pactum habitationis perpetuae; nec saltem putare cum Socinianis & Episcopio, Polygamiam licitam jure naturali Christum sub Novo foedere sustulisse, & primum legem Monogamiae, seu perfectiorem sanxivisse. Haec certè omnia non Theologum Christianum olere, sed praefectum gynecaei Ottomannici, aut hircum Cartesianum.* Neque enim istorum omnium vel γρῦ apparet in meis dictatis. Sed ex irâ profecta fuerunt haec omnia, quae ita obtenebravit ejus animum, ut putaret se videre quae nuspiam comparebant, quam Deum ipsi condonaturum spero & precor.

CCLXXV. Agamus nunc de Divortiis, *qua labe non caruisse inter Judaeos* in dictatis disertè assero. De Loco Matth. XIX. 8. ad Syst. VII. §. 13. haec dixi: *Hic locus loquitur de Divortio Judaeorum, quod peccat contra fidem datam vel expressè vel tacitè de non dimittendâ uxore: tacitè fides illa censetur data in omnibus illis regionibus, ubi ex communi gentis consuetudine & institutis id obtinet, ne Vir Uxorem deserat.* Et ad Syst. XV. §. 34. *Si tamen conjugia inita fuerint juxta morem & consuetudinem citra pactum cohabitationis perpetuae, uti id quidem videtur obtinuisse inter Romanos, non potest dici, quod haec fuerit Polygamia, quamvis eo nomine sint reprehendendi, quod sine tali pacto conjugia iniverint, quoniam id longè commodius est ad societatem humanam, ut cum tali pacto ineantur.* Noster hîc num. 41. observat me patrocinari divortiis, cujus tamen contrarium ex illâ ipsâ notâ patet, cum dicam, *Romanos eo nomine esse reprehendendos, quòd citra tale pactum cohabitationis perpetuae conjugia sua iniverint.* Adduxit Vir Celeberrimus §. 34. System. in fine 1 Tim. III. 2. & ibi *prohiberi Polygamiam simultaneam subtiliorem, quae fiebat per licentiam Divortiorum, etiam inter Romanos & Graecos* existimavit, quam explicationem in Dictatis *non ita certam esse dixi, cum enim inter Graecos etiam obtineret Polygamia simultanea videri potius hanc rejectam isto dicto.* Consentit mecum Calvinus, qui ita in hunc locum: *Sola igitur Chrysostomi expositio vera est, Polygamiam hîc nominatim in Episcopo damnari, quae tunc apud Judaeos pro lege ferè obtinuerat.* Hanc notam sic reprehendit noster num. 41. *hoc esse falsissimum*, nimirum, *quòd etiam inter Graecos obtinuerit Polygamia simultanea*, sed ut id speciem aliquam videatur habere, addit:

qualis

qualis scilicet olim erat Judæorum & hodie Turcarum. Ego verò simpliciter de Polygamiâ fueram locutus, quæ utique etiam locum obtinet, si Vir habeat duas Uxores. Cecrops quidem Atheniensium Rex antiquissimus, quem Sethus Calvisius refert ad tempora Mosis, διφυὴς dictus fuit, quia Græcos ad conjugium & monogamiam revocavit, sed Socratis tempore, teste Laërtio, edictum fuit, ut vir quisque duas uxores haberet. At Socrates obiisse dicitur eidem Calvisio anno ante Christum natum 398.

CCLXXVI. Nihil ergo adhuc dum video, propter quod à meâ sententiâ debeam recedere. Olim in Anti-Tirino ipsemet Vir Clarissimus de utrâque Polygamiâ locum istum intellexerat, & crassiori illâ & subtiliori. Sic enim ibi pag. 356. *Etenim quamvis in Ecclesia Christiana Apostoli non probarent simultaneam Polygamiam, eam tamen necessariò in multis tolerare cogebantur : nec plenior erat ratio, sensim ab hoc vitio Christianos abducendi, quam si Monogamia lex & exemplum in Ecclesia præfectis sanciretur.* Et paulò post : *Imo ausim statuere, non tantum hic requiri, ne Episcopus eligendus duas simul uxores habeat domi, more Judæorum & Barbarorum, sed etiam ne priore absque causâ repudiatâ aliam superinduxerit.* Quæ satis cum meâ sententiâ concordant, ita ut primariò & directè prohibeatur Episcopo Polygamia simultanea crassior, indirectè verò quoque illa subtilior appellata. Pergit & inquit, *me putare Christum Servatorem inique taxâsse divortia Judæorum, quos certum est ex more & consuetudine, contraxisse sua conjugia citra pactum habitationis perpetuæ;* Quomodo verò istud ex meis dictatis conficietur? Dico utique Matth. xix. agi de Divortio Judæorum, quod cum ibi reprehendatur à Servatore, revocatis Judæis ad primam legem conjugii, utique rectè taxâsse Christum Judæos non nego. Peccarunt ergo illi contra legem conjugii primitus à Deo sancitam, ut desertis parentibus vir adhæreat mulieri, de quâ Deum dispensâsse putabant, permittendo per Mosen libellum repudii, sed Christus id ex duritie cordis eorum factum esse docet, adeoque tolerâsse hos mores, non dispensâsse cum iis. Alias quoque gentes ignorantes illam legem conjugii peccâsse dico, non quidem contra illam legem, sed quod contra rationem agentes citra pactum cohabitationis perpetuæ conjugia instituerent.

CCLXXVII. Sequuntur quæstiones spectantes differentiam status fidelium Vet. & Nov. Testam. in quâ accuratè tradendâ & inculcandâ neminem Theologorum nostrorum præferendum esse puto Celeberrimo Joh. Coccejo p. m. Viro solidæ eruditionis, quam ex Scripturis sacris,

quas magnâ industriâ maximam vitæ partem est scrutatus, sibi comparavit. Scilicet post ruptum fœdus operum in Paradiso nihil aliud expectandum fuisset Adamo cum suis posteris, quam æterna abjectio à facie divinâ & cruciatuum æternorum inflictio, nisi Deus misertus generis humani Fœdus gratiæ cum hominibus inivisset. Hujus verò diversam Oeconomiam cum Scriptura nobis repræsentet, eam observari à nobis & accuratè attendi utique oportet. Prima locum habuit ab Adamo usque ad legem latam in monte Sinai, quæ nomine *promissionis* venire solet in Scripturis Rom. IV. 13. Gal. IV. 17. 18. quàtenus nempe tunc adventus seminis benedicti ejusque beneficia promissa fuerunt, quæ demum præstita sunt post ejus incarnationem. Testamentariam tamen quoque habuisse rationem ex eodem Loco Gal. IV. 17. 18. apparet. Altera Oeconomia fuit à lege latâ in monte Sinai, ubi lex fuit addita propter transgressiones Gal. III. 19. quæ lex cum grave onus & jugum imponeret cervicibus, illud testamentum, cui addita fuit, multum fecit distare ab eo, quod Deus stabilivit post adventum Christi in carnem, juxta Jer XXXI. 31. & seqq. Confer Gal. IV. 24. 25. 26. Heb. IX. 18. 19. Unde apparet propter istam mutationem, quæ tunc illata fuit, fieri, ut ejus initium à monte Sinai arcessatur, cum tamen antea jam Abrahamo fuerit confirmatum Gal. III. 17. Tertia Oeconomia est à Christo usque ad finem mundi, quæ Nov. Test. appellatione venire solet. Solent autem imprimis duæ istæ posteriores Oeconomiæ distingui Vet. & Nov. Test. nomine, earumque differentiæ singulares, & notatu dignæ in scripturis observari atque designari iis modis loquendi, quibus negari videtur bonum aliquod fidelibus Vet. Testam. quod non eo gradu & efficaciâ iis concessum fuit, quo conceditur fidelibus sub Nov. Test. viventibus, cujusmodi modi loquendi & alibi in sacris literis occurrunt.

CCLXXVIII. Has differentias Vet. & Nov. Test. nunc per compendium breviter indicabimus ordine, quo inter se invicem videntur connexæ. 1. Danielis IX. 24. de Messia dicitur, eum *expiaturum peccata & adducturum justitiam seculorum*, Deusque dicitur *deleturus pravitatem terræ istius die uno* Zach. III. 9. Quibus significatur, Christum Servatorem se ipsum ponendo pretium redemptionis pœnas laturum, quas nos eramus commeriti, eum consummatum iri per passiones, sicque justitiæ divinæ satisfacturum, eoque die, quò in cruce exspiraverit, deleturum omnem pravitatem, atque adducturum justitiam æternam, quæ sic negatur

tur ſub Vet. Teſt. fuiſſe. Hæc eſt illa Juſtitia Dei, de quâ Rom. III. 21. quæ à Chriſto, qui eſt Jehova juſtitia noſtra, fuit præſtita, perfectiſſimâ ſuâ obedientiâ, eâque uſque ad mortem crucis, quæ eſt fundamentum & cauſa meritoria noſtræ Juſtificationis. Hoc ſanè eſt bonum Nov. Teſt. primarium, & fundamentum omnium reliquorum, quæ majori gradu & efficaciâ fidelibus Nov. Teſt. ſunt conceſſa, quam olim obtinuerant. Hoc non exſtitit ſub Vet T. ſed promiſſum fuit & præfiguratum variis ſacrificiis aliisque ritibus & typis. Hinc 2. dicitur antea fuiſſe tempus זעם iræ ſive ſeveritatis Dan. VIII. 19. *Ecce ego tibi notifico quod fiat in extremo excandeſcentiæ*, cæpitque illud, quando Deus Iſraëlitis, poſtquam irritum feciſſent fœdus Dei, impoſuit legem, quæ iram operatur Rom. IV. 15. illudque opponitur tempori gratiæ Eſ. LIV. 7. 8. ubi Deus Eccleſiam ita alloquitur: *Momento parvo* (id eſt, exiguo temporis ſpatio, quod duravit à Moſe ad Chriſtum, & reſpectu ejus ſpatii temporis, quod fluxit ab initio mundi ad Moſen, & à Chriſto ad finem mundi, parvum dici poteſt) *reliqui te, & gratiâ magnâ colligam te:* בשצף קצף *In particulâ fervoris occultavi faciem meam momento à te*, id eſt minori gratiâ erga te egi & effecta quædam iræ erga te exſerui; *& gratiâ æterna miſereor tui*, hoc eſt, gratiâ Nov. Teſt. quæ ad finem durabit. Hoc tempus iræ & legis, quæ iram operabatur, oppoſitum videmus tempori gratiæ ſub Nov. T. Joh. I. 17. *Lex per Moſen data eſt; gratia & veritas per Jeſum Chriſtum facta eſt.* Sic negatur ergo fuiſſe gratia ſub Vet. quia intermixtam habuit ſeveritatem, quam ſentiebant eo nomine, quòd nondum expiatum eſſet peccatum, nec erat tanto gradu & efficaciâ quam ſub Nov. T. Simul indicatur, gratiam veram, quæ opponitur typis, demum per Chriſtum fuiſſe præſtitam. 3. Negatur antea fuiſſe remiſſio peccatorum, quo facit Heb. X. 18. Ὅπου δὲ ἄφεσις τούτων, οὐκ ἔτι προσφορὰ περὶ ἁμαρτίας. Sub quibus verbis ſic ſubſumendo concludimus: Atqui ſub V. T. fuit oblatio pro peccatis, quæ quotidie & quotannis debuit repeti: Ergo ſub V. T. non fuit ἄφεσις ſive remiſſio peccatorum. Quæ promittitur tanquam bonum Nov. T. pertinens ad novum illud fœdus, quod Deus promittit, *ſe pacturum cum domo Iſrael & cum domo Juda* Jer. XXXI. 31. quod ſit *condonaturus pravitatem eorum, & peccati eorum non recordaturus amplius.* Id quod ex primâ differentiâ habuit ortum. Quamdiu enim expiatio nondum erat facta, & ira Dei, effervescens adverſus peccatum, & effecta quædam fervoris ſui etiam erga fideles exſerens, nondum erat placata,

non locum habere poterat Remissio peccatorum. Quâ tamen formulâ loquendi Scripturæ non absolutè negatur remissio peccatorum eorum fidelium, qui vixerunt sub Vet. Testam. Sed negatur tam plena fuisse & tantâ efficaciâ, uti nunc obtinet sub Nov. Testam. Dicitur illa Πάρεσις ad differentiam hujus quæ ἄφεσις appellatur. Confer Rom. III. 25. cum Heb. X. 18.

CCLXXIX. Hinc jam 4. negatur Deus fuisse Deus fidelium, quâtenus hoc promittitur tanquam bonum Nov. T. Jer. XXXI. 33. *Et ipsam ipsis in Deum,* cum tamen hæc illa ipsa esset formula fœderis, *quod Deus pepigit cum Israëlitis in monte Horeb secundum omnia verba legis*, quam Deus tulit Exod. XXIV. 8. in quibus verbis legis hæc formula aliquoties occurrit Exod. XX. 2. 5. 7. 12. Fuit nempe Deus Israëlitarum Deus sub Vet. T. quâtenus fœdus gratiæ cum ipsis pepigit, promisit Mediatorem & vitam æternam omnibus confugientibus ad ipsum, in iisque ita operatus est, ut *multos filios in gloriam adduxerit*. Heb. II. 10. At sub Nov. T. singulari sensu & καῖ' ἔμφασιν factus est Deus Deus fidelium, quâtenus nunc in Deo tanquam Deo suo possunt gloriari, & dicere *Immanuel*, id est, *nobis cum Deus* Esa. VII. 4. & *Jehova justitia nostra* Jer. XXIII. 6. XXXIII. 16. adeoque agnoscere, ipsum esse, qui justitiam suam, quam tempore Nov. Test. adduxerit, ipsis imputando ab omnibus peccatis liberet & immunes asserat à reatu condemnationis, & ab omni irâ, quæ nondum expiato peccato, ipsis erat ferenda, sicque, sublatâ omni irâ, admitteret quoque gentes ad fœdus, ut nunc non tantum Judæorum sit Deus, sed etiam gentium Rom. III. 29. 30. Ut ita nunc omnes, *qui benedicunt sibi in terrâ, benedicant in Deo Amen* Es. LXV. 16. omnesque agnoscant, Deum nostrum esse Jehovam, qui factus sit, quod est, liberalissimâ effusione donorum suorum & demonstratione virtutum suarum ostendens, quod est, nempe Deus plenè omnibus sufficiens & verax in præstandis promissis ut ita credentes in eum obsignent quòd Deus sit verus Joh. III. 33. dum agnoscunt, Deum venisse in carnem, expiâsse peccatum, justitiam seculorum adduxisse, chirographum delevisse, nos asseruisse in libertatem, Spir. Sanct. dona largiter effudisse, omniaque præstitisse, quæ se præstiturum sub V. T. prædixerat. Sic etiam negantur fuisse filii, qui vivebant sub V. T. vel populus Dei. Eodem enim Jer XXXI. 33. fidelibus Nov Test. promittitur, *quod ipsi Deo sint futuri populus*, quod ex priori necessariò fluit & infertur. Confer Zach. XIII 9. ubi dicitur, Deum

Nov.

N. T. sibi sumere has partes, ut dicat: *Populus meus est hic*, quod pertinet ad Redemptorem Es. XLIII, 1, qui postquam solvit pro peccatis, sibique acquisivit peculium & hæreditatem, eum populum suum jure appellare potest. Sic de N. T. prophetat Jeremias 11., 19, Jun. 14 *Et ego dixeram: Quomodo te ponam in filiis!* Huc facit Joh. 1. 12. *Quotquot acceperunt eum dedit eis hoc jus, ut filii Dei fierent.* Non quòd absolutè non essent populus Dei, quibus ipse erat Deus, quosque per fœdus gratiæ sibi in populum adsciverat; nec, quòd fideles nullo planè sensu sub V. T. filii Dei essent, cùm Exod. IV. 22. dicatur, *Filius meus primogenitus est Israel*, & Deut. XIV. 1. *Filii estis Jehovæ Dei vestri*, quâtenus nempe hæredes erant omnium, ipsisque parata erat hæreditas, & gloria, in quam post hanc vitam introducebantur Heb. 11. 10. sed sub N. T. fideles dicuntur κατ' ἐξοχὴν populus Dei, quâtenus possunt in Deo suo gloriari, tanquam asserti & redemti ab ipso; iidem appellantur filii Dei, quâtenus à Christo jus acceperunt sese in omnibus gerendi pro filiis Dei, libertatemque habent utendi omnibus bonis Patris sui Benignissimi, atque ad eum sine ullo metu rectà per Christum accedere possunt. Quo etiam facit, quòd sub V. T. negetur, fuisse Spiritus adoptionis, dum fidelibus N. T. appropriatur Rom. VIII. 15. *Accepistis Spiritum adoptionis per quem clamamus, Abba Pater*, & Gal. IV. 6. *Quia verò estis filii misit Deus Spiritum Filii sui in corda vestra, clamantem Abba Pater*; imò, quod absolutè negetur fuisse Spiritus ante Christi glorificationem Joh. VII. 39. *Nondum enim erat Spiritus Sanctus, quia Christus nondum erat glorificatus*: quæ omnes phrases comparativè intelligendæ sunt & facilè ex dictis possunt exponi.

CCLXXX. 5. Inde porro est, quòd mysterium de Christi actionibus & passionibus, humiliatione & exaltatione, & quæ eam sunt consecuta, dicatur *tacitum prioribus temporibus* Rom. XVI. 25. & Col. 1. 16. quòdque tanquam bonum N. T. promittatur Jer XXXI. 33. *quòd Deus sit inditurus legem suam in medio* fidelium, quo significatur, *legem fidei*, sive doctrinam de fœdere gratuito, de Mediatore, ejus redemptione & beneficiis inde ortis, publicè notam fore, eo quòd cùm facta sint à Messiâ omnia, quę de ipso prædicta fuerant, idque prædicarent *copia annunciantium*, conferentes eventa cum prophetiis, quas sic rebus ipsis manifestatas ostendebant, clarissima futura esset omnium cognitio. Sic igitur iterum id comparativè tantùm & quoad majorem gradum & amplitudinem venit intelligendum, cùm antea sub V. T. multa de Christo, imprimis de particulari-

bus

bus circumſtantiis ejus actionum & paſsionum fuerint in ænigmatibus recondita,cùm fœdus gratiæ tanquam velo eſſet obtectum per formulam legis: *Qui fecerit ea vivet in iis*,per ſacrificia expiatoria, & purificationes mandatas, quo velo hominibus carnalibus & duri cordis,nec attendentibus ad promiſſiones occaſio data fuit exiſtimandi, Juſtitiam hominis conſiſtere in factis, & quod his deeſt compenſari per obſervationem legis carnalis, cum omnes myſterii iſtius partes non ita eſſent indicatæ, ut non aliquid in imagine rerum eſſet Heb. X. 1. quod ſupra ſpem & exſpectationem hominum eſſet Eſ. LXIV. 3. Jun. 8. & 1 Cor. II. 9. cum nemo Patrum & Prophetarum vidiſſet, quod nos videmus & audimus, cujusmodi fuerunt, ut Deus perambularet Judæos pede ſuo Deuter. XXXIII. 3. ut diceretur civitatibus Jehudæ, *Ecce Deus veſter*, Eſa. XL. 9. ut Chriſtus omnia verba Dei loqueretur, quæ adhuc dicenda erant, ut funderet *ſcatebrarum more ænigmata ab antiquo* Pſ. LXXVIII. 2. atque ita explicaret, quæ antiquitus fuerunt abſcondita & tecta, ut *Hieroſolyma* appellaretur *ſolium Jehovæ* Jer. III. 17. ut prædicaretur, *Rex factus eſt Deus* tuus, & *ut viderent oculis ſuis coram, Jehovam reducere Hieroſolymam* Eſ. LII. 7. 8. Huc facit quod dicit Chriſtus Joh. XVII. 26. *Καὶ ἐγνώρισα αὐτοῖς τὸ ὄνομά σου καὶ γνωρίσω.* Per nomen Dei intelligitur id omne, quo Deus cognoſci poteſt; hîc tamen intelligendæ primariò virtutes illæ, quas Deus ſubobſcurè patefecit Moſi Exod. XXXIV. 6. 7. quæ commodè ad hæc duo revocari poſſunt capita, Juſtitiam ſive Sanctitatem perfectiſſimam, & Miſericordiam, quarum agnitione ſincerâ & efficaci Deus glorificatur. Hæ virtutes patefactæ ſunt à Chriſto variis modis. Primùm declaratione legis divinæ, & enucleatione medullæ ejus, ad damnandam omnem præſumtam juſtitiam Judæorum, quâ gloriabantur, externam & imperfectam. Dein expoſitione veræ juſtitiæ in ipſo per fidem accipiendæ, ut & exemplo obedientiæ perfectæ, quam totâ vitâ præſtitit, item toleratione pœnarum peccati acerbiſſimarum in corpore & animâ, ita ut ſub iis non ſuccumberet,ſed ſuperaret,idque glorioſâ ſuâ reſurrectione & adſcenſione probaret. Porrò nomen Dei patefecit effuſione Spiritus Sancti cum viſibilibus ſignis & effectis, atque propagatione Euangelii & Eccleſiæ per omnes gentes, per demonſtrationem veritatis ad omnem conſcientiam, per multos teſtes Vet. & Nov. Teſt. per everſionem idololatriæ, conſtantiam fidelium in martyriis,judicium exercitum in Judæos & gentiles Euangelii perſecutores,&c. Quibus omnibus

bus factum est, ut nomen Dei longè clarius cognosceretur, ac olim cognitum fuerat sub Vet. Test.

CCLXXXI. 6. Sub Veteri Test. negatur fuisse fides, quâtenus dicitur sub N. T. demum venisse Fides Gall. III. 23. *Antequam venisset fides sub lege eramus custoditi*, unde Spes potius appellatur Ephes. 1. 12. ubi fideles Vet. Test. Apostolus appellat προηλπικότας ἐν τῷ χριστῷ. Quod iterum non absolutè potest intelligi, cum Abraham dicatur *credidisse Deo*, & omnes fideles fiduciam suam posuerint in Messiâ venturo. Dicitur tamen sub Nov. Test. venisse Fides, quâtenes Spes, quæ propria erat Vet. Test. nitebatur promissione, & exspectabat futurum adventum Messiæ, ab eoque faciendam peccatorum expiationem & satisfactionem, Fides verò κατ᾽ ἐξοχὴν dicta nitebatur Euangelio, sive re promissâ jam præstitâ. 7. Sic quoque sub Vet. Test. negatur fuisse fructus fidei, qui est *circumcisio cordis*, quâtenus promittitur ea futura sub Nov. T. Deut. XXX. 6. *Et circumcidet Jehova Deus tuus cor tuum & cor seminis tui ad diligendum Jehovam Deum tuum ex toto corde tuo, & ex totâ animâ tuâ*, quo significatur Regeneratio sive Sanctificatio per Spiritum fidei & amoris Dei, atque ablatio pravarum cupiditatum, quæ præputiatum cor faciunt; Negatur *Lex Dei fuisse inscripta cordibus fidelium*, eo ipso dum hoc tanquam bonum Nov. T. promittitur Jer. XXXI. 33. quo denotatur receptio doctrinæ gratiæ corde per fidem & vivificatio per eam, cum antea lex fuerit tantum inscripta tabulis lapideis 2 Cor. III. 3. unde tunc temporis viguit ministerium literæ occidentis versu 6. Atque inde est, quod Deut. XXIX. 4. Deus dicat ad Israëlitas istorum temporum; *Non dedit Jehova vobis cor ad cognoscendum & oculos ad videndum & aures ad audiendum usque in diem hunc.* Quæ tamen omnia iterum non sunt eo sensu accipienda, ac si fideles Vet. T. fructus fidei nullos protulissent, nec dilexerint Deum ex sincero corde & affectu, sed quod sub N. T. major esset futura istius fructus amplitudo, cum sub Vet. Test. plurimi Judæi essent carnales, qui vel odio ferebantur erga Deum, quem adeò rigorosè videbant exigere legis impletionem, vel in hypocrisin incidebant, putantes, non incurrere maledictionem qui præcepta externa obedientiâ exteriori observasset. Dein quod majori cum alacritate & gaudio citra metum Deo Patri suo jam penitus post acceptam expiationem Christi placato essent inservituri fideles sub Nov. T. quam poterant illi, qui sub veteri vivebant.

CCLXXXII. 8. Multiplici servituti fideles Vet. Test. fuerunt sub-

jecti; atque prima servitus, quæ est fundamentum reliquæ omnis servitutis, fuit elementorum mundi, de quâ ad Gal. IV. 3. *Ita & nos cum essemus infantes subjecti eramus elementis mundi,* per quæ intelliguntur omnia illa terrena, quæ ab hominibus carnalibus poterant tractari, estq. e subjectio facta præcepto carnali Hebr. VII 16. Erant ista *elementa mundi egena & infirma*, si in se spectarentur, à Deo tamen instituta fuerant, ut symbola & pignora rerum cœlestium essent, sed simul declararent impuritatem fidelium, tanquam nondum expiatam, uti visum art. 278. Huc refero discrimen ciborum mundorum & immundorum; quo declarabat Deus, fideles in se esse indignos, qui uterentur cibis, eò quod iis planè interdiceret à quorundam ciborum usu; quorundam tamen ciborum usum permittens, eosque puros pronuncians, monebat de puritate impetrandâ per Christi sanguinis adspersionem, ita istam puritatem alligans ad purorum ciborum usum. Cum hoc convenit prohibitio esus sanguinis, quo significabatur, sanguinem Messiæ nondum esse effusum pro peccatis, sicque peccatum nondum esse expiatum, adeoque fideles nondum posse participes fieri sanguinis Christi tanquam effusi in remissionem peccatorum. Sic contactu cadaveris bestiæ vel hominis, ut & rerum vel hominum immundorum declarabantur impuri. Talem impuritatem externam si contraxissent, vel, si quoque in peccatum aliquod contra legem moralem incidissent, præscripta erant certa sacrificia, statis temporibus certo numero offerenda, quæ cum antea essent libera, nunc præcepto divino sic determinata facta sunt necessaria, variæ quoque purificationes adspersiones & lotiones, ad quæ ita erant alligati, ut, si quis iis non fuisset usus, non potuerit habere conscientiam bonam, neque sibi persuadere purificationem à peccato, cum non fecisset id, quod Deus requisiverat, ut consolatione Justificationis per Christum frui posset. His tamen omnibus fideles quotidie scribebant chirographum suorum peccatorum, quæ toties repetitis purificationibus & sacrificiis iteratis confitebantur, nondum esse expiata; unde est, quod Heb. X. 3. dicatur per ea fieri quotannis *ἀνάμνησις ἁμαρτιῶν*, & Jer. XVII. 1. *Peccatum Judæ* dicitur *esse scriptum in cornibus Altarium ipsius.* Inde etiam factum est, ut impuros declaraverit omnes primogenitos eorum, ne possent Deo sacrificia offerre, sed & solum Aaronem & filios ejus ad oblationem sacrificiorum, solos Levitas ad communia sanctuarii, distinctione tamen iterum inter hos omnes adhibitâ, admiserit, atque ista sacrifiicia ad certum quoque altare adstrin-

adstrinxerit; quibus omnibus significabatur, eos adhuc esse sub maledictione quodam sensu propter sacrificium Christi nondum exhibitum Gal. III. 10. 13. & IV. 4. 5. Porrò ad hæc elementa mundi quoque pertinebat observatio *dierum, mensium, præstitutorum temporum & annorum* Gal. IV. 10. id est, sabbatorum, quæ redeunt singulis septimanis; noviluniorum, quæ per menses iterantur; festorum, quæ certis temporibus celebrabantur, cujusmodi festum azymorum, tabernaculorum & annorum Sabbaticorum.

CCLXXXIII. Sic quoque alligati fuerunt ad felicitatem terrestrem, longævam vitam, terram Canaan, urbem Hierosolymam & templum, quorum usus obsignabat participationem rerum cœlestium, quorum hæc pignora erant. Castigationes & afflictiones meritò metuebant, cùm felicitas terrena in terrâ Canaan esset symbolum & pignus felicitatis cœlestis. Hinc *Deus rejicere* dicebatur, dùm castigabat Psal. LXXVII. 8. *An in seculum rejiciet Dominus?* & Thren. III. 31. *non in seculum rejicit Dominus*, pertinebantque illæ ad tempus severitatis & iræ, de quò art. 278. mentionem fecimus, & propterea in afflictionibus non poterant gloriari. Terra Canaan obsignabat ipsis cœlestem illam patriam, quam quærebant omnes fideles. Ita quoque urbs Hierosolyma & liber ad eam aditus, vel habitatio in eâ præfigurabat urbem illam, *quæ habet fundamentum, cujus conditor & Architectus est Deus.* Hebr. XI. 10. unde exilium metuebant, tanquam signum severitatis divinæ, ægrè ferentes se pignore cœlestis patriæ privari, sicut & molestissimum accidit Adamo, quando Paradiso tanquam symbolo cœlestis & æternæ vitæ debuit privari. Ad templum ita fuerunt affixi, ut preces ipsorum ad illud certo quodam modo essent alligatæ, quod ex 1 Reg. VIII. 48. collato cum Dan. VI. 11. apparet. Longæva vita pignus fuit vitæ æternæ in beatissimâ visione Dei & arctissimâ Unione perpetuandæ, cujus promissio hoc sensu præcepto quinto adjuncta fuit; unde tantoperè mortem metuebat Hiskias, David aliique, & generatim dicitur de fidelibus Vet. Test. quòd *metu mortis per totam vitam obnoxii fuerint servituti*, Hebr. II. 15. qui metus augebatur, quòd subitâ morte mulctari viderent eos, qui per infirmitatem & incogitantiam contra præceptum placitorum aliquid perpetrâsset. Exemplum editum fuit in Nadab & Abihu, eo solo nomine, quod ignem, cui suffitum Deo offerendum imponebant, non ex altari sumpserint, etsi id fortè citra malam intentionem omisissent. Simile exemplum fuit in Bethsemi-

tis, eo solo nomine extinctis, quòd curiosius in arcam prospexissent, imprimis verò in Uzzâ, qui arcam lapsum minitantem, ut à lapsu conservaret, attigerat manu, bonâ sanè intentione; quo exemplo perculsus David, vir secundum cor Dei, timuit arcam intra suam domum recipere. Quæ omnia ad istam severitatem divinam à Deo erga Ecclesiam V. T. exercitam sunt referenda.

CCLXXXIV. Sub Novo autem T. fideles ab omni istâ servitute planè sunt liberi, cùm *Christus deleverit quod contra nos erat Chirographum in placitis consistens, quod nobis erat subcontrarium, illudque e medio sustulerit, ac cruci affixerit*. Col. II. 14. Estque nunc nulla commemoratio peccati, nec esse potest, cum peccatum per Christi mortem planè sit expiatum, atque satisfactio plena sit præstita. Huc etiam faciunt Zach. IX. 11. & Gal. III. 23. Omnia nunc munda sunt mundis, nihilque est impurum, si cum gratiarum actione accipiatur; nunc admittimur ad illum sanguinem, qui effusus est in remissionem peccatorum pro multis; habemus nunc fiduciam & liberum aditum ad Deum Patrem benignum per Christum citra interventum Levitarum, Sacerdotum, sacrificiorum, &c. Titulus Sacerdotis *Sanctum Domino*, qui olim erat in fronte Sacerdotis, est *scriptus in p' aleris equorum*, hoc est, omnibus fidelibus sub Nov. T. est communis Zach. XIII. 1. sicque omnes fideles sunt Sacerdotes Domini, juxta promissiones, quæ habentur Es. LXI. 6. & c. LXVI. 21. nemo nunc nos damnare potest ob cibum & potum aut respectu festi, aut novilumii, aut Sabbatorum: in afflictionibus possumus quoque gloriari, nec ista externa amplius sunt signa severitatis & iræ divinæ; possumus anhelare & appetere mortem & dicere cum Apostolo Paulo: *Cupio dissolvi & esse cum Christo.*

CCLXXXV. Secundum servitutis genus, cui obnoxii fuerunt fideles Vet. T. est quâ subjecti sunt Angelis tanquam vindicibus legis, quæ dicitur data εἰς διαταγὰς ἀγγέλων. Act. VII. 53. quod commodè potest verti *per ordinationes Angelorum*. Quo facit locus quoque Gal. III. 19. & Heb. II. 2. Equidem ex Actor. VII. 38. constat, Angelum increatum, qui Angelus dicitur κατ' ἐξοχὴν, legem tulisse, qui etiam dicitur *Jehova* Deuter. XXXIII. 2. *qui de Sinai venit & venit ex myriadibus sanctis, à cujus dexterâ erat ignis*. Impropriè tamen lex *lata* dicitur *per Angelos*, quâtenus è medio Angelorum pronunciata est, futuris angelis ejus exsecutoribus & vindicibus. Sic Urbi alicui obsessæ hanc legem latam dici-

dicimus à militibus, ut si se sponte dedat pacem consequatur, sin minus, omnia extrema exspectet, quam Imperator & ipse miles & militibus cinctus tulit. Quæ, quamvis propriè loquendo solus Imperator hanc legem ferat, ipse tamen & est miles & alii omnes milites sunt istius legis vindices, dicuntur hunc sermonem locuti esse milites, approbando Imperatoris dicta, & minas & pœnas exsequendo. Atque hinc est, quòd Angeli nomen Deorum sortiti sunt Ps. VIII 6. cum quo confer Hebr. II. 7. 9. propter illam nempe similitudinem, quam cum Deo in eo habuerunt, quòd populus illorum dominium ferre, & se illis subjicere debuit juxta Heb. II. 5. Quia enim hoc recitatur tanquam peculiare Ecclesiæ Nov. T. quòd non sit subjecta Angelis, eo ipso supponitur, quod Ecclesia Vet. Test. iis fuerit subjecta. Et quia ipsi Elohim appellati tunc sunt respectu fidelium, sequitur ex naturâ relationis fideles ipsorum fuisse servos.

CCLXXXVI. Sequitur tertium Servitutis genus sub Senioribus nempe populi, principibus & legislatoribus, qui quoque dicti sunt dii, quòd Dei vice loquerentur ad populum, quodque ipsis à Deo potestas erat concessa legem illam à contemtu vindicandi, & populum pervicacem & rebellem redigendi sub servitutem elementorum mundi: Idque non tantùm est intelligendum de Mose & Prophetis, sed etiam de illis ipsis primoribus populi, qui tempore Christi vivebant, quòd satis liquet ex Ps. LXXXII, qui continet prædictionem de judicio, quod Deus esset exerciturus in Rempublicam Judaicam & ejus imprimis præfectos, uti satis ex initio & fine istius Psalmi constat, Hos eo nomine *dictos Deos* dicit Christus, quia *Verbum Dei ad ipsos factum est*, quod sanè non potest intelligi, ac si immediatè omnibus illis Deus fuisset locutus, sed tantùm, quòd sedentes in cathedrâ Mosis Verbum Dei acceptum à patribus accuratius didicisse viderentur, quòdque haberent Clavem scientiæ, & apud eos esset inquirendum, si res quædam in lege esset difficilis Deut. XVII. 9. 10. Sic Deus voluit per κατήχησιν Seniorum & Sacerdotum populo explicare mysteria, & ænigmata Scripturæ, quæ historiæ evidentiâ adhuc erant destituta & latebant in prophetiis de Christo, & sub ceremoniis ac umbris V. T. Poterant iidem decretis pædagogicis tanquam sepe legis populum arcere longius à transgressione legis, quod satis ex Matth. XXIII. 3. 4. patet, ubi jubetur populus *ipsorum dictis parere, etsi onera gravia imponerent humeris ipsorum*, modo nihil præciperent contrarium legi

divinæ,

divinæ, neque novos cultus aut sacramenta instituerent. Sic quia solebant Judæi iter instituere die Sabbati negotiorum causâ, determinaverunt illud iter & quasi sepe obsepserunt, ne ulterius vagari liceret. Atque ita de aliis. At sub N. T. ab utroque servitutis genere sumus liberati per Christum, qui factus est *minor diis illis* nuncupativis Ps. VIII. 6. & servus *Principum & Dominantium* Es. XLIX. 7. sicque ab omni illâ servitute eos fecit immunes. Non enim Angelis Ecclesia N. T. est subjecta Heb. II. 5. sed illi cesserunt Deo suo, eumque adorarunt Heb. 1. 6. atque ita non difficiles deposuerunt munus illud, quo sub V. T. fuerant honorati. Sic sub N. T. *Iehova rex factus est, adoraverunt eum omnes Dii* Ps. XCVII. 1. 7 quia solus jam regnat, neque Ecclesia N. T. ulli alii quàm soli Deo est subjecta. *Exuit* Christus *principatus & potestates* omnes suo imperio, quo antea usi fuerant, *eosque triumphavit in cruce*, ut qui nihil potuerint ad justitiam peccatoris conferre. Nunc clavis cognitionis in historiâ, vitæ mortis & exaltationis Christi publicata est, nullaque cathedra est, quæ apud se depositam habeat clavem scientiæ. Ad fœdus N. T. de quo Jer. XXXI. 34. pertinet, ut *non amplius doceat frater fratrem dicendo cognoscite Jehovam, cùm omnes ipsum sint cognituri, à minimo eorum usque ad maximum*, unde *omnes* sub N. T. *dicuntur docti à Deo* Joh. VI. 45. ex Es. LIV. 13. Quibus similia cùm dictassem ad Syst. XV. §. 69. quæ citat Vir Celeberrimus num. 101. mirari satis non possum, quo jure possit dicere, me ea statuere, ut elevem necessitatem ministerii, de quo quemvis judicem libenter fero. Nemo etiam nunc sub N. T. potestatem habet imponendi talia, qualia Israëlitis per legem imposita fuerunt. Atque hæc libertas ab istâ servitute fidelibus fuit pedetentim concessa & per gradus. Nam primùm Jehova incarnatus eos, qui laborabant & onerabantur jugo ceremoniarũ atque lassi erant præ exspectationis longitudine & sitis magnitudine, ad se vocavit Matth. XI. 28. Es. LV. 1. 2. 3. Postea evocavit eos ex urbe opprimente Zeph. III. 1. Tandem destruxit Judaicam Rempublicam unà cum templo, ut sic Judæi in mundo agerẽt, sicut de iis prædictũ fuit Hos. III. 4.

CCLXXXVII. Has differentias malui hîc simul lectorum oculis, ordine quo potui optimo, proponere, quàm per lacinias, prout comparent in Dictatis ad Systema Celeberrimi Viri, per occasiones varias in Systemate oblatas, annotatis, quarum tamen etiam aliquas recitabo, ubi ad defensionem meam iis fuerit opus. Sequar vero ordinem ejus Systematis. Prætereo hîc quæ suspicatur de *mysterio iniquitatis & sublesto consilio Religionem*

Refor-

Reformatam evertendi & viam complanandi ad Papismum, initio §. 108. & quæ alia habet §. 109. *quòd per novas hypotheses Theologia nostra funditus sit evertenda, ut sic vel Papismo vel Mahumetismo, vel etiam Indifferentismo & Gentilismo via complanetur indubitata, nihilque admittatur præter claras & distinctas perceptiones, quas soleamus jactare & Enthusiastico more nobis vindicare.* Condonabo ipsi hanc vehementiam & fervorem, Deumque precabor, ut mitiora ipsi suggerat consilia, ne mihi imputet imposterum eas hæreses, à quibus toto animo abhorreo. Tantùm igitur considero, quæ objicit Dictatis meis ad Locum 1. §. 51. quæ hîc uberius expressi art. præcedente. *Levius est*, inquit, *quòd falsò statuam subjectos fuisse fideles Veteris Testamenti Sacerdotibus & Doctoribus suis tanquam diis; illud enim Davidis Ps.* LXXXII. 6 *dixi dii estis, de Judicibus & Principibus ac Magistratibus in Politia, non de Sacerdotibus & Doctoribus in Ecclesiâ est intelligendum.* Ego verò præcedente articulo ostendi, Deos dictos esse eos omnes, ad quos Verbum Dei factum est, eosque omnes Ps. LXXXII. esse intelligendos. Nec ita Sacerdotes & Doctores à Judicibus & Principibus tunc discriminabantur, ut Sacerdotes & Doctores non essent inter Judices. Ostendit Seldenus Lib. II. de Synedriis Veterum Hebræorum cap. 7. sect. 1. solitos fuisse cooptari in Synedria eos, qui dignitate Presbyteratus essent insigniti, quorum alios sect. 2. docet antehâc fuisse facultate judiciariâ præditos, alios tantùm donatos id genus Magisterio, quòd in docendi munere publico consistebat. Idem probat cap. 8. sect. 2. pag. 378. partem maximam eorum, qui in Synedriis erant constitisse ex Sacerdotibus & Levitis; & satis ex Marc. XV. 1. constat, Synedrium coaluisse ex Sacerdotibus, Scribis & Presbyteris populi.

CCLXXXVIII. Sed graviora sunt, quibus meam sententiam art. 108. urget. *Primò falsum est*, inquit, *fideles Novi Testamenti minus debere esse obnoxios suis Pastoribus, Ductoribus & Doctoribus quàm pios Veteris. Nam Christus etiam Apostolis dixit, Qui vos audit me audit Luc.* X. 16. *& Paulus Heb.* XIII. 17. *vult ut ipsis obediamus & subjiciamur: Qui & ipsi etiam nostri sunt & Pædagogi & Patres, ut colligere est ex* 1. *Cor.* IV. 15. *Secundò falsum est, pios V. T. de jure subjectos fuisse mandatis hominum in iis quæ ad cultum Dei spectabant, cùm tamen multis in locis sufficientia & perfectio Scripturæ, cui nihil addendum nihilve detrahendum, & juxta quam solam Deus foret colendus, adstruatur: Christo ipso in Evangelio declarante post Esaiam Prophetam, frustra coli Deum doctrinis & mandatis hominum Matth.* XV. 9. *ac passim reprehendente traditiones &*

deuteroses judaicas. Tertio falsum est vel jus fuisse Sacerdotibus & Doctoribus Synagogæ populo imponere nova onera mandatorum humanorum, præter ea quæ lege Dei imponebantur, talia damnante Christo Matth. XXIII. 4. vel pios illius temporis de jure & in conscientiâ obligatos fuisse ad istorum mandatorum humanorum observationem; siquidem constat ex Deut. XVII. 11. adstrictos demum illos fuisse Superiorum suorum decretu in ordine ad ea quæ lege Dei præscriberentur & quam illi docuissent. Nos verò primò ostendimus art. 286. servitutem illam cui obnoxii fuerant veteres sub Nov. T. fuisse sublatam. Dicimus, potuisse Doctores Vet. T. nova onera imponere, quæ essent ferenda, quod utique non dicet Vir Celeberrimus convenire Doctoribus Ecclesiæ N. T. Audiendos esse Apostolos simpliciter, alios verò prout sua ex verbo divino probaverint, non negamus, sed negamus nos esse servos hominum, sicut fuerant fideles Vet. T. 1 Cor. IV. 15. signanter distinguuntur Pædagogi à Patribus, ita ut qui mallent esse Pædagogi, quam Patres tacitè reprehendantur. Audiendos esse nemo negat, sed si Pædagogi novis præceptis & statutis velint nos onerare, uti fieri solet in Papatu, iis obediendum esse negamus, ne fiamus servi hominum 1 Cor. VII. 23. Quæstio non est, an sint audiendi æque Doctores Nov. ac Vet. T. sed an non majorem potestatem habuerint Doctores Vet. T. quam habent Dd. sub Novo? Secundò in iis quæ ad cultum externum spectabant subjectos fuisse hâctenus mandatis hominum fideles Vet. Test. ostendimus ex Matth. XXIII. quâtenus à Doctoribus petendæ erant determinationes cultus externi, quæ in lege divinâ non reperiebantur, cum hâc tamen limitatione, ut non liceret ipsis novos cultus aut Sacramenta instituere, quò faciunt reprehensiones Christi Matth XV. 9. & alibi. Tertiò, etsi Christus Matth. XXIII. reprehendat Pharisæos dura nimis onera imponentes, tamen vult ibidem illa ferenda esse, supponendo scilicet, nisi adversentur divinæ legi aut spectent novos cultus vel nova Sacramenta, sicut & summarum potestatum legibus etiam durioribus obediendum esse monet Vir Clarissimus. Syst. XV. §. 23. qui tamen eas peccare duriores tales leges sancientes non negabit, credo. Atque ex his jam sufficienter apparet, nihil efficacius esse ad retundendum Papismum hâc nostrâ sententiâ, ex quâ sæpius retundit potestatem Papistarum Clariss. Coccejus, ut videre nominatim est Summæ Theologiæ cap. 74. art. 52. 53. & cap. 76. art. 12. 13. Inde etiam patet quid respondendum sit ad ea quæ noster urget art. 109. Sublata enim sub Nov. T. tota ista est potestas,

testas, quæ concessa erat Dd. Vet. Test. neque tanta unquam ipsis data fuit, quantam sibi arrogant Pontificii.

CCLXXXIX. Putem quoque ex dictis satis conspici posse, ex perperam intellectâ meâ sententiâ procedere, quod dicit Vir Celeberrimus art. 113. num. 24. *Me & Angelorum cultum religiosum tribuere Judæis sub Vet. Test. & negare Magistratibus ac Principibus Christianis, nec non Ecclesiarum Pastoribus, contra totam Scripturam, fideles subjici debere, & illis præsertim abrogare suæ superioritatis elogium expressum his verbis, dixi Dii estis, unde nota Antichristi, quòd se extollat super omne quod dicitur Deus & quod colitur.* An enim ullâ cum specie veri dici potest, eos, qui sunt dii nuncupati vel dicti, per quos puto 1 Cor. VIII. 6. intelligi eos omnes, quibus fideles sub V. T. debuerant subjici juxta art. 286 & 287. esse adorandos? An ergo Deos dictos & nuncupativos censet adorandos Vir Celeberrimus? Nullibi vero nego, Magistratibus & Principibus Christianis vel Ecclesiarum Pastoribus subjici debere fideles, sed nego, tale subjectionis genus locum habere sub N. T. cujusmodi obtinuit sub Vet. T. Hic est status controversiæ, si ulla hîc inter nos intercedat, quod non putem. Nullibi etiam nego Magistratibus suum primatus elogium, quamvis statuam, eo sensu, quo sub V. T. Elohim dicti fuerunt vel Angeli vel quivis alii populo Israëlitico dominantes, dici non posse ullum hominem sub N. T. Nota tamen Antichristi hoc non obstante satis bene à Clarissimo Coccejo tractatu de Antichristo pag. 25. & sequentibus explicatur & applicatur.

CCXC. Minus mihi adhuc contrariatur observatio nostri art. 120. num. 42. Ibi ad verba mea ad Syst. VIII. 29. *Etsi Deus admisset Sponsorem Christum qui suo tempore peccata esset expiaturus, tamen sibi reservaverat libertatem tamdiu exigendi solutionem & pœnas, quas homines incurrebāt per peccata, inculcandi, donec expiatio actu esset facta*, annotat, *me non animadvertere, quòd illa solutionis exactio & pœnarum debitarum inculcatio sub Vet. T. pertinebat ad Ceremoniarum σχέσιν legalem, ut ad Euangelicam, quòd illæ umbratiles solutiones illaque pœnarum simulachra, typi essent & figuræ realis solutionis, quam Christus erat suo tempore præstiturus.* Ego enim non nego illam solutionis exactionem & pœnarum debitarum inculcationem sub Vet. Test. pertinuisse ad ceremoniarum σχέσιν legalem. Sed an ideo non pertinebat ad tempora Vet. T.? An ideò in eo non differt Vet. T. à Novo? An ideo non est verum, Deum sub Vet. T. sibi reservâsse libertatem istam exigendi solutionem & pœnas, donec expiatio actu esset facta? Quod so-

lum est, quod in istâ meâ notâ dicitur. Nec fortè inter ea quæ habet num. 42. & mea dictata est contrarietas. Sic ego ad Syst. VIII 30. explicui locum Joh. I. 17. *Opponitur ibi doctrina Mosis, quâtenus continebat promissiones de iis, quæ a Christo erant præstanda, item, quatenus adumbrabat per ceremonias beneficia Christi, quæ præstita sunt per Christum, quæ appellantur gratia & veritas, hoc est, gratia vera, quæ opponitur typis item promissionibus beneficiorum gratiosis.* At Vir Clarissimus putat, hæc *absurde* dici, *cùm ibi lex sit intelligenda primariò Moralis, ut benè explicant Belgæ Interpretes, quæ peccatorem subjicit maledictioni divinæ, secundario Ceremonialis, adeò ut illi gratia, ut Rom. VI. 15. huic veritas opponatur.* Nam, cùm ibi lex opponatur gratiæ & veritati, intelligenda igitur est primariò ea lex, quæ *propter transgressiones est adjecta* Gal. III. 19. quæque ortum habuit ex severitate Dei, de quâ art. 278. At hæc sanè est lex Ceremonialis, & Moralis quoque, quâtenus habuit adjunctam maledictionem sive sanctiones illas duas, *Qui fecerit ea vivet in iis, &, Maledictus qui non manserit in omnibus, &c.* quæ sanctiones demum post transgressiones Israëlitarum per adorationem vituli commissas fuerint adjectæ. Non enim hoc sensu excludo legem moralem, sed facile patior, verba Scripturæ in maximâ emphasi & latissimo sensu accipi.

CCXCI. De loco Zach. IX. 11. hæc contra Pontificios eo abutentes ad limbum Patrum probandum observavi ad Syst. VIII. §. 35. *Potius hic locus est intelligendus de statu fidelium sub V. T. in quo erant in hâc vitâ, non verò de statu eorum post hanc vitam: fideles enim V. T. quamdiu sanguis fœderis non erat fusus, erant vincti & captivi sub servitute legis ceremonialis, & elementorum mundi, item Principum, quo sensu erant in cisternâ in quâ nulla sunt aqua, non absolutè sed secundum quid, quâtenus per istam servitutem minor erat eorum certitudo & consolatio, quàm est fidelium N. T.* Hic verò noster inquit n. 43. *me delirare ad lyram Cocceji, & hoc interpretamento nihil insulsius potuisse excogitari, & qui ex nostris illud reponeret argumento, quòd ex hoc loco solent Jesuitæ desumere quandoque pro lymbo Patrum, quandoque pro Purgatorio, is Orthodoxorum causam exponeret ludibrio Adversariis.* Sic est, solidissimum Scripturæ Interpretem Coccejum hîc præeuntem sum secutus, quia ipsius interpretatio optimè cohæret cum antecedentibus & consequentibus. Non enim negari potest, quin versu 9. & 10. sit sermo de Christo, qui in carnem advenit, qui versu 11. alloquitur Ecclesiam eique deprædicat beneficium à se præstitum, quando scilicet in carnem venit. Hoc verò optimè

mè explicatur per redemptionem à servitute, cui sub V. T. fuerit obnoxia, non verò intelligi potest de liberatione è captivitate Babylonicâ, quæ diu adventum Christi antecesserat. Quibus addi potest, quòd cùm Zacharias, diu post captivitatem Babylonicam prophetaverit, non possit censeri prædixisse futurum id, quod jam diu fuerat factum.

CCXCII. Pergit Vir Clarissimus num. 44. & impugnat distinctionem inter ἄφεσιν & πάρεσιν, quæ Rom. III. 25. & Heb. X. 18. clarè fundatur, eamque *ridiculam vocat, omnibusque fætere* inquit, quod fortè verum est de iis, qui malunt distinctiones ineptissimas scholasticorum sequi, quàm eas quas Spiritus Sanctus in Scripturis proponit. Videamus verò rationes. *Certe,* inquit, *qui plenâ caruerint remissione peccatorum, non fuerint justificati, adeoque glorificari nequiverint, quod volunt Pontificii; aut si salvati sunt, quòd Deus dissimularet eorum peccata, non quòd admitteret pro ipsis satisfactionem Christi præstandam suo tempore, jure Sociniani pertendent, satisfactione nemini opus esse ad salutem consequendam. Utrisque verò militat, quod ex impio hoc asserto colligit Censor, pios illos parum certos fuisse sua salutis, sed continuo æstu dubitationum agitatos fuisse.* Quibus omnibus jam diu ante responsum est à Clarissimo Coccejo. Dico, non ita plenam remissionem habuisse fideles sub V. T. ac sub N. quia remissio peccatorum est bonum N. T. promissum Jer. XXXI; ac differentiam inter πάρεσιν & ἄφεσιν sic explico ad Syst. VIII. §. 40. *πάρεσις erat, quòd ita Deus cum iis ageret, ac si peccata non videret, etsi peccatum nondum esset expiatum, ita tamen ut sæpius ostenderet & moneret illud nondum esse expiatum: ἄφεσις verò describitur Jer. XXXI. 34. quia eâ positâ non amplius exigitur solutio, neque aliquod onus nomine peccati nondum expiati imponitur sub N. T. sicut imponebatur sub V. T. unde tamen non sequitur, non fuisse Pios sub V. T. salvatos, quia Deus eo ipso, quòd cum ipsis ageret ac si peccatum non videret, eos admittebat ad vitam æternam, quasi nullum peccatum commisissent. Sed ex eo secuta etiam fuit minor certitudo salutis pluribus dubiis inquietata, quæ movebatur à crebris illis accusationibus & commemorationibus peccati, item ab alligatione ad symbola terræ Canaan & templi, quibus quum essent privati, dubitare etiam poterant, an nō etiam essent privandi re significatâ. Unde videmus Davidem tantisper conqueri in Psalmis, quòd non licuerit ei convenire in tabernaculo, quando in exiliū pulsus fuisset à Saule.* Hinc verò non sequitur, fideles V. T. non fuisse justificatos. Quamvis enim expiatio peccatorum & satisfactio nondum esset à Christo præstita, quia tamen certò erat præstanda, immunes fuerunt pronunciati à merito

rito condemnationis, ab eoque absoluti, quæ est justificatio: at sanè chirographum scribere jubebantur, imponebatur ipsis onus nomine peccati nondum expiati, fiebat ἀνάμνησις τῶν ἁμαρτιῶν, sicque non ita plena erat peccatorum remissio, ac si hæc omnia abfuissent. Quæ omnia nihil quicquam juvant Socinianos, uti nec illud Pontificios, quod in notâ dixi & probavi de certitudine eorum pluribus scrupulis inquietatâ, quæ multum differunt ab iis, quæ mihi hîc à nostro imputantur, sed in meis non comparent. Conferantur ea quæ dicta sunt art. 278.

CCXCIII. Num. 80. iterum impugnat, quæ de servitute fidelium V. T. quâ subjecti sunt angelis tanquam vindicibus legis & senioribus, omnibusque potestatem habentibus dictavi, pleniusque dixi art. 285. 286 ac iterum mihi imputat, *ac si* ex meâ sententiâ *cultus* Angelorum lege morali prohibitus, *licitus fuerit* ante Christum, de quo quantum sufficit actum art. 289. Tandem *ridiculum*, inquit, esse *meum assertum, quo statuam, Judæorum subjectionem elementis mundi, in eo fuisse sitam, quòd cogerentur ordinariè metuere mortem tanquam contrariam promissioni*, quod quia quantum sufficit probatum à me art. 283. verbum hâc de re amplius non addam. Num. 80. improbat expositionem meam Math. XI. 28 quam dictavi ad Syst. XIII §. 40. Hîc verò repetii art. 286. hoc solum dicens; *hâc ratione tam benignam & consolatoriam invitationem Christi ad nos Gentiles non pertinebit*. Sed quamvis ea, quæ Christus speciatim dixit ad Judæos, dum in carne minister esset Circumcisionis, eo singulari sensu ad nos non pertineant, facilè tamen per analogiam, ut & hæc ipsa verba ad nos referri possunt, neque ulla hic difficultas esse potest. Quamvis enim Christus nos non reficiat eo speciali sensu, quo refecit istos exspectantes consolationem Israëlis & anhelantes sub jugo ceremoniarum, nos tamen ut & Judæos reficit oneratos sub jugo peccatorum, & pressos irâ divinâ ex peccatis nobis incumbente. Tandem num. 101. citat dictata ad Syst. XV. §. 69. quæ planè similia sunt iis, quæ hîc in fine art. 280. reperiuntur, atque perhibet, *me ea statuere, ut elevem necessitatem ministerii*, quod quibus catenis consequentiarum elicere queat ex meis dictatis equidem non video.

CAP. XIX.

Controversia quæ inter Reformatæ Ecclesiæ Doctores intercedit de Regimine Ecclesiæ, non est de articulo fidei aut salutis, ac proin minori animorum agitatione est tractanda. Acquiescendum est cuilibet fideli ordine Regiminis loci in quo vivit, neque eo nomine turbæ movendæ. Laudatur & approbatur Ordo Regiminis Ecclesiastici in Belgio receptus. Quomodo probari possit Regimen Ecclesiæ, quod Summæ Potestates exercent per Episcopos vel Senatum Ecclesiasticum, uti & illud, quo Pastores Ecclesiæ nihil decernunt absque consultâ fraternitate. Theologiæ Professoris officium erga discipulos, dum de Regimine Ecclesiastico tractat. Ministerium Ecclesiasticum habet specialem institutionem à Christo capite Ecclesiæ. Pontificii illud Ministerium converterunt in dominium. Potestas Ecclesiastica quo sensu debeat explicari? Iurisdictionis vocabulum præstat in hoc negotio non usurpari, sed potius Regiminis, quod Directivum habent ministri, non Coactivum. Ecclesiæ Repræsentativæ aut Repræsentantis vocabula non in Scripturâ, sed in Papismo fundamentum habent. Inde etiam ortum habet Spiritualitas & Sanctitas Pastorum Ecclesiæ singularis. Perperam Pontificii ea quæ propria fuerunt Apostolorum assignant vel suis sacerdotibus, vel Episcopis, vel Pontifici Romano. Quid Claves Regni Cælorum Matth. XVI. 19. significent? Traditio Satanæ rectè à Petro Molinæo refertur ad afflictionem corporis, & pro speciali privilegio Apostolorum habetur. Quomodo Apostoli fuerint Legati Dei? Pastorum munus in quo consistat? Quibus argumentis probetur, Potestatem Excommunicandi competere Ecclesiæ Ministris? Ordinatio ministrorum Ecclesiæ per impositionem manuum. Moris imponendi manus Antiquitas & significatio. Ordinatio nihil internum Ordinato infundit, estque distinguenda

guenda à Vocatione. Explicantur ulterius dicta de Regimine Ecclesiastico & conciliantur cum Celeberrimi Maresii sententiâ. De Seniorum & Diaconorum officio. Temporibus Apostolorum & immediatè subsecutis solita est Ecclesia tota consuli in rebus Regiminis. Summæ Potestates omni cum Reverentiâ debent moneri à Pastoribus. Ambrosius modum excessit erga Imperatorem Theodosium.

CCXCIV. ATque hæc sunt quæ Discrimen inter V. & N. spectant Testamentum, agamus quoque paucis de Regimine Ecclesiastico. Hic verò non possum non calculo meo probare ea, quæ habet Cl. Hoornbeeck Differt. de Episcopatu annexâ Epistolæ de independentismo pag. 13. *Si æquè solliciti,* inquit, *passim omnes essent de formandis & reformandis hominibus, iisque prorsus aptandis sacro, cui semet tradere profitentur, ministerio, ac de regiminis alicujus forma, facilior de ipsâ foret disputatio, & minus mali metuendum vel ex eâ quam forte iniquiorem alias arbitremur: adeò & pravi homines ordinem optimum conspurcare, eoque ad pessima facinora abuti; iterum boni in formâ regiminis nequaquam optimâ constituti sæpe tamen multum etiam prodesse norunt optimè, & agere, uti ordinis aliqua irregularitas eò minus observetur, quo minus offendit. Ut omnino hinc inchoare opus nos oporteat, uti digni reddantur homines, inde & dignus rei sacræ* ordo, *& quod in isto reformandum, corrigatur post necessariam nostri ipsius curam atque emendationem.* Et paulò pòst pag. 14. *Sic dum in Scholis otiose & in abstractis disputant* Politici, *de formâ regiminis Monarchicâ, Aristocraticâ, Democraticâ, utra alteri præferenda sit, in re ipsâ & vitâ commodè agendâ deprehendunt facilè omnes, quod, quemadmodum in singulis aliqua bona sunt malis valde affinia, & optimum illud regimen esse, quod ex omnibus seligit optima, & extrema cavet singulorum præcipitia, ita maximè ab hominum virtute vel vitio esse, ut singula benè cedant humanæ societati: quare hinc imprimis originem petendam esse felicitatis ac prosperi regiminis, ab hominum nempe studiis & vitâ magis quàm ab ordine.* Iterum pag. 18. *Nam non jam de articulo fidei aut salutis aliquo disceptatio instituitur, non cum* adversariis *religionis seu extraneis, non de re in* Ecclesiam *nunquam admissâ, sed de more aliquando recepto, & de quo inter Ecclesiæ parietes agitatum varie, nec schisma instituí vel probari Ecclesia unquam voluit. Id est, sive de* Presbyterali *sive* Episcopali *regimine loquamur, non istâ vi, & animorum vel laterum concussione, id fieri æquum est, quâ alia adversus Ec-*

clesia

clesiæ hostes protegenda putamus, nil cum ordinis alterutrius, nedum personarum insectatione, sed uti inter domesticos, de meliori quocunque consilio placide dispiciendum venit & judicandum ex solo & aquanimi in Ecclesiæ bonum studio.

CCXCV. Et sanè notum est de Regimine externo Ecclesiæ non eadem sentire Reformatos, & quoad praxin magnam inter eos esse diversitatem. Alii enim Episcoporum Regimine utuntur, Jure supremo in sacris æquè ac politicis assignato Supremis Potestatibus, quod in Angliâ fieri notum est. In Palatinatu omne Regimen Ecclesiæ externum peragitur à Senatu seu Consistorio ab Electore constituto & ab ipso dependente, conflato ex Theologis, Politicis & Ictis. In Genevensi Republicâ Seniores Ecclesiæ etiam eliguntur ex Senatoribus per ipsum Collegium Senatorum, omnesque tùm Pastores tùm Seniores coram Senatu juramentum præstare coguntur, quòd fideliter suis muneribus sint functuri. Apud alios electio ministrorum fit planè à populo, quibuslibet patribus familias gaudentibus jure suffragii. Blondellus ab omni ævo Christianismi ostendit, receptum fuisse, ut nihil agerent veteres in regimine citra consilium plebis & non consultâ fraternitate, integro Tractatu *de jure plebis in regimine ecclesiastico*, quibus similia etiam aspersit Apologiæ pro sententiâ Hieronymi. Est autem dissensio, sic rectè judicante Cl. Hoornbeeck, non de articulo fidei aut salutis, ac proin minori animorum agitatione est tractanda. Egregiè Calvinus Instit. Lib. IV. cap. 20. §. 8. *Et sanè valdè otiosum esset, quis potissimus sit politiæ in eo quo vivunt loco, futurus status, à privatis hominibus disputari: quibus de constituendâ re aliquâ publicâ deliberare non licet. Tùm etiam simpliciter id definiri nisi temerè non posset, cùm magna hujus disputationis ratio in circumstantiis posita sit. Et si ipsos etiam status citra circumstantias inter se compares, non facilè sit decernere, quis utilitate præponderet, adeo aquis conditionibus contendunt. Proclivis est à rigore in tyrannidem lapsus: sed non multò difficilior ab optimatum potestate in paucorum factionem, multò verò facillimus a populari dominatione in seditionem.* Quæ facillimè ad exemplum Celeberrimi Dn. Hoornbeeckii huic rei possunt accommodari.

CCXCVI. Tutissimum esse puto, si quis citra turbas acquiescat illi regimini, quod obtinet in loco in quo vivit. Neque privatorum esse reor, ut de publicis rebus reformandis cogitent, habent illæ multum in se difficultatis, & præstat sæpe tolerare quædam, etsi non adeò placeant, quàm intempestivâ oppositione & disputatione occasionem turbis præ-

bere. Potest in abstracto disputari quidem, quænam forma Reipublicæ sit præstantissima, sed si id Politicus faciat, ut improbet formam istius loci, in quo vivit, censebitur à Prudentioribus, si non novis rebis inhiare, saltem novationis & seditionum ponere fundamenta. Nolo igitur cum quoquam contendere, quænam forma Regiminis Ecclesiastici ex tribus dictis sit præferenda, nolo movere antiquos terminos benè & commodè positos, nolo serere lites & contentiones, unde scandala oriantur, & verbi divini pii præcones mærore jure afficiantur. Viget in hoc Belgio ea Dei gratiâ & auxilio concordia inter Summas Potestates, & Pastores ecclesiarum, quoad regimen ecclesiæ, quanta in rebus humanis potest exoptari. Ordini in ecclesiis regendis hîc recepto & usu stabilito optimè convenit cum Supremo regimine. Cùm enim tempore primæ reformationis Ecclesiarum in Belgio ecclesiæ eum ordinem & disciplinam ecclesiasticam constituissent, quem cum verbo divino optimè convenire judicassent, Summæ potestates, postquam Libertatem & Religionem pro fundamentis hujus Reipublicæ constituissent, permiserunt ecclesiis uti Ordine & Disciplinâ suâ antea constitutâ. Dum verò sic fideles Pastores ecclesiarum subsunt tutelæ & inspectioni piorum Magistratuum, quos tutores & nutricios ecclesiæ, & saluti subditorum non tantùm temporali sed æternæ quoque invigilare, agnoscunt, omnia moderatè gerunt & potius ex ratione quàm affectibus agunt, omnem offensam & σύῤῥαξιν cum iis studiosè evitantes: dum etiam sub suâ curâ & tutelâ Magistratus permittunt Ecclesiasticis juxta ordinem receptum regere ecclesias, dum electionem Pastorum ipsi peragunt approbantibus Magistratibus, digniores & meliores possunt præfici ecclesiis pro earum ratione, necessitate & conditione Ministri, cùm, cæteris paribus, Theologi de eorum aptitudine rectius judicare queant; qui quoque sic sunt aptiores ad judicandum, quid ecclesiæ utilitati & ædificationi sit convenientissimum, quonam modo optimo removeri queant scandala, & quæ similia sunt, quæ materiam præbent canonibus ecclesiasticis, spectantia tàm mores quàm doctrinam, quibus canonibus ecclesiasticis in Synodis per suffragia statutis vim legum conferunt Supremæ Potestates suâ approbatione & sanctione post eorum æquitatem agnitam.

CCXCVII. Ubi Supremæ Potestates vel per Episcopos vel per constitutum à se Senatum Ecclesiasticum ecclesiarum omne Regimen peragunt, si sibi non arrogent auctoritatem & jus leges ferendi conscientiis,

tiis, (quod solius Dei est, & in quod, si homines involent, eaque præscribant quæ à Verbo divino recedunt, potius obediendum est Deo, quàm hominibus) si non eligant ministros ecclesiæ, nisi ex consilio doctorum & prudentium Theologorum ac Pastorum ecclesiæ, non ex gratiâ aulicorum, aut commendatione eorum, qui de Theologi aptitudine ad munus suum nequeunt judicare, si præferant doctos indoctis, homines vitæ inculpatæ iis qui morum infamiâ sunt notati, si suas leges & statuta ex consilio intelligentium Pastorum ecclesiarum dirigant ad ecclesiæ ædificationem, si hæc omnia habeant coram oculis & ad istum scopum colliment, etsi, prout solet fieri, per imbecillitatem humanam quædam contingant, quibus meliora quis jure queat optare, etiam sub isto regimine constitutum Pastorem ecclesiæ posse cum bonâ conscientiâ suę functioni vacare, quare dubitari queat nòn video. Ita quoque ubi plebis potiores sunt partes, neque Pastores ecclesiæ agunt vel decernunt absque consultâ fraternitate, ubi in electione ministrorum aut Seniorum ecclesiæ suffragia patrumfamilias numerari solent, si non patiantur hi functionibus se distrahi in partes, sed consilia extra partes constitutorum audiant ministrorum aliorumque prudentiorum & scientiâ rerum Thęologicarum instructorum, si omnia sic agantur, ut ædificari queat ecclesia, & incrementum capere, quamvis & hîc non desint, quæ desiderari queant, non tamen putem de novandis rebus consilia esse capienda.

CCXCVIII. Hoc imprimis inculcandum censeo à Theologiæ Doctore suis discipulis, idque per occasionem facio, ut promoveri ad munus hoc tanti momenti allaborent viis legitimis, eruditione rerum Theologicarum earumque dexterâ intelligentiâ, donis dicendi, pietate, modestiâ aliisque virtutibus se ecclesiis commendando, non sinistris artibus, prênsationibus, multò minus muneribus id adipisci studeant. Etiam hoc Professoris Theologi munus requirere puto, ut, quia variis debet prodesse discipulis, quorum alii olim admovendi sunt gubernaculis ecclesiarum Belgii, alii aliarum Reformati Orbis partium, in quibus diversum ab his ecclesiæ regimen obtinet, doceat, quibus rationibus & fundamentis omnes istæ formæ nitantur; hoc verò inculcet, nullam esse absolutè improbandam, vel nomine regiminis ab his oris diversi ecclesiæ alicui suam operam esse denegandam, vitia autem & defectus, qui per humanam imbecillitatem ubique reperiuntur solicitè esse vitanda. Atque hoc meum fuit institutum in dictatis privatis ad Systema Theologiæ Celeberrimi

Viri, quæ publici juris facere nunquam cogitavi, ſed in uſum diſcipulorum meorum concinnaveram in Examinibus & Diſputationibus plenius explicanda.

CCXCIX. Reliqua quod attinet, agnoſco Miniſterium eccleſiaſticum habere ſpecialem inſtitutionem divinam pendentem à Chriſto capite eccleſiæ & Rege ejus ſpirituali, qui voluit perpetuò conſervari hoc munus in eccleſiâ, *cui dedit Prophetas, Euangeliſtas & Apoſtolos, Paſtores & Doctores, ad compactionem Sanctorum, ad opus miniſterii, ad ædificationem corporis Chriſti* Epheſ. IV. 11. 12. Ea igitur omnia ab ipſis debere peragi in eccleſiâ, quæ Chriſtus voluit, quæ omnia ſub officio docendi & regendi comprehendi poſſunt. Quæ verò præter hoc docendi & paſcendi munus eis aſſignant Pontificii, abominor. Tale eſt dominium in gregem Dei, à quo ſibi cavendum eſſe tanquam graviſſimè à Chriſto prohibito & interdicto moneo, adeoque omnia ea accuratè vitanda, quæ ad illud tendunt; eas quoque phraſes & loquendi modos, qui dominationem aliquam ſapere videntur vitandas, aut ſaltem commodè explicandas cenſeo. Dominium in conſcientias ſolius Dei eſſe proprium pertendo, qui ſolus eſt ille legiſlator qui poteſt ſervare & perdere, quamvis non negem, Paſtoribus eccleſiæ commiſſam eſſe curam conſcientiarum, quas non legibus humanis debent regere, ſed verbo & oraculis divinis inſtruere & informare, ad earum inſtitutionem, conſolationem & correctionem. Hinc Apoſtolus Paulus diſtinguit inter ἐπιταγὴν Κυρίου & ſuam γνώμην. 1 Cor. VII. 10. 12. 25. ſignificans, ſibi nō licere loqui μετ' πάσης ἐπιταγῆς, niſi ea quæ dixit Dominus, quæ jubet doceri μετ' πάσης ἐπιταγῆς, Tit. II. 15. Coactionis uſum omnem eccleſiæ Paſtoribus eſſe interdictam vel ex Paulo diſcimus Tit. I. 7. ubi vult, Epiſcopum non eſſe πλήκτην. Poteſtatis vocabulum rectè quoque explicandum, dum de Poteſtate Eccleſiaſticâ agitur, ne quis ſub nomine ejus de dominio ſomniet, quo illud trahere ſolent Pontificii. Sumendum enim illud non eſt hîc eo ſtricto ſenſu, quo quis dicitur aliquem *in ſuam poteſtatem redigere*, ubi nihil aliud, quàm imperium & dominium ſignificat; unde & pro illis, qui cum imperio & poteſtate ſunt, ſumitur; ſed generaliori quodam ſignificatu pro facultate illâ ac vi, quâ quis ad efficiendum aliquid pollet. Cicero pro Quint. *Poteſtas tibi fuit quotidie hominem admonendi.* Sic quoque vox ἐξουσίας ſumitur 1 Cor. IX. 4. Μὴ οὐκ ἔχομεν ἐξουσίαν φαγεῖν

καὶ

ϰ̀ πᾶν, & alibi passim. Hinc est, quòd nostri soleant istam appellare Potestatem *Ministerialem*, ut sic omne imperium & dominium excludant. Jurisdictionis vocabulum mallem hoc in negotio non usurpari. Jurisdictio enim non est sine imperio, l.fin. 5.§. 1. D. *de officio ejus cui mandata est jurisdictio.* Qui enim judicare tantum possunt, & exsequendi imperio carent (ut pedanei judices) ii Jurisdictione carent l. ult. C. *Ubi & apud quem cognitio in int. rest. agit.* Nempe imperii actus aut in commune fertur, aut in singulos. In commune qui fertur, *Legislatio* dicitur; in singulos, si occasione contentionis id fiat, *Jurisdictio* vocatur: sin extra eam, nomen generale servat, quia speciale non habet. Quando verò quidam ex nostris Jurisdictionem ecclesiasticam vel Spiritualem ecclesiasticis assignant eamque ministerialem vocant, atque in declarando & hortando, non in imperando & jus dicendo consistere volunt, possumus quidem hanc explicationem admittere, ut tamen observemus, vim fieri vocabulo, & Jurisdictionem introduci, quæ reverâ talis non sit. Quid autem opus est hîc ita abuti vocabulo, aliisque, qui istam explicationem non nôrunt dare occasionem cogitandi de Imperio & Dominatione?

CCC. Regiminis vox convenientior est huic negotio magisque consentit cum Scripturâ. Est autem Regimen illud, quod ecclesiæ ministris tribuitur, tantùm directivum, cujusmodi competit Medico in ægrum, cujus sanitatem curat, cui ostendit quid ad sanitatem vel conservandam vel recuperandam sit necessarium. Huic tenetur obedire æger, non ex aliquo Jure subjectionis & coactivo, quod in ipsum habeat Medicus, sed ex rectâ ratione, quæ unicuique suadet curam sanitatis. Ita quoque Pastori recta monenti & viam salutis æternæ ostendenti tenetur fidelis obedire vi mandati divini, quod minister ecclesiæ ostendere debet, & ex rectâ quoque ratione, quæ suadet, ut maximam habeamus rationem salutis æternæ & animarum nostarum. Sic quoque Collegio Pastorum recta præcipienti & monenti subjecti esse debent omnes illi qui membra ecclesiæ alicujus particularis se esse profitentur, idque ex instituto divino, qui auctor est ordinis non confusionis; qui verò ei repugnant censendi sunt repugnare ordinationi divinæ. Nomen ecclesiæ repræsentativæ cum Celeberrimo Coccejo Summâ Theol. cap. 77. §. 9. libentèr relinquo Babyloni. *In cujus Scholâ* (verba sunt Cocceji) Ecclesia repræsentiva *dicitur vel unus singularis homo vel collegium ita repræsentans ecclesiam scilicet, ut in suo sensu & judicio contineant sensum, & judicium totius*

 eccle-

ecclesia propter auctoritatem : quemadmodum Principes repraesentant populos. Bellarm. de Conc. I. 16. Etsi autem Rectores ecclesiæ multa sæpe negotia nomine totius ecclesiæ peragant, non tamen Scriptura eos ecclesiam Repræsentativam vel Repræsentantem propterea appellat, nec inde istud nomen commodè suscipere possunt. Si enim ecclesia Repræsentativa dici debent, qui aliquod negotium agunt nomine ecclesiæ, tum quilibet munus aliquod obeuntes nomine totius ecclesiæ poterunt nomen ecclesiæ Repræsentativæ suscipere. Aliter se res habet in Politico Regimine, ubi omnia composita sunt ad vim coactivam, illique in quos refusa est omnis potestas totius corporis, cujusmodi est Rex respectu subditorum, Princeps respectu exercitus, Ordines respectu Reipublicæ, repræsentare illud censentur.

CCCI. Rejicio quoque *Spiritualitatem* omnem & *Sanctitatem* singularem & *characterem indelebilem*, quem per ordinem imprimi putant Pontificii, quo sic clerum suum altissimo gradu extollant super populum, & majestatem eam venerationemque concilient, ut dictis ipsorum audiens sit populus, non secus, acsi Deus ipse loqueretur. Apostoli totam ecclesiam Dei Sanctos & Spirituales appellant, nullâ singulari sanctitate reservatâ Ministris. Discrimen illud totum Leviticum fuit, quo alii tanquam impuri olim declarati fuerunt, alii diversis gradibus Sanctitatis admissi ad sacra illa ceremonialia, templum quoque & varias ejus partes. Sic ad Sacerdotum Leviticorum exemplum Pontificii Sacerdotes & Prælati se sanctos dixerunt & spirituales, idque diversis gradibus, eamque ulterius adhuc extendentes, quàm olim fiebat, se eo nomine separarunt & subtraxerunt Politicis, suique juris esse voluerunt, & quia Clerici illi dicti statuerunt sua negotia spiritualitatis dignitate excellere omnia negotia, quæ secularibus sunt relicta, ob istam prærogativam se cœperunt efferre super principes, donec tandem Papa Romanus post effusum multum sanguinem sibi subjecit omnes Reges & Principes terræ. Nos autem nunc id quod olim repudiatâ distinctione, quam Deus ipse introduxerat, perperam dicebat Mosi & Aaroni Korachus cum suâ factione: *Totus hic cœtus, hi omnes sunt sancti, & inter eos est Jehova : quare ergo effertis vos super congregationem Jehovæ?* Num XVI. 3. jure maximo post sublatum à Deo ipso sub N. T. discrimen istud, dicere possumus Pontificiorum Prælatis & Sacerdotibus. Nulla nunc locum habet talis sanctitas ceremonialis, quâ solâ tribus Levitica admittebatur ad ministerium templi, omni-

omnibus aliis tribubus exclusis. Propriè dicta sanctitas est moralis in obedientiâ mandatorum divinorum, quæ imprimis ecclesiæ Pastoribus est commendanda, quod faciat & inserviat ad magis aptos reddendos ipsos suo muneri, ut hoc suo exemplo plures lucrari possint, quâ quo magis excellunt, eò majorem auctoritatem apud plebem sibi comparabunt. Hæc sanctitas pars est aptitudinis requisitæ in Doctore ecclesiæ, cui si accedat eruditio theologica & potentia in scripturâ; atque dicendi dona, omnem habet aptitudinem ad istud munus, ut quilibet, cujuscunque de cætero sit status & conditionis, aptus sit censendus ad istius muneris functionem. Etiam mentio fit in Scripturâ sanctitatis fœderalis, eorum omnium qui pertinent ad fœdus gratiæ, quo sensu liberi fidelium dicuntur sancti 1. Cor. VII 14. Si quis tamen Sanctitatis vocabulo adeò latè velit uti, ut tribuat ei, qui versatur circa objectum sanctum, & qui ad sanctum finem ducit, eoque nomine velit Ministros ecclesiæ vocare *Sanctos*, non multum refragabor, dummodò cogitet, hoc modo & sensu etiam aliis, qui non sunt Pastores ecclesiæ, hanc vocem applicari posse. Sed Pastores ecclesiæ etiam sancti appellari possunt respectu muneris sui, quod circa sancta versatur & ad sancta tendit, ut & respectu vocationis, quatenus illud specialiter à Christo sanctissimo Rege ecclesiæ est institutum.

CCCII. Hoc quoque reprehendendum censeo in Pontificiis, quòd ita promiscuè, nullo habito discrimine, ea quæ Apostolis dicta sunt & concessa singulariter, communia faciant cum omnibus suis vel sacrificulis, vel Episcopis vel saltem Pontifice Romano. Prærogativa Apostolorum, quam habuerunt, per impositionem manuum concedendi Spiritum Sanctum, transfertur ad quosvis Episcopos, atque hæc impositio manuum facta ab Apostolis trahitur perperam ad Sacramentum Confirmationis, quod à quovis Episcopo administratur, qui ejus administratione dicitur dare Spiritum Sanctum. Sic illud, quod privilegium fuit Apostolorum, Infallibilitas in doctrinâ ex Joh. XVI. 13. tractum est ad Infallibilitatem vel Episcoporum in Conciliis congregatorum, vel Summi Pontificis Romani. Etiam prærogativa Apostolorum designari videtur Matth. XVI. 10. quando Petro dicuntur datæ Claves regni cœlorum, quod fieri posse manifestum puto, si attendatur tùm ad significationem *Regni cœlorum*, prout passim accipitur in historiâ Euangelicâ, tùm ad differentiam Vet. & Nov. T. & ad vim quoque & usum in Sacris vocabuli

Clavium

Clavium. Regnum cœlorum & Regnum Dei à Christo ipso & Apostolis sæpius dicitur appropinquâsse, dum Christus degeret in his terris, quâ ratione significatur satis manifestè, non fuisse eo sensu *Regnum Dei* sub Vet. T. Regnum Dei in tàm excellenti sensu non dicitur is status ecclesiæ, quo subjecta fuit diis dictis, Angelis & Principibus potestatem habentibus, prout ostensum fuit à nobis art. 285. 286. Sed Regnum Dei ita acceptum tum clausum erat, quamdiu durabat subjectio illa facta dictis diis, quamdiu non poterat nisi in visione dici id quod legimus Psal. XCIII. 1. *Jehova Rex factus est.* Imprimis verò Regnum Dei clausum erat respectu gentilium, qui tunc erant ἄθεοι, *alieni à Politiâ Israël, exsortes Testamentorum promissionis & alienati à vitâ Dei* Ephes II. 12. c. IV. 18. Est hæc phrasis nostra planè æquipollens phrasi Spiritus Sancti, quæ adhibetur Hebr. IX. 8. ubi dicitur, *stante priori Tabernaculo nondum manifestatam fuisse viam ad Sanctuarium*, cœleste scilicet, id quod Christus adscensu suo intravit.

CCCIII. Sic itaque clausum Regnum cœlorum cùm esset, ac demum, postquam Christus thronum suum posuisset in cœlis, aperiendum foret, promittuntur hîc Petro Apostolorum omnium nomine tradendæ *Claves* istius Regni cœlorum, quo vocabulo in Scripturis non solere quid vulgare designari, sed potestatem peramplam ostendit Seld. Lib. I. de Synedr. Hebr. cap. 9. pag. 272. unde Christus dicitur habere Clavem Domus Davidis Apoc. III. 7. ex Esa. XXII. 22. quo significatur potestas illa αὐτοκρατορικὴ alios adducendi ad ecclesiam per communicationem Spiritus, alios verò per indurationem excludendi; item potestas docendi & legem ferendi conscientiis, eumque pro filio Dei declarandi, qui crediderit, condemnandi verò, qui ipsius verbis fidem adhibere noluerit. Dum autem hîc Petro promittuntur claves Regni cœlorum, non potest intelligi ejusmodi potestas αὐτοκρατορικὴ, quæ solius est Christi, sed potestas ministerialis, magna tamen admodum & insignis, quâ posset infallibiliter & cum magnâ efficaciâ, concomitante Spirit. Sanct. aperire Regnum cœlorum omnibus iis, quibus antea clausum fuerat; imprimis gentilibus, iisque auctoritate infallibili annunciare, quod etiam fecit Paulus, *Deum dissimulatis temporibus ignorantia nunc annunciare omnibus hominibus ubique ut resipiscant.* Act. XVII. 30. Atque hæ Claves, promissæ Petro, datæ sunt ipsi & reliquis Apostolis Matth. XXVIII. 19 20. quando jussi sunt *instituere omnes gentes easque docere servare omnia, quæ*

Christus

Christus praecepisset. Sic Petrus primus aperuit ostium fidei gentibus, quando Cornelio non circumciso ejusque familiæ annunciavit Evangelium de Christo, ipsumque cum totâ familia ad fidem adduxit. Videturque Petrus ad verba Christi sibi dicta Matth. XVI. respicere, quando Act. XV. 7. sic inquit. *A Diebus antiquis Deus elegit inter nos, ut per os meum audirent gentes sermonem Evangelii & crederent.* Perperam igitur Pontificii hoc privilegium Apostolorum ad Episcopos trahunt, quibus nescio quas claves Jurisdictionis Spiritualis traditas fingunt, de quo dictum est superius. Si quis vero Ministris ecclesiæ quoque, sed in sensu diminuto, applicare velit ea quæ dicta sunt Apostolis, quatenus annunciando Evangelium possunt aperire & claudere Regnum cœlorum, non eâdem auctoritate & infallibili, sed minori & errori obnoxiâ, atque sic ipsis Potestatem Clavium assignare, me non habebit refragantem. Sed cum Clavium vox, id rectè observante Seldeno de Synedr. Hebr. Lib. I. p. 275. significationem claudendi & aperiendi semper secum trahat, sive propriè sive metaphoricè usurpetur, non potest, nisi aliquantum inclinatâ significatione primitivâ adhiberi ad significandum Potestatem excommunicandi, quæ competit ecclesiæ Ministris, & de quâ postea plura dicemus, quâtenus nempe, postquam quis expulsus est, clauditur ostium, ne irrumpere iterum possit. Atque eo sensu vox ista adhibetur in Catechesi Heidelbergensi, cui & nos, ministris ecclesiæ datas esse Claves regni cœlorum ut possint impœnitentes per Excommunicationem ejicere, & pœnitentes recipere, non repugnabimus.

CCCIV. Inter privilegia Apostolorum meo judicio rectè quoque refert Vir suo merito Celeberrimus Petrus Molinæus in suo Vate cap. 11. Potestatem quam habuerunt in corpora, quàm arbitratur esse virgam Apostolicam, de quâ 1. Cor. IV. 21. Quâ armatus Petrus Ananiæ & Sapphiræ vitam ademit, atque Paulus Elymam præstigiatorem oculis mulctavit. Ad eam pertinere existimat Traditionem Diabolo, quam Paulus exercuit in Hymenæum & Alexandrum 1. Tim. I. 20. & in incestum Corinthiacum 1. Cor. V. 3. 5. idque rationibus probat. Et reverâ, istam Traditionem Satanæ spectâsse afflictionem corporis, satis patere videtur ex hoc loco: *Ego enim quidem tanquam absens corpore, præsens verò Spiritu, jam judicavi, ac si præsens essem, talem, qui hac perpetraverit, tradere Satanæ ad interitum carnis, ut Spiritus salvus sit in die Domini Jesu.* Quid sit hoc loco *Caro*, evidens est ex oppositione *Spiritus*, quem Paulus servari cupit in

 die

die ultimi judicii. Cùm autem spiritus manifestè hîc significet animam hominis, necesse est per carnem spiritui oppositam corpus intelligere. Sensus ergo loci est, Apostolum constituisse hunc hominum incestuosum tradere Satanæ, ut corpus ejus morbis vel aliis cruciatibus corporis affligeret, ut his exercitus miser pœnitentiâ tangeretur, atque ita anima ejus salutem æternam consequeretur. Alia argumenta, quæ videre licet apud Molinæũ,non addo. Malè ergo exinde nescio quam sibi potestatem arrogant Pontifices Romani in animas hominũ,de quibus admittendis ad Regnũ Cœlorũ vel excludẽdis sibi sit concessa suprema potestas,cùm ista potestas & Apostolorũ fuerit prærogativa, & nõ nisi corpus spectaverit.

CCCV. Hoc quoque Apostolorum speciale privilegium puto,ut dicantur Legati Dei 2. Cor. V. 20. Eph. VI. 2. quod idem est cum voce Apostoli,quæ missum,Legatum origine suâ significat. Πρεσβεύειν igitur ὑπὲρ χριστοῦ idem significabit, quod εἶναι Ἀπόστολον χριστοῦ, qui *neque ab hominibus neque per hominem* constitutus esset, *sed per Jesum Christum,& Deum Patrem, qui excitavit ipsum ex mortuis* Gal. I. In quo Prophetis Vet. T. similes fuerunt Apostoli, quibus propterea solenne fuit in docendo dicere:*Hoc dicit Dominus* Ad hoc Legati munus duo requirebantur, 1. Ut haberent tabulas suæ legationis, sicut in Legato Regis, alteriusve *Literæ credentiæ*, quas vocant, requiruntur, quibus fidem suæ legationis faciant, 2.Ut plenè essent instructi de omnibus,quæ ad hoc suum munus requirebantur, neque ab ejus præscripto abirent. Tabulas has petebat & accipiebat Moses, ut suæ Legationis divinæ fidem faceret Israëlitis: baculum suum à se projectum in serpentem, & hunc caudâ apprehensum in baculum convertebat, manus immissa sinui leprâ afficiebatur, & iterum sinui imposita sanitati restituebatur & similia prodigia patrabantur. Indicia Apostoli, hoc est legati Christi, Paulus 2. Cor. XII. 12. appellat signa, prodigia & virtutes in ipsorum conspectu à se edita. Instructio istorum Legatorum consistebat in Sp. S. infallibili & immediatâ assistentiâ, quæ efficiebat, ut plenè voluntatem Dei perspectam haberent, & cum imperio possent loqui, ut sic ipsis præcipientibus esset obtemperandum, & eo ipso, quo aliquid præciperent, id habendum esset pro mandato divino. Talem equidem auctoritatem sibi assumit Pontifex Romanus, & Episcopi in Conciliis congregati, sed tabulas Legationis nullas proferre possunt. Unde frustra quoque est, quando idem ille sibi sumit nomen & munus Apostoli, & ipsius asseclæ dignitatem Papalem

nomine

nomine Apostolatus appellant. Sic soli Apostoli & Prophetæ, soli viri divinitus inspirati, hoc nomen *Legatorum* καθ' ἔμφασιν, & prout occurrit ejus significatio in sacris literis usurpare potuerunt; quòd si verbi divini ministri respectu eorum, quæ communia habent cum Apostolis, cujusmodi sunt; quòd gerant munus divinâ Christi ordinatione institutum, & quòd verbum divinum ejusque mandatum populo Dei ad ejus salutem inculcare debeant, velint uti hoc titulo, non equidem repugnabo, modò accuratè cogitent, in sensu planè diminuto & à primariâ significatione multum recedente id sibi convenire posse.

CCCVI. Ita ergo rejectis iis, quæ typhus Papalis introduxit in ecclesiam, ex pravâ applicatione eorum, quæ specialia fuerunt Apostolis, Pastorum ecclesiæ munus in his absolvi puto, ut verbum divinum ritè plebi explicent & inculcent, hæreticis os obstruant demonstratione ex verbo divino haustâ, pietatem erga Deum & charitatem erga proximum omnibus modis urgeant, sacramenta administrent, censuras ecclesiasticas exerceant, eos qui vitâ & moribus profani fuerint à participatione sacramentorum excludant, qui ad munus Pastorale fuerint legitimè vocati impositione manuum ordinent, & in Synodis congregati eos canones cudant, qui maximè ad ædificationem ecclesiæ videntur profuturi: nec putem quid amplius ex verbo divino Pastori posse assignari, quod non ad ea quæ hîc & in præcedentibus sunt dicta, possit revocari. Quòd canones ecclesiastici, ut vim legum obtineant, à Magistratibus piis, si ecclesia sub eorum tutelâ degat, debeant sanciri & approbari, neminem in dubium revocaturum existimo. Possem id testimoniis consentientibus Theologorum nostrorum probare, si id operæ pretium foret. Sufficiat Walæus Tomo II. p. 39. *Fatemur canones ecclesiarum non obtinere vim & robur civilium legum, nisi à Christiano Magistratu approbentur; sed in tantum tamen conscientias obligant, quàtenus scilicet vel in Verbo Dei expressi sunt, vel eorum transgressio conjuncta sit cum notorio scandalo.* His aliam causam obligationis addere possum, quæ locum habet in ecclesiis, quæ vivunt sub Magistratibus infidelibus, pactum nempe mutuum & fœdus, quo se invicem obligant fideles, se rectoribus istius ecclesiæ eorumque statutis & canonibus ad ordinem facientibus esse obedituros.

CCCVII. Excommunicationem locum debere habere in ecclesiâ probare soleo variis argumentis, quorum primaria sumo partim ex 1. Cor. V. 1. 11. 13. ubi Apostolus reprehendit eos, quòd non sustulerint è

medio sui incestum Corinthium, jubetque, ut non tantum ab illo se separent, sed etiam ab aliis fratribus, qui inordinatè vivunt, confer 2 Cor. II. 6. 7. 8. Partim ex 2 Thess. III. 14. & 3. Joh. com. 10. Etiam multum videtur huc facere Matth. VII. 6. ubi Christus prohibet, ne sanctum demus canibus, nec margaritas projiciamus porcis; unde licet colligere, non esse porrigenda symbola sacra iis, quos novimus ea esse profanaturos. Id quod confirmo hoc argumento: Si nemini adulto non pœnitenti, nec profitenti fidem Christianam debet exhiberi Baptismus; Ergo nec Sacra Cœna debet porrigi iis, qui non agunt pœnitentiam. Utriusque enim Sacramenti eadem est ratio, cùm utrumque sit sigillum, quo obsignatur remissio peccatorum verè pœnitenti. Si ergo certò ministro constet, hominem permanere in peccatis, utpote impœnitentem, non potest sanè minister eum certum reddere de remissione peccatorum, quod faceret, non minus tradendo ista symbola, quam id verbis testando, quod utique non licet. Ad eam censuram subeundam quoque obligantur quælibet membra ecclesiæ ex confœderatione & pacto, quod ineunt, dum admittuntur ad Sacræ Cœnæ usum, prout ex praxi in nostris ecclesiis observari solitâ patet. Meritò autem, dum approbo excommunicationem in ecclesiis nostris usitatam, eamque probo superius adductis argumentis, distinguo argumenta imbecillia à firmioribus, cujusmodi judico seqq. uti ex notis ad Syst. XVI. §. 79. videre est. Improbo primò argumentum ab expulsione Adami & Evæ desumptum; dicendo: *Hæc non erat excommunicatio: Nam, 1. Adamus & Eva non fuerunt impœnitentes, quando ejecti sunt; at per excommunicationem ejici debent tantum impœnitentes. 2. Nulla erat ecclesia à cujus communione separarentur. 3. Extra hortum Hedenis admissi fuerunt ad alia sacramenta, nempe ad sacrificia, in quibus aliquid sacramentale erat. Fuit ergo tantum mutatio fœderis, ut, quoniam in priori fœdere non perstitissent, non amplius fruerentur istius fœderis sacramento; fuit etiam pœna peccati* Similiter ad argumentum ab expulsione Caini à facie Dei, quia non videbatur stringere, hæc dictavi: *Erat hæc vel totalis abjectio Caini cum posteritate, atque sic non erat excommunicatio, quia nemo ita debet ejici ab ecclesiâ: vel erat pœna singularis Caini, quâ ipsi tremor & horror incutiebatur quæ nihil habet commune cum excommunicatione; deinde hîc nulla fuit sententia ecclesiæ, quæ requiritur ad excommunicationem, sed tantum divina denuntiatio.* Locum Joh. XX. 23. *agere de auctoritate Apostolis immediatè concessâ* dixi, in quo habeo consentientem solidæ eruditionis Theologum p. m. Joh.

Cocce-

Coccejum, qui quoque hæc verba Christi solis applicat Apostolis, quibus & dicta sunt; & Lichtfootum virum doctissimum in Matth. XVI. pag. 203. *Quoad personas suas, peculiari privilegio erant donati Apostoli, ita ut, dirigente eodem Spiritu, si quorum vellent retinere peccata & punire, potestas in eorum manu fuerit tradendi Satanæ morbis, plagis, imò ipsâ morte mulctandi: quod fecit Petrus Ananiæ & Sapphiræ; Paulus Elymæ, Hymenæo & Phileto*, &c. Tandem Traditionem Satanæ fuisse opus proprium Apostolorum ostendi art. 304. Hoc autem nomine non possum jure dici *iniquum me præbere correctioni ecclesiasticæ*, sicut accusor à Clarissimo Viro num. 111. qui eam, modo fiat spiritu lenitatis absque omni superbiâ & tyrannide, ad ædificationem non ad eversionem, penitus probo. Quo sensu excommunicatio possit dici clavis claudens, quo sensu negavi, quod reprehenditur num. 112. dixi art. 303.

CCCVIII. Ordinatio ministrorum ecclesiæ, quæ fieri solet adhibito ritu impositionis manuum, originem suam habet ab Apostolis, qui eum ritum in benedictionibus solennibus usitatum à vetustissimis temporibus Pastorum ecclesiæ constitutioni applicârunt. Exemplum primum suppeditat historia Jacobi Gen. XLVIII. 14. benedicentis duobus ex Josepho nepotibus, manuum impositione adhibitâ. Idem ritus adhibitus fuit in ordinationibus munerumque collationibus. Sic Moses Josuam in Israëlitici populi ducem manus ei imponendo Deut. XXXIV. 9. inauguravit, & Levitis consecrandis in cultum divinum ceremonialem manus imposuerunt Israëlitæ Num. VIII. 10. Manuum quoque impositio adhibita fuit in lapidando illo blasphemo Levit. XXIV. 14. Hoc autem ritu designatum fuit. 1. In hujus caput, cui manus sic imponebantur, quæri benedictionem, vel etiam devoveri ad internecionem. 2. Fuit quoque ista manuum impositio quoddam symbolum precum, divinæque potentiæ invocationem indicavit. Hunc ritum inter Judæos in creandis presbyteris usque ad tempora regiminis sui extrema usurpatum, prout ostendit Seldenus Lib. II. de Synedr. Hebr. cap. 7. adhibuerunt quoque Apostoli in consecrandis ecclesiæ christianæ Presbyteris & Doctoribus, quorum imitatione rectè etiam observatur in nostris ecclesiis. Constare autem potest ex dictis, nihil aliud esse ordinationem, quam solennem declarationem, quâ is, cui manus imponuntur, aptus ad munus istiusmodi ostenditur, & precationem, ut Deus dona ad hoc munus necessaria conservet adaugeatque, quâ ratione ad ministerium ecclesiæ so-

lenniter ex voluntate divinâ consecratur. Nullus ergo character indelebilis hîc imprimitur, neque quid interni infunditur, prout somniant Pontificii. Et, si ordinatio distinguatur ritè à vocatione, non potest quoque per illam censeri conferri aliqua facultas sive potestas Euangelium prædicandi & sacramenta administrandi, cùm id totum pendeat à vocatione, quæ necessariò requiritur ad hoc munus sanctum suscipiendum, ante quam vocationem ordinationemque pastores, in se ipsis considerati, nullam habent sanctitatem similem Sacerdotum & Levitarum sub V. T.

CCCIX. Sic paucis meam sententiam de regimine Ecclesiastico volui delineare, cùm ex laciniis dictatorum meorum à Celeberrimo Viro citatorum, perperam sæpè scriptorum, non ita possit cognosci, quas ab ipso impugnatas nunc facillimè erit defendere sive potius explicare. Reverâ enim nos in eâdem sententiâ esse, exceptis particularibus quorundam Scripturæ locorum expositionibus, planè sum persuasus. Unde apparet, ex mente meâ non satis perceptâ fieri, quòd accuset num. 89. *Cartesianos quasi hostes se profiteantur publicos Sacri Ministerii & Potestatis commissæ à Christo ecclesiæ, nosque hostilitatem in ecclesiam impudentius exercere, quàm factum à Remonstrantibus, & reverâ oves lupis committere, qui Theologiæ consecraneam juventutem nostræ institutioni committant,* cùm aliena hæc sint planè à meâ mente, nec si ego hîc deviarem id Cartesianis ullo jure imputari possit. Non rejicio in dictatis ad Syst. XV. §. 53. vocabulum Potestatis, uti mihi imputat numer. 95. cùm planè convenientia ibi dixerim cum art. 299. *Hoc vocabulum Potestas potius absit: potestas nisi valde late sumatur, quo sensu quilibet habet potestatem ea agendi ad quæ est constitutus, supponit aliquid prærogativæ & jurisdictionis, qualem Christus denegat omnibus Nov. T. ministris.* Quod si verò quis Potestatis vocabulo utatur pro Imperio rectè observavi ad Syst. XVI. §. 64. (quod reprehenditur num. 108. nullâ tamen adjectâ ratione) *talem Potestatem omnem sub Magistratibus religionis curam habentibus dependere a Magistratibus, alias verò pendere ex confœderatâ disciplinâ.* Quam verò Potestatem ecclesiasticam agnoscam dixi art. 299. De Excommunicatione egi art. 307.

CCCX. Quam specialem sanctitatem rejiciam, quam admittam ex art. 301. est manifestum. Nego nempe illam specialem sanctitatem, quam suo Clero vindicant Pontificii, nego alias requiri qualitates in ministro ordinando, quam ut sit potens in Scripturis, ut ex iis didicerit ὑποτύπωσιν ὑγιαινόντων λόγων, utque pietate & morũ probitate aliis

prælu-

præluceat, ita ut qui ea omnia habeat, cujuscunque sit status vel conditionis, censendus sit aptus ad ministerii functionem, accedente legitimâ vocatione. Non verò nego, quod mihi imputat Vir Clarissimus art. 131. num. 92. *Ecclesiæ ministros non esse specialiter ex naturâ sui Ministerii, & per suam χειροθεσίαν ad ista Deo devotos & consecratos.* Illud verò satis quoque significavi notâ meâ ad § 30. Syst. XV. ubi sic habent verba. *Non debet putari, quasi specialis sanctitas vel spiritualitas sit in Ministris ecclesiæ, eò quod ipsis solis ordinis & decori gratiâ jus concedatur verbum annunciandi & Sacramenta administrandi: nam & in Vet. & Nov. Test. & Magistratibus & aliis hoc licitum fuit, & nunc etiamsi ita res ferat, & nihil oriatur incommodi, id licitum esse posset.* Id quod exemplis variis ex Vet. Test. probo. Quæ omnia satis ostendunt, me in ministro Euangelii solam requirere aptitudinem & vocationem legitimam, quæ ad ordinem & decorum pertinent, quibus positis nihil aliud judico necessarium ad ministerii functionem; quod nemo jure oppugnabit, nisi qui specialem Sanctitatem Pontificiorum propugnare volet. Non verò dixi, id facturos esse Magistratus, quâ Magistratus, si faciant. Possunt enim esse Magistratus, ut tamen non habeant specialem illam aptitudinem ad docendum, ut dixi; & si eam haberent, non tamen utile foret ecclesiis ut docerent, modo alii apti reperiri queant, quia non ita commodè utroque munere simul fungi possent, quin vel respublica vel ecclesia aliquid pateretur detrimenti. Dum autem Vir Clarissimus putat, me locutum de Magistratibus quâ Magistratibus, videtur tacitè concedere, quod Magistratus possint docere & Sacramenta administrare, sed non quâ Magistratus. Unde benè inter nos conveniet.

CCCXI. Sed inquit num. 119. me in dictatis ad Syst. XVIII. §. 13. *eousque favere Socinianis ut administrationem Sacramentorum negem necessariò convenire ecclesiæ ministris, ac statuam decori duntaxat & ordinis esse, ut illa administrentur ab iis, qui publicè docent.* Nota mea sic habet: *Ut omnia fiant ordine & decenter in ecclesiâ, præstat ut Sacramenta administrentur ab iis, qui publicè docent; olim tamen in ecclesiâ judaicâ, & in primâ apostolicâ, cum multi docerent qui tantùm habebant aptitudinem, etiam Sacramenta ab iis ipsis fuerunt administrata. Sic manna administrabant omnes Israëlitæ, ut & aquam ex petrâ; sic Pascha administrabat quilibet Paterfamilias.* At sanè quod requirit ordo & decorum, ut fiat à ministris ecclesiæ, id fit necessariò ab ipsis; ut enim ordo & decorum observentur in ecclesiâ necessarium utique est. Non ergo nego, necessariò debere administrari Sacramenta ab iis, qui publicè

blicè docent, & per consequens Socinianis non faveo. Cæterum in ecclesiâ Judaîca, saltem prout erat tempore Apostolorum, videtur, docendi facultatem concessam fuisse etiam ignotis, colligi posse ex historiâ Pauli & Barnabæ Act. XIII. 14. 15 ubi ignoti Paulus & Barnabas invitantur à præfecto Synagogæ ad loquendum coram populo. Rex ipse aliquando publicè legem prælegebat temporibus Christi & Apostolorum. Id expressis verbis docetur in codice *Sotah* cap. VII. Misna VIII. *Quomodo legebatur sectio Regis?* &c. *Fecerunt ei suggestum ligneum in atrio, ille vero* (Rex) *in eo sedebat, ut dicitur: A fine septem annorum,*&c. (Deuter. XV. 1.) *Minister Synagogæ sumebat librum legis, deditque eum capiti Synagogæ, & caput Synagogæ dedit eum Principi Sacerdotum, & princeps Sacerdotum tradidit eum Sacerdoti magno, & Sacerdos magnus tradebat eum Regi. Rex Agrippa tamen stans accepit & stans legebat, ideoque à Sapientibus laudabatur, &c. Illas etiam preces quas Sacerdos magnus faciebat easdem etiam faciebat Rex.* Ex quibus apparet, non tantum Regem publicè legisse æquè ac Pontificem maximum, sed etiam preces pro populo effudisse (tales enim preces dicere solebat Pontifex maximus) non aliter ac ipsum. Dein majori jure hoc facere solitum fuisse, quam Sacerdotem, apparet non tantùm ex eo, quod sedens legerit, cùm Sacerdos magnus non nisi stans hoc munus obire fuerit ausus (nam quod Rex Agrippas stando legerit, ob eamque rem à sapientibus fuerit laudatus, id magis ex singulari aliqua devotione an hypocrisi, quam ex officio fecit) sed etiam quod ipse Pontifex hâc in re fuerit Regis minister. Hoc certè inde colligitur, non fuisse singularem quandam sanctitatem positam in docendo, sed tantùm in administratione cultus Levitici, unde docere populum cuique licebat, ex quâcunque tribu is esset, modo aptitudinem haberet, quæ sæpius deerat Sacerdoti magno, qui aliquando ita imperitus fuit, ut ne legere quidem potuerit, multo ergo minus legem exponere, uti constat ex codice Joma, Misnâ VI. cap. I. ubi de Sacerdote magno dicitur: *Si doctus erat, exponebat; sin minus discipuli doctorum exponebant coram ipso: si legere assuetus erat, legebat, sin minus, alii legebant coram eo* Neque verò putandum est, omnes Pharisæos & Scribas, qui tempore Christi super cathedrâ Mosis sedebant, & populo legem exponebant, fuisse Sacerdotes aut Levitas, sed ex quâlibet tribu fuerunt; aptitudo sola sufficiebat.

CCCXII. Etsi autem in ecclesiâ Judaicâ non semper minister sacramenti ab accipiente fuerit distinctus, & quamvis in ecclesiâ primitivâ

Aposto-

apostolicâ, cum messis esset magna & operarii pauci, non ita necesse fuerit attendi, ut qui prædicarent Euangelium, & sic consequenter administrarent sacramenta, haberent vocationem per homines, sed ipsis sufficeret aptitudo & dona à Deo accepta, atque occasio per Deum suppeditata, sicut, qui dispersi fuerant persecutione post lapidatum Stephanum exortâ Hierosolymis, euangelizârunt per regiones Judææ & Samariæ sermonem Dei Act. VIII. 14. nunc tamen ad omnem confusionem evitandam necessarium est, ut ad Euangelium prædicandum & Sacramenta administranda legitimè vocentur, quorum dona & aptitudo ad istud ministerium fuerint probata. Atque hujus ordinis & decori causâ factum est, ut Apostoli providentes ecclesiis etiam post suum ab iis discessum, utque, absentibus Apostolis aliisque ecclesiæ Ministris extraordinariis, non destituerentur ulteriori instructione, eos quos aptos noverant & sufficientibus donis instructos ubivis constituerint presbyteros sive ecclesiæ Pastores ordinarios, quo facit Act. XIV. 23. Tit. I. 5. Quo suo exemplo nobis præeuntes ostendunt, non quemvis, qui id facere aptus sit ad verbi & sacramentorum administrationem esse admittendum, cùm id multifariis confusionibus occasionem posset præbere, sed eum demum, qui prius fuerit probatus & legitimè vocatus, de quâ vocatione quid statuam, & quam nihil diversum doceam à communi ecclesiarum reformatarum doctrinâ, etsi non omnes locos Scripturæ eo modo explicem, quo eos interpretatur Vir Celeberrimus, ex superioribus satis potuit patere.

CCCXIII. Jurisdictionem omnem me ex instituto Christi removere ab ecclesiæ Ministris patet ex art. 299. Si tamen aliquam exerceant, uti fieri solet ab Episcopis, eam acceptam referri debere supremis potestatibus omninò puto, idque facilè ex historiâ Romanorum Imperatorum ostendi posset, si id esset necessarium. Hinc ergo ad Syst. XV. §. 32. sic annotavi: *Jurisdictio nulla uspiam est nisi concessa sit à Magistratu, & quam Magistratus potest vel amplificare vel imminuere, prout visum id fit expedire Reipublicæ.* Non verò ibi locutus sum de *potestate Clavium & disciplina ecclesiastica*, quod mihi perperam tribuit noster num. 93. Qui num. 95. me reprehendit, quod *quam abrogem* Jurisdictionem *docentibus in ecclesiâ Christianâ parum prudenter tribuam Rabbinis Judæorum ad §. 55.* quam notam videamus. *Vox Rabbi* dico, *majestatem aliquam & præeminentiam denotabat inter Judæos, iisque, quibus hic titulus concedebatur, simul etiam conferebatur Jurisdictio.* Id didici ex Seldeno in Rabbinorum scriptis versatissimo,

apud quem Lib. II. de Synedriis sæpius hoc occurrit. Pag. 280. inquit, *Tralatitium est, &c. illud perpetuò cum imponerent manus presbytero in facultatem judiciariam vocâsse eum seu nominâsse Rabbi, eoque eum titulo donasse; unde R. Josuah Levita in Hilcoth Olam: Omnis propriè dictus* in Talmudibus *Rabbi, ex terrâ Israëlis est* (ibi creatus) *quoniam ibi ordinare solebant ad judicanda etiam judicia criminalia* (adeoque reliqua) *& vocare ordinatum Rabbi.* Ex illâ Jurisdictione ecclesiasticis ab Imperatoribus concessâ, distincta à Jurisdictione seculari, etiam orta fuit distinctio causarum ecclesiasticarum & politicarum, quarum hæ coram judicibus politicis agitarentur, illæ coram judicibus ecclesiasticis disceptarentur. Sic igitur judices in his constituti Episcopi & de causis illis cognoverant & judicârant. In his enim duobus officium judicis absolvitur. Ita ergo distinctum fuit forum episcopale & ecclesiasticum à foro civili pro distinctione causarum, quâtenus aliæ fuerunt dictæ ecclesiasticæ, aliæ civiles. Causæ ergo omnes demum locum habent, ubi sunt litigantes & disceptantes, earumque decisio fit, ubi utræque partes fuerint sufficienter auditæ. At quando agitur in Consistorio de excommunicando hoc vel illo, qui scandalum dedit, non potest hoc, nisi iterum valde abusivè, dici judicium de causâ ecclesiasticâ.

CCCXIV. In quibus non putabam Virum Celeberrimum mihi contradicturum. Cùm enim ipse dixisset Syst. XV. §. 32. Magistratus esse, *Causarum merè ecclesiasticarum disceptationem sic iis relinquere, ad quos pertinet, ut possit audire & admittere querelas eorum, qui se in illis vel factione oppressos vel contra canones condemnatos ostenderint, & causa revisionem iisdem vel homogeneis judicibus demandare*, hæc ego annotavi: 1. *Quo satis ostenditur, quod causa ecclesiastica nulla alia sint, quam ea quas Summa potestates ab ecclesiasticis dirimi voluerint*: 2. ad vocem *Homogeneis* notavi: *id est, ex ordine ecclesiastico, quod tamen simpliciter non est necessarium, cum supremum imperium & jus tam circa sacra quam circa profana Magistratui politico conveniat*, Sed his quamvis velit contradicere Vir Celeberrimus, non tamen reverâ contradicit num. 93. ubi inquit: *Ejusdem est furfuris quod ait nullas esse causas ecclesiasticas, præter eas quas summa potestates ab ecclesiis dirimi voluerint; nescius distinguere inter decisiones ecclesiasticas causarum ecclesiasticarum, & pondus accedens illis decisionibus, quod ad hominem externum, ab auctoritate Magistratus: unde factum olim, ut pars qua læsam se putabat judicio Synodali, suas querelas deferret ad Imperatores Christianos; ut evenit aliquoties in causis*

Dona-

Donatistarum & Athanasii : Prioris tunc judicii revisio, principum auctoritate commissa fuit aliis judicibus homogeneis (ut dixeram, quos meus censor imperitè putavit intelligendos ordinis Scholastici,) id est aliis Synodis & conventibus ecclesiasticis : quamquam censor id profane minus necessarium arbitretur, quod summum jus, inquit, & imperium circa profana & ecclesiastica Magistratui Politico competat; ac si quicquam derogaret legitimo juri & imperio supremi Magistratus Christiani, quod velit jus ministrorum Christi illibatum relinquere, &, si quid in illius exercitio à nonnullis peccetur, ita dirigere ac corrigere pro sua architectonicâ potestate, quam etiam objective ecclesiasticam agnoscimus, ut id fiat citra læsionem legitimi officii Pastoribus competentis Ubi primum obiter observo, incidisse in exemplar malè descriptum; nihil enim quicquam somniavi de *ordine scholastico*, neque propterea imperitiæ possum culpari. Quod si placuisset ipsi privatim me potius monere de dictatis, & de offensione quam inde accepisset, quàm publicè me accusare, potuissem de his & multis aliis satisfacere, & fortè omnem causam offensionis tollere. Sed quantum ad reliqua consensus est inter nos : nullibi enim nego distinctionem inter decisiones ecclesiasticas & pondus accedens illis ab auctoritate Magistratus; quemadmodum, si Magistratus controversias inter medicos exortas & chirurgos à collegio medicorum decidi velit, is qui observaret, id totum pendere à Magistratu, non negaret distinctionem inter decisiones medicas & pondus accedens illis ab auctoritate Magistratus. Quòd verò inquit me *profanè* existimare, *id simpliciter non esse necessarium*, ut causæ revisio demandetur judicibus homogeneis, iratus dixit. Quæ enim quæso potest esse profanitas in eo, quòd cum possit Magistratus, ex sententiâ Cl. Viri, causæ revisionem mandare vel iisdem vel homogeneis judicibus, id non possit quoque aliis non homogeneis? An ergo Magistratus ipse non potest revisionem suscipere, si possit aliis mandare? An verò Magistratus erit homogeneus Judex cum Ecclesiasticis? Neque ego dico, *quicquam derogare legitimo juri & imperio supremi Magistratus Christiani, quòd velit jus ministrorum Christi illibatum relinquere &c.* Et est reverà hîc inter nos consensus.

CCCXV. Dicit Vir Celeberrimus Syst. XVI. 76. Conciliis *Judicium competere in rebus fidei non simpliciter auctoritativum & infallibile, sed tantùm quoad ordinem externum communionis ecclesiasticæ & formulas consensus decisivum suo modo.* Et §. 77. *Etenim Ministri ecclesiæ in Concilio congregati non tam referunt Judices ad Senatum evocatos, quàm doctores prudentes ac*

 peri-

peritos ad concilium coactos; & qua est Medicorum consultatio circa valetudinem corporis, talis est Synodorum constitutio in rebus ad animam spectantibus. Ac porro Anti Tir. Tom. I. pag. 444. *Cùm tamen reverâ hic* (in pœnâ hæreticorum) *Magistratus agere debeat non tanquam executor alienæ sententiæ, sed ut propriâ auctoritate, sic proprio judicio; non pluris faciens ecclesiæ judicium de hæresi hujus vel illius hominis, quam facit relationem Medicorum in causa veneficii de hujus vel illius veneficio.* Quibus convenientia putabam me dictare ad Syst. XV. §. 54. quæ nunc non sine admiratione video reprehendi num. 95. Notavi ad istum articulum, *potestatem decisivam concessam esse à Supremâ Potestate & ab eâ dependere,* rationem hanc addens: *quòd judicium supremum quoad externa non alii competat quàm summis potestatibus.* Ex quibus satis apparet, me intelligere talem potestatem decisivam, quæ spectat externa, quæque vim habeat legis externæ, quæ procul dubio non potest non dependere à Magistratu, cui judicium supremum hîc adscribitur; & qui canones ecclesiasticos vel suâ auctoritate potest in leges mutare, vel potestatem decisivam in foro externo Synodorum membris concedendo eo ipso efficere, ut ista decreta vim legum obtineant; quibus sic explicatis nunc puto cessare debere accusationem quæ num. 95. respectu istius meæ notæ reperitur.

CCCXVI. Quid sit ordinatio Ministrorum ecclesiæ satis explicui art. 308. quibus convenientia planè, dictata sunt ad Syst, XV. §. 58. His opponitur num. 96. *me nescire, ipsam ordinationem per impositionem manuum, partem facere vocationis, & distinguendum esse, ut bene docet ipse Grotius, inter jus exercendi Ministerii, & exercitium illius juris; nam prius confert ordinatio, posterius electio ad hanc vel illam ecclesiam: & cùm prisci canones nolint quemquam ordinari sine titulo, hinc in nostris ecclesiis nemo consecratur ad jus Ministerii, qui ad aliquam ecclesiam non unà sit electus, etsi Censor neget ad §. 59. hoc utrumque nomine missionis exprimi Rom. X. 15.* Ubi ambiguitas est in Vocabulo Vocationis, quod sæpe pro Electione ex communi usu harum ecclesiarum solet accipi, quo sensu ego sumsi: at Vir Celeberrimus in latiori sensu eâ voce utitur, dum ordinationem partem facit vocationis. Sed si ordinatio confert jus exercendi Ministerii, & Electio exercitium illius juris, dicendum erit, quòd cùm ordinatio soleat sequi electionem, alicui sit collatum exercitium juris, antequam jus habeat, quod profectò valdè erit præposterum. Locum quòd attinet Rom. X. 15. cum noster Syst. XV. 59. statueret, Ordinationem & Vocationem *aliquando venire*

aire in Scripturis communi nomine vocationis. Rom. X. 15. notavi ad hæc seqq. *Hoc gratis dicitur, saltem ex illo loco non probatur: ibi enim agitur de Apostolis, & refutatur Objectio Judæorum se excusantium, quod non audiverint mysteria Euangelii, & illis verbis hic citatis utentium, addentium etiam dictum Esaiæ. Nempe sic objiciebant; non audimus Euangelium, quia nemo nobis prædicavit: nemo autem nobis prædicavit, quia nemo ad nos missus fuit ex Apostolis, qui immediate divinitus missi erant: at juxta Esaiam requiritur, ut illi Euangelizantes mittantur divinitus: huic objectioni in seqq. respondetur ab Apostolo Paulo, falsum esse, quod Judæi non audiverint, falsum etiam esse, quod Apostoli ad eos missi non fuerint, idque ex eo probatur, quod Apostolorum sonus exiverit in totum orbem, itque prædicaverint hic & illic, unde facilè potuerit ad Judæos sonus Euangelii pervenisse;* quæ interpretatio mea firmo adhuc stat talo. Reprehendit porro num. 97. notam aliam ad §. 59. quæ sic habet: *Honor & gradus is ministerii, qui sic* (scilicet si quis per vim aut casum suâ priori ecclesiâ destituatur) *retineri potest, in eo tantum consistit, quod aliquis habeat aptitudinem ad docendum, quodque eam dum ministerio fungeretur, ante hac satis ostenderit, vel quòd ad regimen ecclesiæ adhuc admittatur, quamvis fortè non amplius publice doceat. Non verò putandum, quòd nescio quid imprimatur per impositionem manuum, ut is qui semel eam acceperit, postea semper talis maneat;* quæ posteriora verba contra eorum vim sic Vir Clarissimus interpretatur, ac si negem, *manere talem Deo consecratum ad Ministerium Euangelii.* Talis enim eo ipso quo per vim aut casum ecclesiâ priori destituitur, cùm retineat animum alii ecclesiæ inserviendi, manet sic Deo ad ministerium Euangelii consecratus.

CCCXVII. De more illo quo quis ordinatur, etsi nondum certa ecclesia ei fuerit assignata, qui etiam in quibusdam ecclesiis Reformatis obtinet, hoc observavi ad Syst. XV. §. 59. *In eo non multùm esse reprehendendum, nisi fortè, quod faciat contra ordinem ecclesiæ & occasionem det confusioni: aliàs enim cùm ordinatio nihil aliud sit, quàm ejusmodi exhibitio testimonii, &c. quid impedit quò minus possit alicui tale testimonium exhiberi, illudque signo impositionis manuum confirmari, qui tamen nondum sit vocatus? Sed cùm Pontificii per ordinationem nescio quem characterem velint imprimi & qualitatem, saltem hactenus malè faciunt, quòd iis imprimant, de quibus adhuc incertum est, an unquam ministerio sint functuri.* Ex quibus patet contrarium ejus, cujus me accusat n. 97. ac si nihil in more pontificio velim esse reprehendendum. Nescio verò quomodo ex ordinatione sequatur, *ordinatum Deo*

esse speciatim dicatum ad ministerium quamdiu vixerit, quod statuit noster num. 98. Addictio ad aliquod munus potest quidem fieri ab iis, qui jus & potestatem in aliquem habent, quo sensu Samuel fuit dicatus Deo à parentibus, qui jus in eum habebant; sed nescio quod jus habeant ad hoc ordinantes. Potest tamen fieri, ut is qui sic ordinatur eo animo ordinari petat, ut velit per hoc testatum dare, quod semetipsum ad tempus vitæ Deo consecret ad ministerium, quod propositum non debet mutare, nisi propter gravissimas causas.

CCCXVIII. Adhuc ad §. 63. ubi noster inquit: *Ordinari verò debent ecclesiæ ministri ab iis, qui jam sunt in eo gradu, cùm nemo possit dare quod non habet*, hæc duo annotavi: 1. *Hoc absolute necesse non esse satis apparet, si attendatur natura ordinationis antea à nobis explicata. Sic Israelitæ Levitis imposuerunt manus, postquam hi destinati fuerunt ad servitutem Dei; quia tamen ista impositio manuum est testimonium de alicujus aptitudine, præstat eam fieri ab iis, qui optimè de eâ judicare possunt, cujusmodi sunt Pastores; &, quia est ordinatio quædam, præstat eam peragi ab ecclesiæ ministris, quibus publice precandi potestas assolet demandari.* 2. *Hoc axioma hîc non rectè explicatur, cùm hîc nihil detur novum nec ulla qualitas infundatur, imò nullum jus docendi conferatur, quod totum pendet à vocatione; si ita liceret argumentari, sequeretur neminem posse coronare Regem, nisi qui ipse Rex esset.* Hanc verò meam *rationem ineptam* dicit num. 99. additque: *Nam præterea quod debet ille coronam habere in manibus quam Regi imponat, id omninò facit per delegatam potestatem ab iis, qui habent jus coronandi, licet ipsi non sint capita coronata.* Vis meæ annotationis fuit; hujus axiomatis sensum verum hunc solummodo esse, quòd causa nihil possit largiri effecto, nisi quod ipsa habeat vel formaliter vel eminenter, & per consequens, supponere relationem causæ ad effectum, adeoque, si debeat hîc applicari, supponi oportere cum pontificiis, certam quandam qualitatem & characterem indelebilem per ordinationem imprimi: sed si illud axioma citra istam relationem adeò generaliter & confuse applicetur, uti factum est in Systemate, falsum illud esse. Ostendique Israëlitas imposuisse manus Levitis, quibus tamen prius manus non fuerant impositæ ab aliis, item, coronari regem ab eo, qui prius non fuerat coronatus. Hæc autem non everti per ea quæ habentur num. 99. quilibet videt. Coronam debere habere in manibus eum qui alterius capiti imponit, nemo nescit, sed corona utique non est ipsa coronatio: comparatio autem à me facta fuit inter *coronationem* Regis & ordinationem,

non

non inter *coronam* & ordinationem. Jus coronandi debere habere eum qui coronat, concedo, sed ideo non ipse debet esse coronatus; ita similiter jus ordinandi debere habere eum qui ordinat nemo negat, sed nego inde sequi, illum ipsum debere esse ordinatum, ita scilicet ut ista ordinatio absolutè loquendo ab alio fieri non possit, qui hîc est status controversiæ.

CCCXIX. Tandem ad justificandam primorum nostrorum Reformatorum vocationem annotavi ad Syst. XV. §. 71. *Quamvis iis non fuisset collata impositio manuum, nulla tamen esset difficultas, siquidem quilibet aptus, modo vocatio adsit, etsi forte non accederet impositio manuum, potest tamen ecclesiæ in officio Pastoris inservire: si enim ipsi ecclesiæ constet de alicujus aptitudine, non est absolute necessarium, ut per ordinationem petatur testimonium ab aliis*, quibus similia notavi ad §. 73. Hoc simpliciter reprehenditur tanquam erroneum num. 102. nullâ adjectâ ratione, nisi quòd dicatur *me vocationem totam facere juris humani*, quod nullibi à me fuit dictum. Sed eadem planè mecum hîc sentit, Clariss. Hoornbeeck in Epistolâ de Independentismo p. 242. *Non quod ritus χειροθεσίας adeo sit necessarius, nam & in ecclesiis nostris aliquando propter abusus & superstitionem, quâ laborabat initio, omissus fuit ex Synodo Dordracenâ An.* CIↃ IↃ LXXIV. *artic.* 24. *& Dordracenâ An.* CIↃ IↃ LXXVIII. *artic.* 5. *& Medioburgensi An.* CIↃ IↃ LXXXI. *art.* 4.

CCCXX. Seniorum ordinem, quos ecclesiæ in Belgio adjungunt pastoribus, ut unà cum ipsis invigilent quo scandala irrepentia in ecclesiam tollantur, non tamen verbum divinum prædicent, nec sacramenta administrent, utroque pollice probo. Et cum Blondello *De Jure plebis in Regimine ecclesiastico* istud institutum in praxi Apostolicâ fundatum agnosco, hoc argumento cum ipso pag. 78. usus: Quòd, cùm ecclesia Judaica in tantum excrevisset numerum, uti ex actis Apostolorum constat, quanto propter persecutiones infidelium Judæorum nunquam potuit congregari, sed fideles debuerint latebras quærere, & tamen non rarò ecclesia dicatur fuisse congregata, ut Act. VI. 2. Act. XI 22. Act. XV. 4. & 22. debuerint convenire in locis diversis, atque quidam à singulis conventibus delegati ad communem conventum referre ea, quæ in congregationibus particularibus fuissent tractata, quos ætate, doctrinâ & moribus præcellentes aliis fuisse non videtur esse dubitandum, atque ad imitationem nominis sub Vet. T. usitati quoque Seniores fuisse appella-

tos

tos probabile est. Sed & quamvis de hâc functione ex praxi apostolicâ non constaret, & hoc argumentum fortè vacillet, seniorum tamen officium satis videtur stabiliri in hoc generali axiomate Apostoli, ut omnia ordine & decenter fiant in ecclesiâ, ad quem ordinem & decorum cùm facere possint seniores, non potest ullâ ratione hac in parte improbari nostrarum in his ecclesiis institutum. Cùm igitur dico ad Syst. XVI. 3. Regimen ecclesiæ unicujusque esse penes illius Pastores & Seniores, *ex ipsius ecclesiæ & Magistratus instituto*, quæ verba reprehendit Vir Clarissimus num. 105. dicens: *me malè ideo velle ordini nostrarum ecclesiarum*, & num. 103. me *omnem auctoritatem seniorum rejicere*, respicio ad ordinem ab ecclesiis nostris constitutum, & à summis potestatibus approbatum, quâ de re dixi art 296. nulloque modo inde poterit elici, me malè velle ordini nostrarum ecclesiarum aut seniorum omnem auctoritatem rejicere.

CCCXXI. Ordinem igitur seniorum approbo, uti ex dictis constat, quamvis hæream cum doctissimo Blondello in Loco 1 Tim. V. 17. ex quo nondum video posse evinci, Apostolum, per istam distinctionem eorum, qui dicuntur κοπιᾷν ἐν λόγῳ καὶ διδασκαλίᾳ, & eorum qui non ita dicuntur κοπιᾷν, distinguere Pastores & Seniores ecclesiæ. Atque hinc ad Syst. XV §. 76. sic dictavi: *Versu 3. 1 Tim. V. dicitur χήρας τίμα Viduas honora; ubi τὸ τιμᾷν nihil aliud significat, quam ut honeste sustententur istiusmodi viduæ: addit enim Apostolus quod, si habeant cognatos, non debeant esse ecclesiæ oneri. Similiter etiam postea sumitur vox τιμὴ, quia, ratio additur, Scriptum est enim bovi trituranti os non obligabis, unde colligitur, quòd per vocem τιμῆς significetur stipendium. Simili sensu adduxerat Apostolus hoc testimonium 1 Cor. IX; duplici enim honore tales presbyteri sunt digni, tùm propter senectutem, quo vel solo sunt sustentandi, eo modo quo viduæ ætate provectæ, tùm propter laborem quem impendunt. Illi autem qui laborant non distinguuntur hîc à non laborantibus, sed à minus laborantibus; verbo enim κοπιάω non quivis labor significatur, sed is, qui cum insigni molestiâ est conjunctus, cujusmodi erat eorum, qui omni curâ rei familiaris neglectâ uni studio Euangelii propagandi incumbebant; eo sensu tribuitur mulieribus quibusdam sanctis, quæ huc illuc relictis rebus suis Euangelii causâ discursabant Rom. XVI.* His nunc addo Chrysostomum ad 2 Tim. II. 6. distinguere inter τὸν κάμνοντα & κοπιῶντα. Sic enim inquit: οὐχ ἁπλῶς γεωργὸν εἶπε, ἀλλὰ τὸν κοπιῶντα· οὐδὲ

ἁπλῶς

ἁπλῶς χάμνοντα, ἀλλὰ τ κοπιώμενον. Cùm autem, etsi officium seniorum nequeam ex illo loco elicere, munus tamen istud probem, non potuit jure dicere Vir Celeberrimus num. 103. *in eo Confessioni Belgicæ & Canonibus ecclesiæ Belgii palam memet opponere.* Quod verò objicit ibidem, sic sequi, *ut ullus deses Presbyter & sui muneris negligens duplici honore dignus censeri queat,* ex meâ ipsâ notâ facilè potest refutari. Qui enim minus laborat, quàm alius, sive qui non ita incumbit studio Euangelii propagandi, ut curam rei familiaris negligat, non ideo deses potest ullo jure vocari. Ut comparentur Seniores cum Levitis non repugno, sed ad Syst. XV. §. 75. tantum observo dissimilitudinem inter Levitam & Seniorem, *quòd Levitæ fuerint ministri sacerdotum, non verò ita nunc sint Seniores ministri Pastorum.* Mea verò sententia de Seniorum officio non multum differt à sententiâ Clarissimi Viri, quam olim publicè pro concione in ecclesiâ Sedanensi proposuit, sicut refertur in epistolâ ad Illustrem Salmasium Anno 1651. ubi p. 100. sic loquitur: *Commodissimam autem censuit* Stuartus *se nactum occasionem ex quâdam Maresii concione, quâ explicans primum versiculum cap. 5. prioris Epistolæ Petri, ac de voce presbyteri disserens, obiter monuerat, id nominis vix aliter in Scripturis Nov. T. usurpari, quàm de iis ecclesiæ ministris, quibus verbi & sacramentorum dispensatio commissa est; & eos, qui in ecclesiis nostris vocantur Seniores, ad regimen ecclesiæ speciatim constitutos ex loco 1 Cor. 12. ceu ecclesiæ Senatores & Assessores Pastorum, videri propius accedere ad illos, qui nominatim Diaconi Paulo appellantur: ut reverâ in ecclesiâ Sedanensi & ferè omnibus Galliæ inter Diaconos & Seniores sive presbyteros regiminis nullum discrimen observatur.* Unde hâc de re imposterum consensum inter nos fore spero.

CCCXXII. De Diaconis primis ecclesiæ apostolicæ dixi ad Syst. XV. §. 78. illos etiam prædicavisse, uti expressè docetur de Stephano & Philippo, quod nullâ tamen adjectâ ratione reprehenditur numer. 104. Solitos fuisse Apostolos cum fraternitate communicare multis exemplis probavit Blondellus de Jure plebis in regimine ecclesiastico pag. 14. usque ad 21. Ego in dictatis ad Syst. XVI. §. 4. unum exemplum protuli ex Act. XV. At Vir Clarissimus num. 105. *me* eâ causâ dicit *apertè propendere in sententiam Independentium*, quod nescio quomodo sit evicturus, nisi eâdem operâ & Blondellum in sententiam Independentium propendere ostendat. An verò etiam ad eam vergebat Clariss. Hoornbeeck quando in epistolâ de Independentismo pag. 227. inquit; *Passim magis*

 consuli

consuli olim solitam ecclesiam totam in rebus regiminis quibuscunque, quàm quidem obtinet, nemo, collato utroque ecclesiæ tempore & statu, diffitebitur. Tum vix aliquid agebatur, nisi præsente & consultâ ecclesiâ, nunc summum est, quòd in aliquibus gravioribus quoque consensus ejus quæritur. Citat postea & probat verba Blondelli, eandem planè, quam adduxi sententiam continentia pag. 229.

CCCXXIII. Monendos esse superiores & Principes à Ministris ecclesiæ vel reprehendendos quoque ex Scripturâ, nuspiam nego, sed id fieri volo cum omni reverentiâ & prudentiâ; quamvis si negarem esse reprehendendos loquerer cum Apostolo 1 Tim. V. 1. *Seniorem ne objurga, sed mone ut patrem.* Per Πρεσβύτερον enim hîc intelligi ætate majorem, & sic porro unumquemque, qui nobis est præpositus, & cui nos sumus subjecti, dubium esse non puto. Monui verò ad Syst. XV §. 27. discipulos meos, ne olim ad ecclesiasticam cathedram promoti abutantur exemplo Nathanis aliorumque prophetarum sibique idem licitum putent erga suos Magistratus, quod licuit ipsi aliisque Prophetis, qui singulari mandato divino instructi erant, jussique acerbius reprehendere superiores, speciali accepto mandato à Deo. Ambrosium verò dixi in eo excessisse limites sui officii, quòd Theodosium Imperatorem etiam pœnitentem nollet admittere. Ad quæ Celeberrimus noster num. 91. observat, me *nescire distinguere inter rem & modum rei*, cùm tamen ego de modo rei planè fuerim locutus. Dein dicit, *ipsum Theodosium jurium suorum satis intelligentem in eo Ambrosium laudâsse, & se disciplinæ ecclesiasticæ ultrò submisisse.* At modestia Imperatoris non excusat Ambrosii animum immoderatum & fastum. Nam 1. teste Sozomeno, cùm Theodosius post patratam cædem innocentium æque ac nocentium Thessalonicensium, Mediolani templum ingredi vellet, ut oraret, occurrens ei Ambrosius dixit. *Fas non esse, antequam pœnitentiam egerit, vel sacrum ingredi solium, vel ad mysteriorum divinorum communionem admitti.* Et quamvis non negem, rectè fecisse Ambrosium, quòd negaret sacra Symbola ei, cui quamdiu talis manebat, non potest concedi res significata, non tamen, ut puto, Vir Clarissimus probabit, quòd ipsum ab ingressu templi voluerit excludere Ambrosius, quo invitari potius debent peccatores, ut verbi divini auscultatione à peccatis avocentur, & ad pœnitentiã adducantur. 2. Narrante Theodoreto Theodosius postquam 8. mensibus elapsis lachrymas abundè effudisset nomine peccati commissi, ad Ambrosium ablegavit Ruffi-

Ruffinum aulæ magiſtrum, petens ſe ſolvi à vinculis excommunicationis, moxque illum ipſum ſecutus idem ab Ambroſio contendit, cui moroſe reſpondit Ambroſius: *tyrannicum eſſe adventum ipſius, & inſanire adverſus Deum conculcantem leges divinas:* quâ ratione excipiendum fuiſſe pœnitentem, & quidem Imperatorem, non dicet Vir Celeberrimus. 3. Eodem Theodoreto teſtante Theodoſius jam in gratiam receptus cum intra cancellos poſt oblationem more conſueto conſiſtere vellet, juſſus eſt ab Ambroſio inde recedere, *quòd interiora ſolis ſacerdotibus pateant reliquis verò ſint inacceſſa; Imperatori proinde exeundum eſſe, & cum reliquis è vulgo aſſiſtendum*, quæ quomodo à faſtu excuſari poſſint equidem non video, nec excuſabit opinor Vir Reverendus.

CAP. XX.

Quæſtiones quædam problematicæ, & de ſenſu aliquot locorum Scripturæ. Explicatur Heb. II. 16. Chriſtus ſibi meritus eſt gloriam & exaltationem. Mediator Gal. III. 19. eſt Moſes, non Chriſtus. Chriſtus nullo modo ex ſuperabundanti ſatisfecit. Fuit ſub veteri lege aliquod ſacrificium propitiatorium, in quo ſanguis non effunderetur, ſed inde pro Sacrificio Miſſatico incruento pontificiorum nihil eſt præſidii. Explicatur ad Hebr. VI. 4. 5. Sacramentum pænitentiæ fictitium quomodo refutetur? Ambiguitas vocabuli pænitentiæ. Quæ ſint partes pænitentiæ? Epiſcopius per dolorem de peccato, quem intimè conſtituere dicit pænitentiam, non intelligit dolorem mundi. Explicatur 1 Theſſ. V. 22. De converſione ſolemni Iudæorum & Turcarum ante diem extremum Iudicii. De Gog & Magog. Quid ſit ſignum Filii hominis? Matth. XXIV. 30. Vox συναγωγὴ Act. XV. 21. accipitur pro conventu Iudæorum converſorum ad Chriſtianiſmum. Vox ἐκκλησία & apud profanos auctores, & 1 Cor. XI. 18. 22. ſignificat locum conventus. Barnabas & Paulus electi ſunt Apoſtoli à Deo in locum Iacobi ab Herode gladio percuſſi. Matth. XVIII. 18. non ad Apoſtolos, ſed ad fratres læſos eſt referendus. Exponitur

nitur Ephes. IV. 11. Quid sit χειροτονία? Actor. XIV. 23. Quid sit ecclesia? Matth. XVIII. 18. Quid Presbyterium? 1 Tim. IV. 14.

CCCXXIV. Sic ergo inter ipsum & me erit consensus quoad totius negotii regiminis ecclesiastici summam, dissensu fortè leviore manente circa quasdam particulares expositiones Scripturæ. Atque ita reliqua quoque, quæ nunc adjungam, vel tantum particulares quasdam Scripturæ expositiones spectant, vel quasdam problematicas quæstiones, de quibus salvâ charitate Christianâ & vinculis concordiæ possunt esse diversæ sententiæ. Ea igitur quæ restant à me explicanda paucis absolvamus. Occurrit autem primò locus Hebr. II. 16. citatus à Viro Clarissimo Syst. IX. 10. in quo explicando hæc de verbo ἐπιλαμβάνεται dictavi: *Sed etiam potest verti per vindicare; Docet enim Budæus, à Platone rei suæ vindicationem vocari ἐπίληψιν: atque hæc interpretatio maximè cum contextu convenit; antea enim dixerat Apostolus, quòd Christus assumserat carnem & sanguinem sicut pueri, nunc id probat ex eo, quòd non vindicat Angelos sed semen Abrahæ; quæ ratio aliàs esset tautologica, si ἐπιλαμβάνεται hîc idem sit quod assumere; sic enim diceretur Christum assumsisse carnem, quia assumserat semen Abrahæ, quod semen est caro & sanguis.* Hîc autem dicit noster num. 46. *me in gratiam Socinianorum in locum eximium Hebr. II. 16. explicari solitum ab omnibus Orthodoxis, de incarnatione Christi & assumptione naturæ humanæ, novum cudere interpretamentum verbi ἐπιλαμβάνεται ad locum IX. §. 10. quod velim reddi non assumere sed vindicare: Nec minor ideo prævaricatio Censoris, quòd ei præluxerit Coccejus, insignis aliàs Scripturarum depravator sub prætextu majorum profectuum, non eorum quos laudat Paulus 1 Tim. IV. 15. sed eorum quos culpat 2 Tim. II. 6. & III. 13.* Sed quilibet videt ex dictatis, me hunc ipsum locum de incarnatione & assumtione naturæ humanæ explicare, quamvis verbum ἐπιλαμβάνεται cum Clarissimo Coccejo per *vindicare* explicem, quem quo jure insignem depravatorem Scripturarum appellare queat equidem nescio, qui non depravationis, sed solidæ Scripturarum interpretationis insignia reliquit monumenta. Ita verò satis apparet, nihil ex meâ explicatione lucrari posse Socinianos.

CCCXXV. Nec quoque magis applaudo Pontificiis & Socinianis, quod

quod mihi exprobrat Vir Clarissimus num. 55. quàm Celeberrimi Viri Cocceius, Voetius post Gomarum Cloppenburgium aliosque è nostris iis applaudere sunt censendi, dùm cum iis statuo, Christum sibi meruisse gloriam & exaltationem, nec me pudet notarum istarum quas dictavi ad Syst. X. §. 45. ubi cùm ipse ex eo quòd satisfactio & meritum Christi solâ ratione distinguantur, vult *patere, non sibi gloriam meruisse*, respondi: *Hoc inde non sequitur; nec solum hoc statuunt Sociniani & Pontificii, sed & aliqui ex nostris, & potest quid duplicem habere respectum ratione unius, & unum tamen respectu alterius. Satisfactoria ergo & meritoria est Christi passio, si ad nos referatur, sed si tantum referatur ad Christum meritoria, quia Christus Patrem non offendit.* Dein cùm putaret ex Phil. II. 9. *liquere exinanitionem Christi se non habuisse meritoriè ad ejus exaltationem, sed tantùm antecedenter*, hæc ego observavi: *Imò contrarium inde potius liquet; cùm enim ista exaltatio Christi ibi dicatur subsecuta ejus exinanitionem, qua exinanitio erat indebita, ergo Christo concessa est tanquam merces aliqua: quod enim conceditur propter opus indebitum, & quidem tale, cui conveniunt omnes conditiones meriti, id conceditur propter opus meritorium; & sanè patiendo sibi acquisivit peculium, igitur passione suâ meritus est, & istud peculium sibi consecutus.*

CCCXXVI. Miror verò quo jure queat dicere Vir Celeberrimus num. 55. *me ex solo studio sibi contradicendi ad locum X. 5. negare mediatorem commemoratum Paulo Gal. III. 19. esse Christum*, cum adjecta à me ratio in dictatis satis ostendat, id ex studio veritatis, à quo in nullius gratiam possum discedere, à me fuisse factum. Sic habet nota: *Ibi* Gal. III. 19. *non est intelligendus Christus sed Moses: Christus verò ipse fuit legislator; sub V. T. quamdiu non erat satisfactum, non licebat quibuslibet ad Deum immediatè accedere sed accedendum erat per Sacerdotes & Levitas, & in legislatione accedendum erat ad Mosen, qui medius stetit inter Deum & Israëlitas, atq; ideo dictus fuit μεσίτης sive Mediator.* Et sanè si attendatur ad historiam legislatonis facilè hoc potest elucescere. Populus Israëliticus deprecatus fuisse legitur, ne Deus sibi loqueretur immediatè, sed ut Moses internuncius esset. Id factum dicitur Deuter. V. 5. & Deus approbavisse legitur ipsorum postulatum Deut. XVIII & promisisse, se posthâc similiter cum ipsis acturum dando Christum: E. tunc non Christus sed Moses partes μεσίτα sustinuisse est censendus. Aliæ plures rationes possent addi, si id requireret necessitas.

CCCXXVII. Reprehendit idem num. 56. quòd ad Syst. X. §. 37.

Christum ullo modo ex superabundanti satisfecisse negaverim in dictatis. Scripsit Vir Celeberrimus Syst. X. §. 37. *Christus quoque ita ex superabundanti (non quidem ratione pœnæ ipsius ex lege debitæ, sed tum ratione personæ, quod talem sponsorem tantæque dignitatis sumus consecuti, tum ratione bonorum quæ nobis certiora & majora acquisivit suâ obedientiâ, quàm nostrâ in Adamo transgressione amiseramus) pro suis satisfecisse intelligendus est, juxta istud, ubi amplificatum est peccatum, ibi superabundavit gratia, Rom. V. 20. & quod ejus actiones & passiones meritoriæ fuerint* ϑεανδρικῶς: *Ut tamen ex illius satisfactione & meritis nihil redundet.* Ad hæc ejus verba dictavi, 1. *Negandum potius est, quòd Christus ullo modo ex superabundanti satisfecerit.* 2. Ad vocem *consecuti* in ipsius Syst. dictavi: *Atqui hoc non est ex superabundanti, quia non poterat alia persona satisfacere quàm hæc.* 3. Ad vocem *amiseramus* notavi: *Atqui ne sic quidem potest dici ex superabundanti satisfecisse: si enim nos honorem debitum exhibuissemus Deo constanter, consecuti fuissemus vitam æternam; hoc autem est quod Christus suâ satisfactione præstitit.* 4. Ad vocem *gratia* dixi: *Referendo hoc ad peccatum, non verò quasi major fuerit gratia, quàm requirebatur.* Ex quibus apparet, me propterea hâc in parte non potuisse ipsi assurgere, quòd ipsius rationes mihi satisfacere non possent. Reprehensio quæ sequitur num. 57. processit exinde, quòd legit in suo exemplari dictatorum *mali*, cùm dictaveram *nati*. Nota mea facit ad confirmandum ipsius argumentum contra Remonstrantes. Probat ex Joh. III. 16. *Falsum esse, neminem diligi à Deo nisi in Christo per fidem existentem.* Ego verò ad verba: *Ita Deus dilexit mundum* notavi: *Sic enim sub isto amore Dei comprehendendi sunt, antequam nati essent; unde dici nequit, quòd jam in Christo per fidem exstiterint.* Quantum vellem, ut privatim potius mecum egisset de dictatis meis privatis, quàm ut publicè aggrederetur! Sic enim & quæ mea essent & quomodo defenderem vel explicarem & quo fine dictassem, nimirum nullo planè proposito ipsi insultandi, cognoscere potuisset, omnisque ratio offensæ tolli.

CCCXXVIII. Ad locum Hebr. IX. 22. quem citat Vir Celeberrimus Syst. X. §. 52. dictavi: *Hic vocula* σχεδὸν *ferè est repetenda ex verbis antecedentibus, ubi dicitur:* Et ferè absque sanguine nihil expurgatur. *Certum enim est, quòd remissio sub Vet. T. non tantùm facta fuerit legaliter, id est, significativè, per effusionem sanguinis, sed etiam per destructionem rerum inanimatarum, ut similæ istius, de quâ Levit. VII. item, per aspersionem aquæ.* Cùm autem ex hoc loco voluerit conficere, repugnare sacrificium incruentum esse

esse propitiatorium & sciret objici in contrarium Num. XXX. 50. & Lev. V. 11. voluit ad ea loca respondere. Ego quamvis non existimem, oblationem istam monilium fuisse sacrificium aliquod, non tamen potuit satisfacere Viri Clarissimi responsio dicentis, *oblationem istam monilium fuisse factam ad præcavendum peccatum interdicti, & animas suas liberandas anathematis pœnâ*, ideoque notavi sequentia: *Interea tamen ista etiam oblatio potuit fieri in eum finem, ut inde compararentur victimæ, quamvis ipsa illa oblatio non esset proprie sacrificium.* Alterum vero argumentum ex Levit. V. omninò mihi videtur inferre, fuisse sub V. lege sacrificium aliquod propitiatorium, in quo sangius non effunderetur, unde ad responsionem Nostri dicentis: *Similam non tàm habuisse rationem sacrificii propitiatorii, quàm protestationis suæ impotentiæ*, observavi; *Atqui expressè dicitur, quòd loco columbarum debeat offerri ista simila. Debebat etiam destrui per ignem, in quo sanè ratio sacrificii consistit.* Ista nunc reprehenduntur ab ipso num. 58. hunc in modum: *Quærit*, inquit de me loquens, *rationes ineptissimas probandi, sine sanguinis effusione factam quandoque remissionem, ut Paulo contradicat, & Socinianis applaudat contra satisfactionem Christi, ac pontificiorum sacrificium incruentum propugnet, à nostris constanter hoc loco Pauli impugnatum; & tàm absurdus est, ut non intelligat, similam pauperis, quæ consumebatur in altari Levit. V. 11. fuisse tantùm appendicem sacrificii propitiatorii, & si quid efficaciæ habuit ad propitiationem legalem, profectum fuisse ex sanguine sacrificii quotidiani, quòd offerebatur in communi pro toto populo.* Rationes meæ an sint ineptissimæ judicent, qui sunt extra partes, Judicium Viri Clarissimi, me hæc dictâsse, *ut contradicerem Paulo, & Socinianis applauderem contra satisfactionem Christi, ac pontificiorum sacrificium incruentum propugnarem*, non est ex charitate, cùm ex dictatis meis noverit, me satisfactionem Christi plenissimam secum propugnare. Nec ex veritate est istud judicium. Egone intendo contradicere Paulo, qui expositione alibi quoque usitatâ utor, *quod verbum aliquod ἀπὸ τοῦ κοινοῦ sit repetendum?* Nihil ex verbis meis lucrari possunt pontificii, in Missâ propugnantes sacrificium Christi incruentum, quòd satis ex meis dictatis quoque deprehenditur, quando dixi; repugnare sacrificium propitiatorium incruentum *rei alicujus vivæ & sanguine plenæ, qualis res est corpus Christi, ut nunc est in cœlis.* Quod verò dicit, *similam pauperis Levit. V. 11. fuisse tantum appendicem sacrificii propitiatorii*, gratis dicit & sine probatione, atque in meâ notâ supra adductâ jam refutatum fuit. Unde verò probabit, *efficaciam, si quam habuit ad propitia-*

pitiationem legalem, profectam fuisse ex sanguine sacrificii quotidiani? Non possum quin nunc adjungam consensum τῦ μακαρίτυ Joh. Cocceji, qui sic in commentario ad hunc locum habet: *Nemo cavilletur, quod Apostolus dicit, sine sanguinis fusione non fieri remissionem. Nam 1. potest repeti σχεδὸν propemodum. 2. Omnia, quæ altari imponebantur, vel additamenta erant cruentarum victimarum; vel pro iis vicaria dabantur: & cum iis habebant analogiam. Nam, verbi gratiâ, qui placentam offerebant (ut Levit. V. 11. institutum est) cibum suum pro corpore suo offerebant. 3. Denique, qui quicquam in altari adolebant ad remissionem, veniebant in communionem altaris cruentati & victimarum, quæ pro populo cædebantur. Nam, ut est Levit. XVII. 11. sanguis datus fuit in altari pro animabus Israëlitarum: sanguis animas expiabat.*

CCCXXIX. Ex ejusdem commentario desumpta sunt; quæ dictavi ad locum Heb. VI. 4. 5. citatum Syst. XI. §. 22. *Apostolus loquitur*, dico ibi, *de suo tempore, ut fine sive extremo illorum dierum, aut prioris seculi, ita ut prius seculum duret usque ad excidium Hierosolymitanum. Virtutes ergo futuri seculi sunt, tum in genere eâ, quæ Deus operatus est potenter isto tempore, tum gaudium & libertas filiorum Dei. Gustare id gaudium est similiter gravisum esse ex annunciato bono illo verbo, ac Filii Dei tum gravisuri erant aut gaudebant ex libertate illâ perceptâ. Cum autem statueret Vir Celeberrimus, de ejusmodi προσκαίροις nihil dici Heb. VI. 4. 5. quod non observetur in Balaamo,* hæc ad ipsius verba adjeci: *Vel, quod in iis non possit locum habere, qui revera non sunt regeniti: non enim omnia quæ dicuntur isto in loco possunt Balaamo applicari.* Quæ reprehendit num. 62. sed citra rationem. Quod verò eo modo & gradu non participes facti fuerint fideles Vet. Test. bonorum spiritualium, quo fideles Nov. Test. sup. art. 272. & seqq. prolixius ostendi.

CCCXXX. Ægrè fert porrò num. 76. quòd argumentum ejus, quo probat Syst. XIII. §. 9. *Absolutionem sacerdotalem non posse pertinere essentialiter ad pœnitentiam*, eò quòd *remissio peccatorum non quidem absque pœnitentiâ, sed tamen absque sacerdotali absolutione possit obtineri*, non potuerim approbare, hæc dictando; *Sed facilè possunt excipere pontificii, remissionem peccatorum, quæ obtinetur per absolutionem sacerdotalem, habere aliam σχέσιν quàm eam quæ sine istâ absolutione obtinetur: Sicut alia est manducatio Christi sacramentalis, alia quæ spiritualis strictè sic dicitur; hoc ergo argumentum non ita stringit.* Quibus hæc reponit: *Sed præterea quòd nemo mihi sit visus pontificius, qui stolidâ hâc uteretur exceptione, & si ordinetur sacramentalis manducatio ad spiritualem significandam & obsignandam, nemo tamen somnia-*

somniabit illam ad hanc essentialiter pertinere, ut sine eâ haberi non possit, prout volunt Jesuitæ, non posse remissionem peccatorum sine absolutione obtineri ab iis qui perfectè contriti non fuerint: Et Censoris fuisset illius alterius imaginariæ relationis naturam exposuisse: aut solidum argumentum nobis loco mei suppeditâsse. Atqui certum est, pontificios distinguere pœnitentiam interiorem, quam virtutem dicunt, ab exteriori, quam sacramentum appellant. Rationem autem; *quare Christus Dominus pœnitentiam exteriorem in numerum sacramentorum referre voluerit*, hanc reddit Catechismus Romanus Part. II cap. 5. quæst. 9. *ut nobis de remissione peccatorum, quam Deus pollicitus est, minus dubitare liceret. Vehementer enim pendere animo de intima pœnitentiâ opus esset, cùm de suo cuique judicio in iis, quæ agit, meritò timendum sit, &c.* Unde apparet eos statuere, remissionem peccatorum, quæ obtinetur juxta ipsos per absolutionem sacerdotalem, habere σχέσιν sacramentalem, quâ fiat ut magis confirmentur fideles, sicut ad confirmandam fidem solent adhiberi sacramenta. Negabunt igitur convenienter suis hypothesibus, remissionem peccatorum sacramentalem obtineri citra absolutionem sacerdotalem, sicque elident argumentum istud concedendo majorem sic limitatam; Si remissio peccatorum *sacramentalis* absque sacerdotali absolutione potest obtineri; E. absolutio sacerdotalis non pertinet essentialiter ad pœnitentiam; & negando minorem; Atqui remissio peccatorum *sacramentalis* absque sacerdotali absolutione potest obtineri. Neque video, quomodo huic argumento succurri possit, quàm utendo argumento inter nostros recepto, quod commodissimum puto, desumpto à requisitis sacramentorum, quæ in hoc sacramento fictitio non reperiuntur, quod quia passim occurrit apud nostros Theologos, & ipse Vir Celeberrimus quoque tradiderat §. 7. non opus erat, ut dictarem. Sicut autem sacramentalis manducatio non pertinet essentialiter ad spiritualem, ita etiam juxta pontificios, non pertinet sacramentalis remissio peccatorum ad remissionem spiritualem, præsertim cùm statuant fatente nostro Syst. XIII. §. 9. *Nullum esse peccatum etiam mortale, quod per veram contritionem etiam extrà sacramentum & sine sacramento pœnitentiæ deleri non possit.* Nihil ergo roboris isti argumento accessit per illam observationem, quòd *Jesuitæ velint, non posse remissionem peccatorum sine absolutione obtineri ab iis, qui perfectè contriti non fuerint.*

CCCXXXI. Ut partes pœnitentiæ legitimè constituerentur hæc dictavi ad §. 12. Syst. XIII. *Pœnitentia duplici sensu accipitur vel strictè vel*

latè: strictè accepta designat tristitiam de malo commisso: latè verò accepta idem est, quod ipsa conversio, & tunc sub se comprehendit etiam remedium contra tristitiam, quod nullum aliud est, quàm fides; ita ut tum partes pœnitentiæ sint tres 1. tristitia de malo commisso, 2. remedium contra istam tristitiam fides 3. studium emendationis & novæ vitæ. Probantur istæ partes pœnitentiæ ex Joel. II. 12. 13. 2 Sam. XXIV. 40. & 2 Chron. XXXIII. 12. quæ nullam reprehensionem incursura putabam. Attamen & hoc ipsum inter errores meos referre lubuit Viro Reverendo num. 77. *Quamvis tam constanter,* inquit, *Scriptura distinguat fidem à resipiscentiâ, ut probo ibid. §. 12. ipsi tamen lubet fidem facere partem resipiscentiæ.* Quæ cùm scripsit memor non videtur fuisse eorum quæ dixerat Syst. XIII. §. 2. *Non nescio sæpe in Scripturis & apud Theologos, regenerationem, renovationem, sanctificationem, conversionem, resipiscentiam, esse synonyma: quo significatu hoc ultimum vocabulum venire videtur Matth. III. 2. 8. Resipiscite, appropinquavit enim regnum Dei; Ferte igitur fructus convenientes resipiscentiæ; & Matth. IX. 13. Non veni vocatum justos sed peccatores ad resipiscentiam, & Luc. XXIV. 46. 47. Ita scriptum est, & ita oportuit Christum pati & resurgere ex mortuis tertio die, & prædicari ejus nomine resipiscentiam & remissionem peccatorum apud omnes Gentes; & Actor. V. 31. Hunc Deus dexterâ suâ sursum sublatum constituit, ut det resipiscentiam Israëli & remissionem peccatorum; & Act. XXIV. 20. Iis qui sunt Damasci primùm & Hierosolymis & in omni regione Judææ, deinde & Gentibus annunciavi ut resipiscerent & converterent se ad Deum, opera facientes convenientia resipiscentiæ: Quamvis enim in prioris parte pericopæ conversio & resipiscentia videantur distingui, tamen in posteriori, utraque nomine resipiscentiæ continetur.* Non puto enim ipsum negaturum, *Fidem esse partem conversionis*, quæ tamen aliquoties per resipiscentiam designatur juxta ipsum in Scripturis.

CCCXXXII. Reprehendit me quoque num. 78. *quod Episcopii suscipiam defensionem*, qui ab ipso accusatus fuit §. 13. Syst. XIII. *quod malè statueret pœnitentiæ naturam intime constituere dolorem de peccato & illius merito; quia sic pœnitentia ultra tristitiam mundi, quæ efficit mortem, 1 Cor. VII. 10. non progrederetur.* Ad quæ ejus verba ego hæc pauca dictavi: *Atqui Episcopius per illum dolorem non intelligit dolorem mundi.* Ego verò existimo, officium esse Christiani etiam eorum, qui à nobis in Religione dissident verba in meliorem partem interpretari, quandocunque id commodè fieri potest. At Episcopius ipsemet se ita explicat, ut non possit dici, ipsum intelligere *dolorem mundi*. Ita enim Disp. XII. postquam thes. II. dixisset: *Pœni-*

Pœnitentiæ hujus naturam propriè atque intimè constituit dolor & tristitia de peccato & merito illius, thesi XI. sic mentem suam interpretatur : *Aut provenit dolor ex optimi, justissimi & supremi Numinis offensi meditatione; cui metus etiam judicii seu mali lege denuntiati cohæret. Et hunc quidem dolorem hîc intelligimus, quippe qui pœnitentiæ naturam proximè constituit & primum dolorem includit, secundum autem arctissimè conjunctum habet.* Cùm autem non existimem, Virum Clariss. *dolorem illum, qui provenit ex optimi, justissimi supremi Numinis offensi meditatione*, habiturum pro dolore mundi, putem ipsum imposterum mecum Episcopium ab illâ accusatione absoluturum.

CCCXXXIII. Non fert quoque Vir Celeberrimus num. 87. quòd nolim cum ipso 1 Thess. V. 22. mali speciem sumere Logicè sed Ethicè; cujus dissensus has rationes dictavi : *Vix enim Paulus voluisse hic videtur ad Logicam acceptionem, & à vulgi communi usu remotam deflectere. Præsertim cum reverâ etiam debeamus cavere ab omni mali specie acceptâ Ethicè, quatenus, ne offendamus infirmiores debemus vitare id, quod cum ratione videri nobis possit ipsis scandalum præbere.* His regerit: *Ac si abstinendum sit ab eo omni, quod habet speciem aliquam mali ex judicio humano, sæpe, quod magis est, erroneo.* Hîc tamen mecum consentientes habeo Belgas Interpretes, qui vertunt: **onthoud u van allen schyn des quaads** / Collatum volunt dictum Phil. IV.8. & notant: **ofte van allen quaden schyn: veel meer dan onthoud u van 't quaad selve.** Possem nunc regerere ipsi, quæ mihi oggessit art. 119. n. 40. *Saltem isti homini non sunt assensuri, qui Belgas Interpretes audire & consulere voluerint. Sed hodiernorum Novatorum commune studium est, illam interpretationem eique additas annotationes sugillare & rejicere.* Sed majori apud me Vir Rever. est in veneratione ob beneficium institutionis scholasticæ olim ab ipso acceptum, quàm ut ea, quæ subinde in suo tractatu acerbiora contra me pronunciat, possint in me memoriam beneficiorum acceptorum, aut amorem, quo ipsum prosequor, obliterare. Rogo tantùm, ut posthæc mitius de me sentire & loqui dignetur, cogitetque quod aliàs usurpare solet: *Non eadem sentire bonos de rebus iisdem incolumi licuit semper amicitiâ.* Ratio verò, ob quam ipse hîc discedit à Belgis Interpretibus, mihi nondum potuit satisfacere. Reverâ enim sæpe abstinendum est ab eo omni, quod habet speciem aliquam mali ex judicio humano, etiam erroneo. Erroneum erat putare, ad præceptum de delectu ciborum obligari Christianos. Speciem mali ergo habebat ex judicio ipsorum erroneo, promiscuè quosvis cibos concedere. Attamen abstinen-

dum ab iis erat Christianis firmioribus in gratiam infirmiorum Roman. XIV. 20. 21. *Omnia quidem munda : Sed malum homini comedenti per offendiculum. Bonum non edere carnem, neque bibere vinum, neque in quo frater tuus offendit, aut scandalizatur, aut infirmatur.* E contrariò verò ratio contextus planè militat pro Belgarum interpretatione. Apostolus versu 19. inquit; *Ne extinguite Spiritum*, id est, dona illa spiritus ne patiamini neglectu evanescere, sed ἀναζωπυρεῖν τὸ χάρισμα τοῦ θεοῦ ἐν ὑμῖν. 2 Tim. I. 6. Pergit versu 20. *Prophetias ne contemnite*, quia dona spiritus non sunt neglectim habenda, sed exercenda & fovenda à quibuslibet, qui ea acceperunt, non contemnendæ sunt utique prophetiæ sive interpretationes scripturarum ab aliis allatæ, in quibus Spiritus Sanctus sese exserit suorumque donorum virtutem. Versu 21. *Omnia probate, quod bonum est retinete.* Quia vero prophetiæ seu interpretationes Scripturæ multæ sunt, quarum auctores spiritum ejusque dona jactant, non simpliciter quævis prophetiæ sunt recipiendæ fide & obedientiâ, sed id quod cum mansuetudine auditum est cum judicio est examinandum ad normam Scripturæ, ut Act. XVII. 11. & ex omnibus, quæ audita sunt, nihil retinendum est, prĕter id quod bonum est. vs. 22. *Ab omni specie mali abstinete*; quia verò circa bonum illud dignoscendum ἀκρίβεια est opus, & videndum, *ut accuratè ambulemus non tanquam insipientes sed tanquam sapientes* Ephes. V. 15. non quidem omne, quod speciem boni habet, amplectendum est; aliàs enim plurima mala fuco boni oblita sese nobis commendarent; sed id quod vel speciem mali habet nobis suspectum esse debet, prudentiæque erit ab eo, quamdiu tale apparet, abstinere. *Qui enim dubitat, si comederit, damnatus est, quia non ex fide* Rom. XIV. 23.

CCCXXXIV. Rejicit quoque noster num. 86. quòd in dictatis ad Syst. Loc. XIV. §. 58. implendis ante diem judicii annumerem *solemnem Judæorum & Turcarum conversionem*; quam reprehensionem repetit num. 117. nomine notæ sequentis, quam ad Syst. XVII. §. 56. hunc in modum dictaveram : *Exspectandum tamen est ut multò magis liberetur ecclesia, quam nunc liberata est, quando Anti-Christus planè concidet, quando conversio fiet Judæorum & plenitudo gentium intrabit.* Hujus sui dissensus n. 86. hanc affert rationem, *quòd de Turcis ad Christum olim convertendis altum sit silentium in Scripturâ; & qualis & quomodo sit processura Judæorum conversio, nesciatur.* At n. 117. inquit; *id potius redolere Chiliastarum hæresim quam doctrinam Pauli, rejicientis totalem destructionem Anti-Christi in ultimum & illustrem*

illustrem Christi adventum quo abolebitur, 2 *Thess. II. 8.* Hanc rem passim tractavit Vir in prophetiis Scripturæ explicandis exercitatissimus Johannes Coccejus ὁ μακαρίτης ostendens ex Scripturis, Christi regni maximam amplitudinem exspectandam ante ejus adventum ultimum ad judicium. Vide ejus commentarium in Apocal. VII. 13. 14. & XI. 15. ubi insignem imprimis locum huc maximè facientem citat Es. XIX. 24. 25. Et in commentario in Esaiam ἀνεκδότῳ passim probat, in Scripturis per Assyrium intelligi etiam eos, qui successivè diversis temporibus regiones illas, quas antea occupaverat Assyrius, possederunt.

CCCXXXV. Nos hîc imprimis urgebimus locum Rom. XI. 25. 26. *Nolo enim vos ignorare, fratres, mysterium hoc (ut non sitis apud vos prudentes,) quod obduratio Israëli ex parte* vel per vicem *obtigit, donec plenitudo gentium intraverit, & ita totus Israël servabitur, sicut scriptum est: Veniet ex Sion liberator & avertet impietates à Jacob.* Ex quibus verbis duo manifesta fiunt, & Judæos magno numero & multitudine conversum iri, & plenitudinem gentium intraturam in ecclesiam, sicque totum Israëlem servatum iri. Considerat Apostolus in hoc capite totum populum Israëliticum, prout erat tempore Christi & futurus erat usque ad finem mundi, eique opponit multitudinem gentium, quæ ex oppositione quoque sumenda est, tùm prout fuit tempore Christi, tùm prout futura erat usque ad finem mundi. Postquam enim c. X. 19. 20. ex Mose Deut. XXXII. 31. & Es. LXV. 1. ostendisset, id quòd nunc eveniat Judæis, ut maxima eorum pars contemnat Euangelium, prædictum fuisse de ipsis à Mose & Esaiâ, objectionem movet cap. XI. 1. An non hinc sequatur, Deum populum suum abjecisse? Cui respondet: 1. Non esse omnes Israëlitas populum Dei, sed tantum eos, qui sunt electi vers. 1. 2. Dein occasione istius rejectionis Judæorum salutem evenisse gentilibus vers. 11. sed majori cum copiâ adhuc salvatum iri gentiles, ubi Judæi fuerint conversi vers. 12. 15. eò quod multitudo illa gentilium & Judæorum sese mutuo sit excitatura ad apprehendendam simul salutem Dei. Judæos autem iterum posse assumi probat refutando objectionem in contrarium vers. 17 & seqq. in cujus responsione ostendit, etiam fieri posse ut variæ gentilium nationes, quæ nunc credant Euangelio, suis temporibus à gratiâ Euangelii, quam nunc agnoscant, desciscant; Tùm verò ostendit, etiam reverâ assumptum iri Judæos versu 25. & seqq. Singulare enim quid, & μυστηριῶδες hîc se annunciare dicit versu 25. quod non potest censeri impletum per particula-

rem quandam his vel illis temporibus factam Judæorum quorundam conversionem, quâ factâ non poterat dici *gentem Judaicam* iterum à Deo assumptam fuisse, ut populus Dei posset censeri. Ibidem quoque docet, obdurationem tantùm ex parte contigisse populo Israëlitico, prout spectatus ut constituens multitudinem Israëliticam sive totius populi usque ad finem mundi, ita ut distinguat partem Judæorum, cui obtigit obduratio, respectu temporis, ab ea parte, quæ sit reassumenda, ubi plenitudo gentium introiverit. Quâ ratione significat introitum plenitudinis gentium conjunctum iri cum reassumtione Judæorum. Πλήρωμα autem cùm opponatur τῷ ἡττήματι versu 12. quamdiu deficit una gens non potest dici πλήρωμα τῶν ἐθνῶν. Opus ergo est ut per hoc πλήρωμα intelligamus omnes nationes, ubi Euangelium vel non prædicatum fuit, vel non diu, vel etiam ubi sonuit obscurè, impeditum à voce bestiæ. Hoc sanè non potest dici intrâsse, quamdiu sonat vox bestiæ & Idololatria à magnâ parte gentium exercetur Atque hic gentium introitus Apoc XI. 15. ita enunciatur: *Facta sunt regna mundi Domini nostri & Christi ipsius & regnabit in secula seculorum.* Confer. Esa. LIV. 2. 3. 4. 5. ubi latitudo istius Regni Christi valde amplificatur. Nondum autem *facta sunt regna mundi Domini nostri & Christi ejus* κατ' ἔμφασιν, quamdiu aliqui, qui Christi sunt, cum dominatione Bestiæ & afflictione per ipsam acceptâ conflictantur; nondum *Israël tertia Ægyptiis & Assyriis facta est benedictio terræ*; nondum *benedixit ei Jehova Deus exercituum, dicendo: Benedictus populus meus Ægyptii, & opus manuum mearum Assyrii, & hæreditas mea Israël*, Es. XIX. 24. 25. nondum unà cum gente Judaicâ conversâ magnâ cum copiâ servatæ sunt gentes Rom. XI. 12. 15. nondum ergo possumus dicere, intrâsse πλήρωμα τῶν ἐθνῶν, plenissimo isto sensu, quo id ab Apostolo hîc futurum prædicitur. Id igitur adhuc expectandum à fidelibus patiente animo ut impleatur; & cum Turcæ & Muhammedani magnam partem faciant gentium non conversarum, non possunt illi *à plenitudine gentium*, quæ intraturæ exspectantur in ecclesiam, excludi, eorumque propterea unà cum Judæis & aliarum gentium multitudine exspectanda est conversio. Quamvis autem nesciamus, *qualis ac quomodo sit processura Judæorum conversio*, cùm id soleat obtinere in explicationibus prophetarum, ut ante eventum non possint cognosci omnes prædictorum circumstantiæ, tamen hoc ex dictis patere potest, Judæos conversum iri saltem hâcte-

hâctenus, ut possit dici gentem Judaicam, quæ nunc est *non populus*, futuram iterum esse populum Dei. Nihil autem hæc sententia habet commune cum Chiliastis. Nam Chiliastæ definiunt tempus Regni Christi per mille annos, unde & appellationem Chiliastarum sunt sortiti, quos mille annos Apocalypticos nos jam transiisse censemus. Dein supponunt adventum Christi corporeum & visibilem in terram, atque in ea regnum ipsius. At nostra sententia nec tempus definit regni Christi; nec adventum Christi corporeum supponit.

CCCXXXVI. Conjungi cum his meretur explicatio mea Gogi & Magogi, quam acceptam eidem refero Coccejo ex suâ Conjecturâ de Gog & Magog. Eam reprehendit noster Vir Clarissimus num. 116. nullâ ratione suæ reprehensioni adjectâ. Suffecerit ergo meas notas in dictatis ad Syst XVII. §. 52. & 53. adjungere. Ibi ad Pontificiorum objectionem negantium Antichristum advenisse, quòd nondum Gog & Magog apparuerit, respondi: *Cùm tamen per Gog & Magog non sit intelligendus aliquis Antichristi antecessor, sed per Gog Antichristus ipse sive meretrix Babylonica, & per Magog terra, cui dominatur, sive bestia, cui ista meretrix insidet. Gog enim significat, qui obtegit, qui est tectus, derivatur enim à* גג. *tectum. Cùm enim Pontifex Romanus tamdiu doctrinam cœlestem texerit, ut ea in apertum non veniret, occultaverit etiam per varias suas fraudes & artes, eo ipso benè nomine Gog appellatur. Magog verò sumitur sensu passivo & designat eam terram, sive populos, quibus erat dominaturus Antichristus.* Ad ea verò quæ Vir Clarissimus dixit Syst XVII. 53. *Reverâ quidem Johannes allusit ad id quod apud Ezechielem prædicebatur,* notavi. *Hoc tamen non videtur, sed utrobique per Gog & Magog designatur Antichristus & ejus regnum.*

CCCXXXVII. Inter Signa antecessura diem ultimum judicii refert Vir Celeberrimus ex Matth. XXIV. 30. Signum Filii hominis idque explicat de igne conflagrationis ultimæ Syst. XIV. §. 60. Ego verò ad hunc articulum dictaveram: *Vel ad ipsum Filium hominis; ut signum Filii hominis nihil aliud sit, quàm ipse Filius hominis, qui tunc erit in signum & portentum.* Eam nunc rejicit interpretationem num. 87. eâ ratione, *quòd sic Filius hominis, ut in Missâ Pontificiâ, signum sui ipsius sit futurus,* quod nullo sanè consequitur modo. Notum enim est vocem σημεῖον sumi pro tali signo sæpe quod idem est quod prodigium; etiam constat inter omnes eruditos Græcos Scriptores Nov. T. solere ad imitationem Hebræorum in statu regiminis ponere substantivum respectu alterius, sive alterum cum altero

per

per genitivum conjungere, ita ut per appositionem sint exponenda. Ita Actor. VIII. 5. Φίλιππος δὲ κατελθὼν εἰς πόλιν Σαμαρείας, id est, in urbem Samariam. Sic Matth. XII. 39. Καὶ σημεῖον οὐ δοθήσεται αὐτῇ εἰ μὴ σημεῖον Ἰωνᾶ τοῦ Προφήτου, id est signum quod est Jonas. Annè ergo inferemus hinc Jonam esse signum sui ipsius? Vide etiã Rom. IV. 11. Καὶ σημεῖον ἔλαβε περιτομῆς. Signum circumcisionis, ut nunc plures non adducam similes modos loquendi. Quilibet autem videt, me dum hæc dictarem dubitanter fuisse locutum, nec Clarissimi Viri sententiam planè rejecisse, sed aliam tantum interpretationem ad ulterius rem expendendam apposuisse, cum extemporanea fuerint dictata, quæ nunquam cogitavi publici juris facere. Mirum autem non est, si in explicatione earum prophetiarum, quæ nondum evenerunt, dubii simus, cùm determinatio ambiguæ phraseos de circumstantiis loquentis ab eventis soleat dependere. Clariss. Coccejus *de Antichristo* id explicat de verbo Euangelii, quod tanquam vexillum fortissimi ducis & regis nostri veri passim homines ad deserendos errores & signa adversarii sit impulsurum, quæ quidem interpretatio aliis omnibus in re nondum satis exploratâ videtur præferenda.

CCCXXXVIII. Levis admodum dissensus est circa interpretationem Act. XV. 21. ubi interpretor vocem συναγωγὴ de cætu sive conventu Judæorum conversorum ad Christianismum, non opponendo eum loco, sed opponendo eam interpretationem expositioni illorum, qui Act. XV. 21. intelligunt cætum Judæorũ infidelium. Sic habet annotatio mea: *Hoc tamen nimis coactum videtur* (nim. ut Heb. X. 25. intelligamus cum Clar. Viro Syst. XV. §. 2. de coïtione fidelium in unum ad exercitia pietatis) *& facilior interpretatio, si ibi intelligamus cætũ fidelium potius, quàm illum actum coëundi: interea tamen etiam vox συναγωγὴ significat cætum Christianorum Act. XV. 21.* quod posterius reprehendit Vir Clarissimus num. 88. Meæ autem hujus interpretationis ratio est, quòd alioquin non satis evidens sit connexio versus hujus cum præcedente 20. Apostolus Jacobus postquam probâsset ex prophetiis V. T. gentes iri vocatum sub N. T. ad communionem Christi, judicat, non esse conversos ex gentilibus turbandos, sed mandandum iis, ut abstinerent à pollutis, ab idolis &c: sic præscribens utrisque ex Judæis conversis & gentilibus mutuam charitatem; Judæis, ne turbent gentiles nomine non admissæ circumcisionis;

gentilibus, ut in gratiam Judæorum abstineant ab idolothytis suffocato &c. cujus posterioris moniti rationem reddit versu 21. Cùm autem jubeantur ab his abstinere in gratiam Judæorum conversorum, debet ratio quoque hujus moniti desumta esse ab eo, quod Judæos conversos attinebat, quæ est, quòd, cùm Moses ex antiquo instituto prælegatur in Synagogis Judæorum, etiam eorum, qui conversi fuerant, in quo prohibitio istorum toties occurrat sub gravi pœnâ, neque ipsi adhuc sint satis eruditi de rituum istorum abolitione, æquum sit, ut in eorum gratiam ab his conversi ex gentilibus abstineant, cùm Judæi quoque non sint gentiles nomine Circumcisionis neglectæ turbaturi.

CCCXXXIX. Ejusdem momenti est discrepantia de significatione vocis *Ecclesia*, an nempe *loco conventus id nominis attribuat Scriptura?* Ego verò notis ad Syst. XV. §. 3. primo dixi, apud profanos sic eam vocem accipi, 2. Et posse & debere in Scripturis alicubi sic exponi. Ita habent notæ meæ: 1. *In profanis tamen sic reperitur. Sic Lucianus in dialogo Mercurii & Maja:* σαίρειν τὸ συμπόσιον δεῖ καὶ διαστρώσαντα τὴν ἐκκλησίαν *Oportet scopis verrere locum Symposii & instruere locum conventus. 2. At cum sic à profanis auctoribus vox illa accipiatur, nihil repugnat, quo minus etiam pro loco conventus sumatur à Scriptoribus sacris. Et ita reverâ accipi oportere patet ex 1. Cor. XI. 18. 22. ubi Ecclesia opponitur domibus, quæ sunt loca.* His verò quia tantummodo reponit Vir Celeberrimus num. 88. *hoc abhorrere ab usu constanti Scripturæ & Vet. Ecclesiæ neminem ferè esse qui nesciat*, non est, quòd hâc de re plura hîc profundam verba, cùm putem ex illâ oppositione patere in loco citato pro loco Conventus istam vocem accipi oportere. Eandem tamen mecum sententiam defendit doctissimus Fullerus Miscellaneorum sacrorum lib. 2. cap. 9. atque argumentum illud ipsum urget. Sic ille inter alia: *1. Cor. XI. non obscurum esse arbitror* ἐκκλησίαν *significare domum totius cœtus Christiani communem ad conventus ibidem celebrandos comparatam. Nam quod prius dixerat Apostolus versu* 18. Quum convenitis in ecclesiam, *mox versu* 20. *repetens exponit*, Quum convenitis, eodem loci *indicans* ἐκκλησίαν *non tam denotare multitudinem eorum, qui conveniebant, quàm locum in quem conveniebant. Id quod ex antithesi continuò sequenti multò adhuc manifestius patet. Ibi quippe apertissimè opposuit domos privatas, quæ unicuique sunt propriæ, ecclesiæ Dei, quæ omnium communis est. Item alimentum terrenum, quod illic sumi moris erat, cibo cœlesti qui hîc capiebatur versu* 22. *&c.* quæ, cui placuerit, legere poterit, apud ipsum Fulle-

rum. Mihi hæc sufficiunt ad probandum quòd 1 Cor. XI. 18. 22. designetur locus conventus. Addit consensum Augustini Tom. IV. Quæst. super Leviticum lib. 3. quæst. 57. *Ecclesia homines sunt, de quibus dicitur, ut exhiberet sibi gloriosam ecclesiam. Hanc tamen vocari etiam ipsam domum orationum idem Apostolus testis est, ubi ait: Numquid domos non habetis ad manducandum & bibendum, an ecclesiam Dei contemnitis?*

CCCXL. Reprehendit porrò noster num. 94. meam sententiam, quâ statuo, Barnabam & Paulum simul fuisse electos Apostolos in locum Jacobi gladio ab Herode percussi, dicens: *eam plane adversari historiæ Apostolicæ*, cujus contrarium cum liqueat ex meis notis ad Syst. XV. §. 44. eas hîc tantùm adscribam: *Barnabas & Paulus allecti sunt in Jacobi gladio percussi locum, de cujus nece legimus Act. XII. 1. Nam Act. XIII. 2. dicit Spiritus Sanctus*: separate mihi Barnabam & Saulum ad opus, ad quos eos vocavi, *simili modo, quo Ephraim & Manasses Josephi demortui locum supplere jubebantur. Eadem dicuntur in loco citato de utroque, sicut & ambo fuerant doctores eodem gradu in ecclesiâ Antiochenâ.* Cùm autem diceret ipse in Syst. Barnabam tantum fuisse comitem Pauli, hæc dictavi: *Comes potius fuit Johannes qui & Marcus dictus est, de quo Act. XIII. 5. Habebant verò Barnabas & Paulus Johannem ministrum. Pari ergo in gradu ponuntur Barnabas & Paulus & eodem ministerio juvantur.* Tandem ad argumentum ejus, quo probabat, Barnabam fuisse Pauli tantùm comitem, quia Paulus præivit in loquendo Act. XIV. 12. respondi: *Id Paulum non majorem facit Barnabâ: nam & id de Aarone dici potest respectu Mosis, qui tamen Mose semper inferior fuit. Sed & post separationem Barnabæ à Paulo solus Barnabas assumto Johanne opus suum peregit. Act. XV. 39. 40. sicut Paulus assumsit Silam.*

CCCXLI. Ad Syst. XV. §. 46. Matth. XVIII. 18. explico de fratre læso, quia id contextus requirit, quod noster me *prævaricatoriè & plusquam Erastianè* facere dicit num. 97. Sic habet mea nota: *Hæc tamen non ad Apostolos, sed ad fratres læsos sunt referenda, prout apparet ex contextu: Postquam enim jussisset Christus, ut is, qui admonitus ab ecclesiâ placari nollet, & haberetur à læso tanquam ethnicus & publicanus, immediatè subjungit*: Quæcunque ligaveritis, &c. *Unde apparet, hæc referenda esse ad fratres læsos, ut ita Christus doceat, si illi convincendo fratrem lædentem de pertinaciâ, eum ligaverint in terris, id ratum habendum etiam in cœlis; si verò è contrario per redargutionem modo præscripto adhibitam fratrem læsum in terris solverent, id est, è nexu improbitatis expedirent, approbatum iri in cœlis hoc ipsorum factum.* Similia dictata

dictata sunt ad Syst. XVI. §. 69. quæ num. 109. iterum taxantur. Quòd si vel ad initium illius capitis attendatur, apparebit sermonem Christi directum esse ad quosvis ejus discipulos, atque ita versu 15. *si peccaverit frater in te*, esse ita intelligendum, ut detur præceptum discipulis Christi quibusvis, quo docentur, quomodo se gerere debeant erga suos fratres, à quibus injuriâ fuerunt affecti, sicque illis ipsis dici, & quod privatim debeant redarguere, & quòd publicè coram ecclesiâ, & tandem quod debeant habere pro ethnicis & publicanis fratres lædentes. Satis autem ex superioribus cùm liqueat, me disciplinam ecclesiasticam sartam tectam velle conservatam in ecclesiâ, non possum majori jure dici consentire cum Erasto quàm Calvinus cum Judæis aut Socinianis, quòd non omnia testimonia Scripturæ pro S. S. Trinitate adducta æquè firma putaret, sed aliter interpretaretur.

CCCXLII. Ephes. IV. 11. duos ordines Doctorum in scholis & pastorum in ecclesiis stabiliri non potuit mihi persuadere Vir Celeberrimus Syst. XV. §. 53. unde hæc annotavi: *Id non satis commode ex illo loco potest evinci, sed potius probatur ex naturâ diversarum functionum; & ex eo, quòd Deus instituerit scholas: Ergo voluit, ut in iis essent, qui docerent, sicut dum instituit ecclesias, voluit ut essent, qui eas erudirent*, quam meam notam reprehendi video initio num. 95. Habeo autem hujus meæ sententiæ has rationes: primùm quòd Apostolus non loquatur hîc sicut in præcedentibus locutus fuerat, *alios Apostolos, alios Prophetas, &c.* neque dicat, *dedit alios Pastores, alios Doctores*. Dein, quòd tantummodò per subsequentem vocem *Doctores*, officium Pastorum ulterius explicet, quòd Pastores isti tales esse debeant, qui apti quoque sint ad docendum ecclesiam Dei. Adde quòd idem Apostolus 1 Cor. XII. 29. nomine διδασκάλων videatur denotare eosdem; quos hic duplici nomine ποιμένων καὶ διδασκάλων insignit: Καὶ οὓς μὲν ἔθετο ὁ θεὸς ἐν τῇ ἐκκλησίᾳ πρῶτον ἀποστόλους, δεύτερον προφήτας, τρίτον διδασκάλους. Iidem igitur qui sunt διδάσκαλοι sunt etiam ποιμένες. Hæc autem mea sententia ὁμόψηφον habet maximum Salmasium in *Apparatu de Primatu Papæ* pag. 17. *Nemini potest dubium videri, quin per* ποιμένας & διδασκάλους *presbyteros Episcoposve, quales tunc ab Apostolis instituebantur ad gubernandas ecclesias, quas in singulis civitatibus ædificabant, intelligat.*

CCCXLIII. Ad Syst. XV. §. 64. vocem χειροτονία censeo ex usu

Scripturæ usurpari posse pro *constitutione ministri*, hâc adhibitâ ratione: *Non enim*, dixi ibi, *necessariò denotat electionem per suffragia. Quando enim Paulus & Barnabas Act. XIV. 23. dicuntur constituisse Episcopos ecclesiis. (χειροτονήσαντες Episcopos ecclesiis) non extenderunt manus ad suffragia danda, cùm duo tantum essent, sed metonymica est locutio, juxta quam posito antecedente intelligitur consequens*, quam notam an jure reprehendat Vir Celeberrimus num. 100. judicium esto penes lectorem.

CCCXLIV. Vocem ecclesiæ quæ occurrit Matth. XVIII. 18. censeo explicari oportere ex vi & potestate suâ, quam obtinuit tunc temporis, unde ad System. XV. §. 75. hæc dictavi: *Non potest ista vox denotare istiusmodi Senatum ecclesiasticum constantem ex Pastoribus & Senioribus, cùm tunc temporis nullus talis esset, adeoque eo tempore vox ecclesia eo sensu nuspiam posset sumi, sed debet intelligi per ecclesiam id, quod tunc temporis solebat obtinere, nempe multitudo eorum imprimis, qui pertinebant ad eandem sectam (prout istius usus quædam vestigia videre est apud Thalmudicos) ut deferretur ad istiusmodi cœtum ejusdem sectæ is, qui graviter peccasset*, quæ reprehendit num. 103. hâc adjectâ ratione: *quasi verò Christus illam sectarum distributionem apud Judæos approbâsset*: quod ego nullibi dico, nullibi suppono, neque id ex meis verbis ullis fidiculis potest elici. Affinia his sunt quæ dictavi ad Syst. XVI. §. 81. quæ reprehendit num. 112. Sic habent mea verba: *Atqui non est probabile Christum Apostolos de re adeo familiari alloquentem verbo tali usum, cujus notionem nemo mortalium cognitam haberet; hujusmodi erat, si vox ista accipienda esset pro Synedrio, constante ex pastoribus & senioribus, cùm tale quid tunc temporis non esset institutum. Vox ergo ecclesia debet sumi eo sensu, quo tunc passim venire solebat. At Act. XIX. 22. 39. 40. vox ecclesia designabat cœtum qualemcunque sive multitudinem, atque ita similiter apud Plutarchum, Lucianum & cæteros auctores Græcos Apostolis coævos accipitur. Ut sic talis homo, qui nollet reconciliari post admonitionem duorum vel trium testium, veniret reprehendendus à pluribus, scilicet iis, qui in eundem cœtum coalescebant, quales erant cœtus Pharisæorum, Esseorum, ut & cœtus, quem Christus colligebat. Sed & in isto loco de ecclesiæ istius potestate nihil adjicitur, sed postquam doceretur, eum qui neglexerat admonitionem ecclesiæ, habendum esse pro ethnico & publicano, nulla potestas per id tribuitur ecclesiæ, sed potius illi homini læso dicitur, quòd omnem conversationem illius debeat fugere, sicut vitatur conversatio ethnici & publicani* Sic quoque 1 Tim. IV. 14. non puto *per presbyterium posse intelligi Senatum ecclesiasticum ex pastoribus & senioribus conflatum*, idque dictavi

dictavi ad Syst. XV. §. 75. *Sed tantum cœtum presbyterorum id est, pastorum, quos omnes, quando in actis nominantur in ecclesiâ Christianâ fuisse, ecclesiæ quoque Doctores* existimo; nec ab eâ sententiâ recedere possum, donec contrarium clarè fuerit demonstratum. Cæterum potestatem ecclesiæ competere ministerialem me concedere vidimus in superioribus, eamque ex aliis Scripturæ locis adstruere, quamvis videre nequeam, quomodo ex Matth. XVIII. 18. possit elici.

CAP. XXI.

Aliæ adhuc quæstiones problematicæ tractantur. Defenditur Seldenus & Petitus, qui Matth. XVII. 24. 27. per didrachma intelligunt tributum Romanis solvendum. Lotio pedum Ioh. XIII. designavit remissionem peccatorum. Concilium Act. XV. non fuit simile hodiernis nec propriè sic dictum. Possunt salutem consequi inter pontificios, qui retinent fundamentalia, non intelligentes, ea per Papisticam doctrinam everti. Quid sit συντέλεια τοῦ αἰῶνος? Matth. XXVIII. 20. Sensus 1 Cor. XIV. 32. Explicatur 2 Reg. V. 18. Schismatici sunt qui nolunt ferre reprehendentes, sed eos ex ecclesiâ ejiciunt. Sedes tropi, in verbis: Hoc est corpus meum, non est in copulâ Est, sed in propositionis prædicato. Sacramenta exhibent rem significatam obsignando. Sacramenta sunt necessaria necessitate præcepti non necessitate medii. Arbor scientiæ boni & mali non fuit sacramentalis. Explicatur 1 Petr. III. 21. Ἀντίτυπα ibi sunt signa sive typi, qui eandem rem significant. Explicatur 1 Cor. X. 2. Controversia de ultimo Christi Paschate valdè est dubia & difficilis. An Act. XIX. baptizati à Iohanne fuerint baptizati iterum à Paulo? Apoc. XIII. 16. 17. Character Bestiæ potius de lege Antichristi & Bestiæ, quàm de confirmationis sacramento intelligitur. Explicatur Ps. VIII. 3. item Ioh. III. 5. Illuminatio Heb. VI. 6. non potest intelligi de baptismo. Incertum est, an vinum, quo Christus usus fuit in cœnâ fuerit merum an mixtum? Defenditur

ſenditur ſententia Salmaſii, quòd Lutherani potius appellandi ſint Διϲουσιαςαὶ quàm Συνουσιαςαί. Concluſio operis.

CCCXLV. DE loco Matth. XVII. 24. 27. adhuc diſputatur inter Theologos, quid nomine didrachmi, de quo ibi fit mentio, ſit intelligendum. Camero in hunc locum obſervat, pleroſque putare hîc agi de tributo, quod Capitationem Romani vocabant, & eam ſententiam, quod agatur de dimidio ſiclo, quàtenus dependebatur in uſum ſanctuarii, novam vocat p. 68. Ipſe tamen cum Baronio, Caſaubono aliiſque tuetur ſententiam eam, quod agatur de dimidio ſiclo, qui juxta Exod. XXX. dependebatur in uſum ſanctuarii. Seldenus verò & Petitus id explicant, de *Capitatione* Romanorum, & utrinque reperiuntur difficultates. Grotius dicit nuſquam inter tributa Romanorum didrachma reperiri. At Petitus obſervat ex Joſephi oratione ad Hieroſolymitanos, tributum Romanis debuiſſe Judæos quotannis pendere, quod tributum cenſum appellari putat hoc ipſo in loco, qui regibus terræ expendatur verſu 25. Quantum autem illud fuerit ex hoc ipſo loco exiſtimat conſtare, quòd nempe fuerit didrachmum. Ut ergo cui diſſidentium parti accedendum ſit determinemus, videndum quid connexio textus requirat. Chriſtus antequam ſolvat didrachmum quærit ex Petro, *nùm reges terræ exigant tributum à ſuis filiis, an ab alienis?* Et cùm reſpondiſſet Petrus exigere ab alienis, concludit, Filios ergo eſſe liberos, ſe igitur & Petrum liberos eſſe; ne tamen daret ſcandalum illud ſoluturum. Vis igitur iſtius argumenti expendenda. Urget Chriſtus, ſe & Petrum liberos eſſe ab iſtâ ſolutione; eos enim liberos eſſe dicit, qui ne darent ſcandalum tamen ſolvunt: At Chriſtus non tantum ſolvit ſed etiam Petrus. Stater enim qui 2 didrachma ſive 4 drachmas continebat datus eſt: pro Chriſto & Petro, verſu 27. At qui Chriſtus quidem tanquam Filius Dei liber erat à penſitatione didrachmi in uſum templi: at id in Petro locum habere non poterat, qui ſic non Filius Dei, nec propterea magis liber ab iſtâ ſolutione quàm alius quivis Judæus. Neque eſt quòd dicatur, Chriſtum hîc concluſiſſe tantùm, ſe eſſe liberum & per conſequens familiam ſuam: nam egit tantùm de ſe & Petro, nec pro aliis quàm pro ſe & Petro ſolvit, àdeoque neque alios quàm ſe & Petrum liberos concluſit. Videamus ergo, quo ſenſu hoc argumentum vim poſſit habere pro libertate & ſuâ & Petri aſſerendâ. Sanè vim habebit ſi ſequamur Seldeni interpretationem.

nem, quam tradit, lib. VI. de Jure naturali & gentium cap. 18. Ut ex usu apud Thalmudicos recepto, qui etiam in Euangelistis occurrit, nomine terræ ita absolutè positæ intelligamus *terram Israëliticam*, atque per filios regum terræ intelligamus quosvis Israëlitas, quos idiotismo gentis ostendit pag. 770. fuisse dictos *Filios regum*, vel etiam, ut filii regum sumantur pro regum subditis, sive populis suis, qui sic opponuntur alienis, qui jure & privilegiis civium non utantur, sicut olim tributariæ redditæ sunt gentes illæ Cananæorum, quibus jus domicilii concesserunt Israëlitæ, non adactis ad illud tributum solvendum Judæis sive regum filiis. Sic ergo vis apparebit argumenti, quo & Christus & Petrus comprehendantur pariter, prout eam proponit Seldenus pag. 771. Si morem, qui in hâc terrâ obtinuit, avitum respiciamus, immunis est populus Judaicus: nunc verò ne offendiculo nos simus hisce, qui apud nos novo jure victoriæ scilicet, tributum vel censum perpetuum exigunt, illud solvamus, missâ quæstione de jure Ita verò vi argumenti, quo Christus utitur, explicatâ, difficultates minui videntur, quæ in contrarium afferuntur.

CCCXLVI. Quòd enim Lipsius aliique viri docti ex Appiano in Syriacis conantur probare, tributum Judæis impositum fuisse centesimam bonorum partem, id Seldenus pag. 772. ostendit, non haberi in Appiano, qui tantùm dicit, Syris & Cilicibus fuisse impositum annuum centesimum, non Judæis, quorum capitationem tantum generatim gravissimam appellat, potestque solutio istius didrachmi haberi pro gravissimo tributo, eò quòd omnibus æqualiter, æque pauperibus ac ditioribus incumbebat. Fateor, non ita certo constare, censum Cæsari solvendum, fuisse didrachmum, nisi id ex hoc loco conficiatur, attamen cum talem interpretationem videatur requirere vis argumentationis Christi, uti præcedente articulo fuit visum, sufficere posse videtur hic locus, etsi aliunde non constet qualitas capitationis Romanorum. Et sanè non improbabile est, quod hîc censet Seld pag. 772. Romanos in illâ indicendâ imitatos fuisse divinitus indictam capitationem semi sicli, sive didrachmi sacri, quod postea, teste Josepho lib VII. cap. 28. de Bello Judaico, jussi sunt quoque in Capitolium inferre. At exinde non conficitur, didrachmum, de quo hîc agitur Matth. XVII. fuisse illud, quod in usum templi solebat dependi, cùm potuerit didrachmi solutio duplex fuisse in usu, juxta ea quæ dicta sunt, altera in tributum Cæsarianum, altera in usum templi. Quod verò objicitur, didrachmi solutionem in usum

usum sanctuarii fuisse voluntariam, at tributum Cæsarianum ab invitis potuisse extorqueri: hìc autem Matth. XVII. agi de voluntariâ solutione; ad id respondetur, non ita manifestum esse ex textu, quòd illi, qui accipiebant, non potuerint vim adhibere erga invitos. Accipiebant tributum Reges Terræ, uti dicitur in loco isto, quibus sanè vis cogendi competebat. Sunt etiam, qui putant, propterea interrogasse ex Petro istos receptores, ut si negaret Petrus solutionem, haberent occasionem ipsum tanquam seditiosum accusandi. Quicquid sit, non constat ex textu ita voluntariam solutionem fuisse hujus didrachmi, ut non licuerit vim refractariis inferre, neque verum est, didrachmi sacri solutionem planè fuisse voluntariam, observantibus doctis, voluntariam quidem fuisse à primo die mensis Adar ad 25. diem ejusdem mensis, sed ab hoc tempore coactos fuisse invitos etiam pignoribus captis. Videatur Maimonides in Misnâ Tract. שקלים cap. I. §. 9. *Primâ die mensis Adar publico praconio indicitur solutio didrachmorum, ut unusquisque praepararet suum sicli dimidium & dare sit paratus. Decimo quinto ejusdem mensis sedent Trapezitæ in singulis urbibus, & placidè rogant unumquemque: si quis dat accipiunt, si non dat, non cogunt, ut det. Vigesimo quinto die ejusdem mensis sedent in sanctuario ad colligendum, ac deinceps cogunt eos, qui non solverunt, donec solverint. Quòd si quis non dat pignus ab eo accipiunt, &, si renuat, per vim tollunt etiam vestem.* Quibus omnibus expensis in re dubiâ, de quâ Paræus nihil censet determinandum, inclino adhuc in sententiam eorum, tanquam magis probabilem, qui hæc de tributo Cæsariano interpretantur, donec Vir Celeberrimus, qui hoc quoque inter errores meos retulit num. 105. evidentibus rationibus contrarium demonstraverit.

CCCXLVII. Reprehendit ibidem notam meam ad Syst. XVI. §. 10. Ea ad confirmandam ipsius responsionem contra argumentationem Pontificiorum quâ dixerat, *Si Christus Petro primò lavisset pedes sequi quòd sic potius subjiceretur censura fratrum suorum Coapostolorum, quàm illis praeficeretur*, fuerat adjecta his verbis; *Illa enim lotio pedum designabat ablutionem peccatorum, quòd Christus diceret: Si te non lavero non habebis partem mecum.* At hoc negat noster & inquit: *hinc facilè collecturos heterodoxos, ibi Christum instituisse Sacramentum.* Sed, hâc externâ lotione significatam fuisse remissionem peccatorum sanè verba Christi inferunt. Reddit enim illis verbis Petri aliquam rationem facti sui, quod plenius post hâc se ei explicaturum promiserat. Eam rationem dicit esse lotionem Spiritualem, sive purga-

purgationem à peccato, cujus primaria pars est peccatorum remissio, altera verò sanctificatio: Atqui hæc non posset esse ratio istius facti externi, nisi hoc factum externum, sive lotio externa designâsset ablutionem peccatorum. Nec ego solus sic explicui. Clariss. Coccejus ad versum 8. sic notat in Comment. in Johannem: *Christus ab externâ lotione aquæ ad aliam lotionem, eamque significatam transit.* Et paulò post: *Lotio igitur, quâ Christus lavit discipulorum pedes, significat, Christum accepisse potestatem purificandi h.e. sanctificandi & justificandi, quos velit.* Bucerus apud Marloratum: *Dominus Jesus vehementem Petri recusationem coercens indicat & aperit mysterium hujus ablutionis, fructum videlicet passionis suæ & adventus in mundum.* Rollocus quoque: *His verbis subindicatur, hoc Christi factum non tantùm exemplum esse hujus humilitatis, sed etiam signum quoddam ac symbolum lotionis illius & ablutionis peccatorum per sanguinem Christi & per Spiritum Sanctum.* Possem plures adducere idem mecum sentientes Theologos Orthodoxos, si id operæ foret pretium, qui tamen non veriti sunt, ut hinc colligerent heterodoxi, ibi Christum instituisse sacramentum. Nam non sufficit ad sacramentum, ut res externa aliquid significet spirituale, vel beneficium ablutionis peccatorum, sed requiritur institutio divina, quâ jubeat istiusmodi symbolum sive elementum externum à nobis adhiberi ad nos confirmandos de gratiâ spirituali, quod hîc non obtinet.

CCCXLVIII. Perstringit postea num. 107. notam meam ad §. 11. Syst. XVI. quâ dixi *propriè loquendo* illum conventum Hierosolymis habitum, qui describitur Act. XV. *non fuisse concilium*, quod notâ ad Syst. XV. §. 46. sic expressi: *Illud concilium non fuit simile hodiernis conciliis: non enim aliunde convocati fuerant in ecclesiâ hierosolymitanâ*: Notâ verò ad Syst. XVI. §. 73. hæc dixi: *Non tamen propriè fuit concilium, nec eo tunc temporis erat opus, cùm Apostoli essent infallibiles, & eorum auctoritati omnes deberent esse subjecti*: Ex quibus apparet, me statuere, *illum conventum non fuisse similem hodiernis conciliis, adeoque non fuisse concilium propriè sic dictum*, quod profectò res ipsa testatur. Numquam enim hodie synodus sive concilium dicitur, nisi congregatio Pastorum sive Episcoporum ex variis ecclesiis vel unius ejusdemque Provinciæ vel ex diversis quoque Provinciis aut Orbis Terrarum partibus convocatorum; unde solent distingui in Provincialia, Nationalia & Oecumenica. At sanè Hierosolymæ non convenerant nisi illi Apostoli, qui Hierosolymis tunc erant, & ecclesiæ hierosolymitanæ Presbyteri, quod manifestè dicitur versu 6.

 ut

ut responderent ad quæstionem à Paulo & Barnabâ aliisque quibusdam Antiochiâ missis versu 2. propositam: An conversos ex gentilibus oporteat circumcidi, & sic adigi ad observationem rituum Judaicorum? Qui non convocarunt reliquos Apostolos nec presbyteros, qui in aliis regionibus degebant, sed audito Paulo & Barnabâ & oppositionibus eorum, qui ex sectâ Pharisæorum fuerant ad fidem conversi, ostenderunt suum consensum cum Paulo & Barnabâ Apostolis, eaque statuerunt, quæ habentur in epistolâ nomine Apostolorum, Presbyterorum & fratrum hierosolymitanorum conscriptâ, de quâ à versu 23. & sequentibus. Neque verò suffragia viritim dicuntur collecta Presbyterorum; sed, si ad historiam istius conventus Act. XV. descriptam attendatur, nihil aliud cognoscemus factum, quàm quòd post finitam disputationem versu 7. auditoque consensu Petri & Jacobi cum Paulo & Barnabâ, ab omnibus presbyteris totâque ecclesiâ hierosolymitanâ Apostolorum sententia fuerit approbata. Quæ sanè synodo propriè sic dictæ similique ei, cujusmodi nunc habentur, non conveniunt, ubi omnium membrorum suffragia audiri oportet, & non quod duo vel tres statuerint, sed quod vel omnes vel maxima pars consuluerit, pro decreto synodico haberi solet. Quæ sanè quomodo juvare queant independentes, nisi fortè perperam meam mentem Vir Celeberrimus intellexerit, videre nequeo. Communiter verò christianos in id consentire, ut iste conventus habeatur pro concilio propriè sic dicto, adeoque simili nostris conciliis, de quo solo hîc est quæstio, nescio an facilè probari possit.

CCCXLIX. Pergamus ad notam meam dictatam ad Syst. XVI. §. 50. in quâ à me non dissensurum putabam Virum Clarissimum. Nego autem cum ipso, *posse formaliter Pontificium ea statuendo, ad qua per Papismum tenetur & Bestiam adorando ejusque accipiendo* characterem Apoc. XIII. 8. 16. *& in eo statu manendo salutem adipisci*, additâ hâc explicatione; *scilicet, si erroribus fundamenta salutis evertentibus assentiendo rejiciat etiam doctrinas oppositas: sed si per imbecillitatem contingat, ut contradictoriis simul assentiatur, potest per suam infinitam misericordiam isti homini Deus indulgere suos nævos.* Conferamus notam similem ad Syst. XVII. §. 17. quæ sic habet: *Retinent quidem Pontificii dogmata fundamentalia; unde si quis illis dogmatibus inhæreat possit salutem consequi, sed addunt ejusmodi errores, qui manifestè cum istis doctrinis fundamentalibus pugnant, easque doctrinas evertunt; quòd si ergo fiat, ut aliqui inter eos contradictionem non videant, & adhæreant istis doctrinis sincerè*

sincerè & in bonâ conscientiâ, salvari possunt; si verò propter amorem istorum dogmatum erroneorum quidam potius deserere velint istas doctrinas, quam errores, contingere potest ut salute excidant: unde quamvis non negemus, multos salutem posse consequi inter Pontificios; quia tamen propter ista dogmata erronea via valde est periculosa, longe tutius ad nostras ecclesias se reciperent. Harum notarum priorem reprehendit num. 107 eo nomine, quòd sic me nimis *propitium præbeam Pontificiis*, alteram num. 107. quòd *ita valde liberalis sim erga eosdem*, ubi quoque mihi attribuit contra meam mentem, quòd statuam, Pontificios *non errare in fundamento*, cujus contrarium planè manifestum est in dictatis. Neque verò video, quomodo ipsemet possit dicere, esse *inter Pontificios multos, qui primis christianismi articulis contenti ad traditionum & doctrinarum superadditarum quisquilias non attendunt*, prout loquitur Syst. XVI. §. 50. si negetur, *retinere Pontificios dogmata fundamentalia.* De cætero fateor, me non pronum esse ad damnandos promiscuè errantes, sed malle hoc judicium Deo relinquere, & ex judicio charitatis de omnibus benè sperare, qui credunt Jesum Christum verum Deum & hominem plenissimè satisfecisse pro peccatis, ejusque merita nobis donari fide acceptanda ad vitam æternam consequendam, modò manifestâ malitiâ non declarent istam ipsorum professionem carere animi sinceritate, quæ ad fidem salvificam requiritur. Hæc ante novennium plenius deduxi in quâdam Disputatione, quam Vir Celeberrimus literis ad me scriptis humanissimis laudavit & probavit. In eâ inter alia hæc dixi: *Fieri tamen potest, ut aliquod dogma evertat fundamentum h. e. contradictoriè ei opponatur, sive directè sive indirectè per suum consequens, quod tamen in mente illud tenentis id non faciat, ita ut contradictionem non videns inter hæc duo, utrumque teneat, nempe & fundamentum & illud dogma. Atque quod attinet contradictionem directam, eam non potest non videre sana mentis compos, si terminos propositionum contradicentium rectè intelligat, & eodem tempore ad istas contradicentes rectè intellectas animum intendat. Sed quia potest contingere, ut vel terminos utrinque non rectè percipiat, vel hoc tempore ad hanc, alio ad alteram contradicentium propositionum mentem convertat, non autem simul ambas attendat, dogma illud, quod quidem in se propter illam contradictionem evertit fundamentum, id non evertet in mente credentis. Circa contradictionem indirectam idem adhuc facilius potest evenire, ut vel consequens non videatur, vel contradictio inter illud & fundamentum non cognoscatur. Quando itaque à credente non conspicitur contradictio, & proinde fundamentum in ejus mente non evertitur,*

titur, mitius de eo est per charitatem christianam judicandum, atque sperandum, dummodo peccatis carnis & malitiâ gratiam divinam non abjiciat, atque peccatorum, etiam ignotorum, precetur veniam, Deum hunc suum errorem ipsi remissurum, neque ad damnationem eundem imputaturum. Hæc nunc rogo, ut ad animum revocet Vir Reverendus, neque me aliud quid sensisse in dictatis, quàm quod in istâ disputatione dixi firmiter sit persuasus.

CCCL. Dissentire â me video ipsum circa explicationem Matth. XXVIII. 20. quod fore non putaveram. Cùm enim Syst. XVI. §. 58. contra Pontificios inter alia hæc observâsset: *Nec etiam quæ Apostolos nominatim spectant sunt temerè extendenda vel ad universitatem fidelium vel ad pastores ordinarios; ut quod illis dicitur, Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem seculi Matth. XXVIII. 20.* Ego ad hæc confirmanda dictavi: *Per consummationem ibi non intelligitur finis mundi, sed seculum illud prius V. T. opponitur sæpe seculo futuro sub N. T. Illud seculum consummatum fuit, quando Respublica judaica fuit plane eversa, & templum fuit abolitum, adeoque plena libertas à jugo servitutis judaicæ concessa.* Miror igitur, quomodo venerit in mentem accusatio illa, quòd hæc dictaverim *impugnaturus perpetuitatem Ministerii sacri in ecclesiâ*, sicut dicit num. 108. Hujus enim sententiæ ne γρῦ quidem potuit deprehendere in dictatis, è contrario verò plurima, quibus istam perpetuitatem propugno. Locum hunc *spectare Apostolos* ipsemet censet, negatque ea, *quæ Apostolos nominatim spectant esse temerè extendenda ad pastores ordinarios*, adducto in exemplum hoc ipso loco. Si igitur hæc promissio spectavit Apostolos, utique spectavit Christi auxilium & protectionem in ipsos Apostolos exserendam, quamdiu ministerio & munere suo fungerentur, adeoque seculi consummatio ea est intelligenda, quæ ipsorum temporibus erat futura, non quasi ulterius non sit ipsis adfuturus, cùm particulæ *Usque*, *Donec* & similes non excludant tempus ulterius, uti notum satis: At temporibus Apostolorum non fuit ea consummatio seculi; prout sumitur pro fine mundi. Conferamus nunc cum hoc loco Heb. IX. 26. ubi de Christo dicitur: *Nunc verò semel* ἐπὶ συντελείᾳ τῶν αἰώνων *ad abolitionem peccati per oblationem sui ipsius manifestatus fuit*, ubi sanè per συντέλειαν τῶν αἰώνων non potest intelligi finis mundi; (non enim Christus in fine mundi fuit crucifixus) sed necesse est intelligere seculum illud prius, quo durabat servitus imposita populo Israëlitico, cujus finis fuit temporibus Christi adventus in carnem & plena consummatio, quando abolita fuit Respubl.

Judaica

Judaica cum templo, ad quod pleræque observationes rituales fuerunt alligatæ. Atque hanc phrasin scriptores Nov. Test. videntur mutuati esse à LXX. qui eâ sæpius eodem sensu utuntur. ut Dan. IX 27. καὶ ἕως συντελείας καιροῦ συντέλεια δοθήσεται, ubi respondet voci Hebrææ כלה. Sic Dan. XII. 4. σφάγισον τὸ βιβλίον ἕως καιροῦ συντελείας, ubi in Hebræo est: עד עת קץ. Distinguunt autem illi tempora duo: Dies suos vocant τὸν αἰῶνα τοῦτον, extendentes seculum prius usque ad occasum Reipubl. Judaicæ 1 Cor. II. 6. 8. Ephes. I. 21. Sed dies secuturos post plenam libertatem apertam per templi & Reipubl Judaicæ destructionem appellant τὸν αἰῶνα τὸν μέλλοντα Ephes. I. 21. Viventibus igitur Apostolis futura erat συντέλεια τοῦ αἰῶνος, ut post eam inchoaretur αἰὼν ὁ μέλλων. Confer art. 329. Quòd si jam quis promissionem factam Apostolis velit suo quodam sensu applicare ministris ordinariis, atque inde colligere conformiter loco Ephes. IV. 11. 12. 13. perpetuitatem ministerii, quod observat Vir Clarissimus fieri in formulâ publicâ *Confirmationis ministrorum*, me non habebit refragantem.

CCCLI. Accusat me porrò num. 110. quòd *miram cudam interpretationem loci 1 Cor. XIV. 32.* cujus hanc esse mentem dico ad System. XVI. §. 76. *quòd Spir. Sanct. prophetas agitans sit in prophetarum potestate, ut possint prophetiam aliquamdiu differre, ut ita alter post alterum loquatur, non verò omnes simul, ad evitandam confusionem, quod satis apparet ex scopo Apostoli.* Est hæc interpretatio Chrysostomi, Oecumenii & Theophylacti inter veteres. Ex recentioribus eam sequitur Petrus Martyr, cujus hæc sunt verba: *Multiplex expositio legitur hujus loci, sed vulgatior est, ut Apostolus excusationi occurrat, quâ posset is, qui prophetat recusare ut taceret, & alteri cui revelatum est, locum daret. Diceret enim: Tacere nolo, quia non valeo. Spiritus me ad loquendum adigit. Respondet Apostolus: Nequaquam. Prophetarum spiritus subditi sunt prophetis. Non enim Prophetæ Domini lymphaticis aut abreptitiis conferendi sunt: quia Spiritus Christi non est auctor, ut aliquid indecorè aut turbulenter agatur. Docet non solum, quæ proferenda sunt, verùm tempus & opportunitatem dicendi tradit. Vult, ut quisque verba sibi commissa nunciet: quod si quis facere detrectaverit; malè mulctabitur, ut Jonæ Prophetæ constat evenisse. Attamen per tumultum & indecenter nil præcipit Deus à suis committi.* Alias postea expositiones adjungit, sed ex dictis patet quòd hanc præferat. Addo annotationem Clariss. Ludovici de Dieu in hunc locum: *D. Abra-*

bamus Heidanus non ad doctrinam, sed ad ordinem refert, de quo versu 30 & 31. nempe ut, qui loquitur, sileat, quando alteri revelatur, & sic omnes Prophetæ ordine prophetent. Debet prior posteriori hactenus subjici, ut, quando huic revelatur, ille taceat, & vices huic cedat. Hinc sequitur versu 33. Deus non ἀκαταστασίας ἀλλ' εἰρήνης. Et sanè scopus Apostoli hanc expositionem flagitare videtur. Vult Apostolus, *ut in ecclesiâ duo aut tres Prophetæ loquantur, reliqui autem dijudicent versu 29* Per prophetiam hîc intelligi expositionem Scripturarum singulari instinctu Spiritus Sancti factam extra dubium esse puto. Talium Prophetarum duos aut tres vult Apostolus loqui uno die, quo convenit ecclesia, ut tamen ecclesia ex analogiâ fidei judicet Spiritus istorum prophetarum, num sint ex Deo. Addit versu 30. & 31. Istum sermonem Prophetarum debere haberi certo quodam ordine, ne plures simul loquantur, quod confusionem pareret, sed ut alius post alterum loquatur & posterior non ordiatur sermonem nisi priori tacente. Id probat versu 32. & 33. duobus argumentis, quorum prius est inde desumtum, quòd Spiritus prophetarum in potestate sit prophetarum, neque eos ita violenter agat, ut sermonem nequeant differre: versu 32. alterum, quòd aliàs oritura sit magna confusio, quæ aliena est à divino instituto. versu 33. Utrumque argumentum satis cohæret cum conclusione, quæ versu 30. & 31. fuit proposita. Si enim Prophetæ hi sub N. T. non aguntur more lymphaticorum aut abreptitiorum, utique possunt cohibere impetum prophetandi, suavem quippe & planè attemperatum ingenio humano, adeoque possunt loqui per vices. Et, si Deus ordinem vult observari in ecclesiâ, non debet quicquam committi, quod ei turbando inserviret, adeoque debent Prophetæ per vices loqui At non videtur adeò commoda connexio, si sequamur alteram expositionem, (quæ nunc vulgatior est propter auctoritatem Belgarum Interpretum, cùm tempore Martyris vulgatior fuerit altera, quam ego hîc sequor.) Quæ enim hæc erit connexio: Spiritus Prophetarum subjecti sunt judicio aliorum Prophetarum: Ergo debent loqui per vices? (Hoc enim est, quod probandum hic suscepit Apostolus, cùm culpet morem contrarium inter Corinthios, quo fiebat, ut plures simul loquerentur Prophetæ, sicque turba & confusio exoriretur.) An ergo dicendum, Prophetam cui aliquid revelatum fuerit debere exspectare, donec judicent alii Prophetæ, quando sibi sit loquendum? Sententias ergo rogari oportuit aliorum Prophetarum eo in casu, quando pluribus Prophetis simul quid revelatum fuit, atque exspe-

ctandum,

ctandum, donec deciderint, quem priorem, quem posteriorem loqui voluerint; quod nescio an satis conveniens sit statuere. Altera sanè expositio minus coacta est & lenius fluere videtur. Quicquid sit, utraque expositio est analoga fidei, neque habuit Vir Clarissimus rationem dicendi, eam expositionem *non alio facere quam statuminando idolo liberi Arbitrii, eique subjiciendo inspirationes Spiritus Sancti & gratiæ.* Sed iratus fuit cùm hæc scriberet, uti etiam quando mihi alibi sententiam Pelagii impegit, de quo art. 150. fuit actum.

CCCLII. Ex irâ quoque profecta sunt quæ dicit num. 113. *Dictum Elisæi ad Nahamanem 2 Reg. V. 18. mavult spectare futurum, quam præteritum, solo animo lancinandi meam in contrarium sententiam, quam tamen Reverendi Belgæ Interpretes judicant optimè posse textui Hebraico convenire, Loci XVII. §. 5.* Unde enim novit, me hæc dictâsse *solo animo lancinandi ejus sententiam?* Id mea dictata præ se non ferunt, quæ sic habent ad System. XVII. §. 5. *Videtur tamen, si textus respiciatur, non petiisse Naaman remissionem peccati præcedentis, sed petiisse, ne hoc in malam partem trahatur, si officium politicum debeat imposterum exhibere Regi, modò aliàs ostenderet, se verum Deum colere. Et ad hoc respondet Elisæus: Abi cum pace: sed Naaman hîc non fecit simile istis hominibus* Pseudo Nicodemitis, de quibus agitur in Systemate: *illi enim citra ullam necessitatem faciendi officium politicum procumbunt coram Idolis, honoris saltem externi gratiâ, quod Naaman non fecit, qui non procumbebat coram Idolo; sed dum Rex coram Idolo procumberet, ipse procumbendo officium politicum exhibebat Regi, ut niteretur manu suâ, quod quia poterat rapi in scandalum, petit à Prophetâ, ne sibi vitio vertatur.* Quid quæso in his est, quod animũ lancinandi ipsius sententiam prodat? Nescio verò quomodo modestius à præceptore suo queat dissentire discipulus etiam is, qui manum ferulæ non subduxisset. Provoco ad textus connexionem, cum quâ optimè convenire puto meam expositionem, quæ Belgarũ versionem habet consentientem, etsi in notis inquiant, *posse versu 18. etiam commode juxta Hebræum textum verti in præterito*; cum tamen verterint in futuro, censuerunt utique, non illam Clariss. Viri, sed suam versionem optimè cum Hebræo convenire. Apparet sanè ex versu 15. Naamanum per miraculosam suam sanationem convictum esse in corde suo, solum Deum, quem colebant Israëlitæ, esse verum Deum, cui soli promittit versu 17. se imposterum esse serviturum, quæ omnia in futuro dici apparet ex textu: כי לא־יעשה עוד עבדך עלה וזבח לאלהים אחרים. In futuro ergo

ergo quoque sumenda, quæ sequuntur versu 18. Quomodo verò in præterito sumerentur, nisi dicamus, jam antea Naamanem fuisse conversum ad Deum verum, cujus nulla signa ex hoc capite apparent, sed omnia in contrarium, docente versu 15. demum per miraculosam istam sanationem fuisse Naamanum ad agnitionem veri Dei adductum.

CCCLIII Videamus quid peccatum à me notâ ad Syst. XVII §. 22. Dicit ibidem Vir Reverendus: *Schismati præveniendo plurimum inserviunt formulæ consensus; ut illi schisma & injustam secessionem moliri illico deprehendantur, qui ab istis formulis recesserint, & aliam doctrinam proponere aggressi fuerint*. Ad hæc verba hanc adjectam reperio notam. *Si hoc nempe faciant citra justam causam; si verò reverâ aliquid deprehendant erroneum in doctrinâ, non possent illud defendere, & si alii nolint eos pati in communione, non debet causa imputari sic secedentibus, sed potius ejicientibus*. Quæ an his verbis à me sint dictata equidem nescio: aliqua enim suis verbis exceperunt illi, quibus primò dictata hæc sunt, atque dictatis adjecerunt. Quicquid sit, rem ipsam non putem posse Theologo Reformato displicere. Quid enim in his est à veritate alienum? An ergo dicendum est, si quid in formulis consensus aliquis deprehendat erroneum debere illud contra conscientiam suam defendere? An schismatis reus dicendus erit istiusmodi dissentiens & propterea ejectus, an non potius ejicientes? Non putem Virum Clarissimum aliter judicaturum, ac ipsemet in notâ meâ judicavi. Ego verò dum hæc dictavi animum attendi ad pontificios, qui nos schismatis accusant, etsi ipsi nos ejecerint, quòd noluimus ipsorum errores probare & defendere; neque aliud quid inculcare & repetere volui, quàm hoc ipsum quod Clarissimus Vir dixerat art. 15 Syst. XIII. Non itaque video, *quomodo* hanc notam *in rem suam possit trahere turbo Labadias*, quod postea inquit num. 115.

CCCLIV. Sequitur dissensus valdè exiguus inter me, & ipsum, sed qui mihi communis est cum Celeberrimis Viris Gomaro, Voetio aliisque Theologis nostris, & reverâ exigui valde est momenti: An in verbis Cœnæ, *Hoc est corpus meum*, sedes tropi sit in copulâ *Est*? An verò in prædicato propositionis? Ego posterius sentio, Vir Celeberrimus in Systemate statuit prius. Quòd autem idem hîc cum ipso sentire non potuerim, id factum est, quòd mihi non persuaderent ejus rationes in Syst. adhibitæ. Dicit Syst. XVIII. §. 21. *Quòd si tropum in prædicato constituas, tùm desinet ibi disparatum de disparato prædicari, ut omninò statuendum iis, qui*

tropicam

tropicam his locutionem agnoscunt. Quæ quia nullam videbam continere veritatem, dixi *falsa esse*, ratione hâc adjectâ, *quando enim dicitur, quòd disparatum de disparato prædicetur, hoc debet intelligi impropriè: id quod propriè loquendo est disparatum, debet impropriè explicari de eodem: aliàs impossibile est, ut disparatum de disparato propriè prædicetur.* Hîc sanè nihil mei supercilii apparet, prout mihi impingit num. 121. nisi hoc pro supercilio sit habendum, *nolle jurare in verba magistri*, & falsa dicere ea, quæ ratio falsa esse persuadet. Sed ut magis distinctè appareat, quàm non procedat hoc ipsius argumentum, proponamus illud in formâ & ad illud in formâ respondeamus. Tale erit in formâ argumentum: Si tropus verborum Cœnæ: *Panis est corpus Christi*, sit constituendus in prædicato: Ergo in istis verbis definet disparatum de disparato prædicari: Atqui absurdum est in verbis istis desinere disparatum de disparato prædicari. E. ℞. distinguendo. Si tropus verborum Cœnæ sit constituendus in prædicato: E. desinet disparatum propriè acceptum de disparato propriè accepto prædicari: concedo Majorem, nego Minorem; vel; E. definet disparatum impropriè acceptum prædicari de disparato propriè accepto: nego Majorem: concedo Minorem. Nunquam enim verè disparatum de disparato potest prædicari si propriè accipiatur; imò vel hoc ipsum signum est, vocem aliquam in ejusmodi propositionibus, in quibus disparatum de disparato prædicatur, debere accipi impropriè, si veram esse velimus istam propositionem. Nihil verò juvat ipsum quod inquit hîc num. 121. *me debere agnoscere, hanc esse propriam prædicationem, non impropriam, panis est signum corporis Christi.* Quæritur de verbis Cœnæ *Panis est corpus Christi*, an in hâc propositione sic prolatâ prædicetur disparatum de disparato? Dico prædicari disparatum impropriè acceptum de disparato propriè sumto, sicque illa esse vera; quæ falsa forent, si disparatum propriè acceptum de disparato propriè dicto prædicaretur. De hâc propositione sic prolatâ quæritur, an sit propria prædicatio? Non verò quæritur, an in illâ propositione: *Panis est signum corporis Christi*, (quæ quidem sensum verborum Cœnæ exponit, sed non ipsa *verba* Cœnæ continet) sit impropria prædicatio? Cùm enim hæc propositio sit prioris impropriæ expositio, hæc ipsa propriis verbis exprimitur. Aliud habuit Vir Reverendus in suo Systemate argumentum, quod similiter non concludere mihi videtur, & cujus vis facilè infringitur ex dictis. *Hic est stilus*, inquit, *ordinarius sacrarum literarum, ut in naturâ signorum explicandâ est usurpent pro* significat; *eò*

magis quòd lingua hebraica carens verbo quod huic posteriori respondeat, prius ejus loco vel subintelligere vel adhibere solet. Nam petitur principium, quòd vocula *Est* in istiusmodi propositionibus usurpetur pro *significat*. Verbi gr. Hæc propositio *Circumcisio est fœdus* exponi quidem potest per istam: Circumcisio significat fœdus, ubi in voce *significat* vocula *Est* tacitè includitur, atque æquivalet huic: Circumcisio est significans fœdus, vel, quod eodem redit: Circumcisio est signum fœderis. Quamvis autem in linguâ hebræâ soleat verbum *Esse* substitui vel subintelligi pro *significare*, tamen uti dictum, in istiusmodi propositionibus illud vocabulum *significat* tacitè in se copulam *Est* comprehendit. Sic non convincere argumenta Clarissimi Viri fuit ostensum.

CCCLV. At quòd sedes Tropi sit in prædicato his conficio argumentis. Primum, propositiones affirmantes ex eo oriuntur, quòd considerantes ideas, quas de rebus in mẽte nostrâ habemus, ea omnia de rebus asserimus quæ in eorum ideis reperimus. Neque verò possunt asseri de re aliquâ ea, quæ in alterius rei ideâ reperiuntur, sed si id fiat, ut vera sit propositio, debent vel voces, quæ denotant subjectum vel quæ designant prædicatum, impropriè accipi, adeoque esse tropicæ: at vocula *Est* tantùm inservit ad designandam affirmationem. Sic dum affirmo: *Panis est corpus Christi*, de pane dicitur id, quod in alterius rei ideâ continetur: falsa est ergo propositio, si propriè sumatur, vera autem erit, si vox *corpus Christi* impropriè accipiatur: Utrobique autem manet affirmatio, adeoque vis copulæ est eadem. Deinde, tropus est mutatio vocis à propriâ significatione in aliam: At in hâc propositione, *Panis est corpus Christi*, potest quidem facilè prædicatum converti à propriâ significatione in hanc impropriam, *signum corporis Christi*, non verò commodè potest sic converti vocabulum *Est*, quod copula tantum est, & propterea *Est tertii adjecti* appellari solet, adeoque vim suam perdere deberet, quæ est, ut sit nota affirmationis. Quòd verò inquit in Syst. Vir Clarissimus, *Voci Est duplex munus posse incumbere Logicum copulandi, & Grammaticum sive Rhetoricum, tropum sustinendi*, id cum non probetur rectè negavi in dictatis, quod hîc num. 122. simpliciter tantùm refert à me fuisse negatum. At rationes meæ negationis comparebunt ex dictis. Sed satis de quæstione illâ Rhetoricâ, circa quam etsi sit dissensus inter Orthodoxos Theologos, tamen sufficere potest, quòd omnes in eo conveniant, quòd hujus propositionis, *Panis est corpus Christi* sensus sit: *Panis est signum corporis Christi*, quo unanimiter Pontificiis contradicitur.

CCCLVI.

CCCLVI. Id quod dixit Vir Reverendus art. 22. *Sacramenta esse signa suo modo exhibitiva rei significatæ, prout clavium traditione quis mittitur in ædium possessionem, & olim Episcopi per annulum & baculum investituram suam consequebantur*, explicui in dictatis de exhibitione quæ fit per obsignationem, adjectâ ratione, quòd alia exhibitio, quæ non fiat per obsignationem nequeat concipi, quàm ejusmodi, quæ fingitur à Pontificiis, dum inquiunt sacramenta operari ex opere operato. Non putabam autem id improbari posse à Viro Clarissimo, prout fieri nunc video num. 123. Reverâ enim non potest concipi, quomodo sacramenta exhibeant rem significatam, nisi vel quâtenus res significata includitur aut inhæret realiter ipsis, ita ut unà cum sacramentis accipiatur, quæ sententia est Pontificiorum, aut ut non inhæreat nec includatur, sed tantùm conjungatur intentionaliter, & mente, eo modo quo solent res significatæ & obsignatæ conjungi cum suis signis & sigillis, ut iis, qui ad naturam sacramentorum attendunt, & promissiones divinas sibi applicant verâ & salvificâ fide, reipsâ obsignetur res significata, & sic obsignando per sacramenta ipsa res significata exhibeatur. Atque eo ducunt similitudines ab ipso adhibitæ. Non enim traditio annuli & baculi aliter exhibebat munus Episcopi quàm obsignando, nec traditio clavium aliter exhibebat ædium possessionem quàm obsignando, nisi velis hanc similitudinem eousque extendere, ut, quemadmodum claves sunt instrumentum naturale aperiendi ædes, ut sic intrare possis, ita quoque sacramenta sint tale instrumentum naturale, quod quis habens possit recludere sibi regnum cœlorum, illudque intrare & possidere pro lubitu, quod scio nolle Virum Celeberrimum. Si quis autem alium modum, quo sacramenta exhibeant rem significatam, distinctum ab his duobus queat clare explicare, eum me libenter auditurum profiteor. Sed fortè dicet: sacramenta exhibere rem significatam tanquam instrumenta moralia. At hanc ipsam exhibitionem aliter fieri quàm obsignando quomodo dicetur à Theologo Reformato? Instrumenta enim moralia vel rem significatam exhibent sibi inclusam & conjunctam aut inhærentem, vel non, sed tantum quâtenus ex more sigillorum obsignant, nos certò consecuturos rem significatam: Prius nemo dicet Reformatus: Ergo in posteriori erit acquiescendum.

CCCLVII. Dixerat porrò Syst. XVIII. §. 29. *Sacramenta illi, quem diximus fini, esse necessaria necessitate non absolutâ sed conditionatâ; necessitate*

item non medii, ut de quibusdam fingunt Pontificii, sed tantùm præcepti. Hanc ejus sententiam hâc meâ notâ volui confirmare: *Necessitas medii non potest convenire nisi iis mediis, quæ causa sunt salutis, cujusmodi sunt Christus, ejus satisfactio, fides, justificatio, sanctificatio.* Sed Vir Clarissimus num. 124. dicit, *hoc non esse satis accuratum: nam*, inquit, *bona opera quæ sunt via ad regnum non causa regnandi, sunt tamen necessaria ad salutem non tantùm necessitate præcepti, sed etiam medii.* Gratulari tamen mihi debeo, me hâc solâ censurâ hîc abire, quòd hæc mea annotatio non satis sit accurata: *graviora enim sumus passi.* Ego verò attendi ad oppositionem, quam ipsemet instituit inter finem & medium, & cùm scirem, ea, quæ sunt media respectu finis intenti, esse causas respectu finis ejusdem; prout exsecutione obtinetur, conclusi, non posse sacramenta habere rationem talis medii, quod opponitur fini, cum non sint causæ salutis. Idque satis erat ad refutandam sententiam Pontificiorum, qui sacramenta quædam volunt esse media talia, quæ sint causæ salutis. Neque hîc erat necessarium dicere de eâ acceptione vocis medium, quâtenus per id intelligitur *via* ducens ad metam. Nec putem, velle ipsum, ut sacramenta dicantur eâ ratione necessaria ad salutem, sicut sunt bona opera, & sic sacramenta esse viam ad regnum, quemadmodum sunt bona opera.

CCCLVIII. Arborem scientiæ boni & mali negavi in dictatis ad Syst. XVIII. §. 30. fuisse sacramentalem, cujus meæ negationis hîc unam repetii ex dictatis ad Syst. V. §. 62. rationem, quæ quia plenius rem istam declarant hîc adscribo: *Arbor vitæ fuit quidem sacramentalis, sed non arbor scientiæ: nam 1. omnia sacramenta data sunt ad usum; at hujus arboris usus fuit interdictus. 2. Sacramentorum participatio obsignat aliquod spirituale bonum; at hujus participatio potius obsignabat è contrario spirituale malum. 3. Sacramentorum usus inservit ad felicitatem, hujus verò arboris usus infelicitati inserviebat.* In quâ meâ sententiâ consentientes habeo Viros Clarissimos Matthiam Martinium de Fœderis naturæ & gratiæ signaculis pag. 319. & Joh. Coccejum de Fœdere §. 19. præterquam quòd rationes allatæ eam satis evidenter probent. Noster frigidam appellat rationem meam primam, dicens num. 125. *Cùm tamen in eo usum habet moralem & sacramentalem explorativum obedientiæ Protoplastorum, quòd ipsius usus & esus physicus interdictus illis esset.* Sed vis mei argumenti est: Sacramenta omnia data esse, ut eorum usu homines sibi gratiam spiritualem promissam applicarent, eaque sic per istum usum ipsis obsignaretur. Neque enim, si inductionem

ductionem instituas omnium sacramentorum, ullum reperies aliter se habens, & id requirit sacramentorum finis. Nullum verò sacramentum dari potest, cujus usus gravissimè sub pœnâ mortis æternæ fuerit interdictus. At usus ille explorativus obedientiæ Protoplastorum utique sacramentalis esse non potest. Sic Deus utebatur hâc arbore, quemadmodum etiam præcepto, quod datum fuit Abrahamo. Gen. XXII. sed non erat hic usus *hominis*: At sacramenta sunt concessa in usum hominis, & jussi sunt homines iis uti: Hâc arbore verò tantùm abest, ut homo jussus fuerit uti, ut planè interdictus fuerit ejus usus. Non ergo sic infirmatur mea ratio, sed fortius potius stabilitur, dum conceditur, prout concedi debet, non datam fuisse hanc arborem ad eâ utendum, sed potius jussum esse ab eâ abstinere.

CCCLIX. Ad Syst. XVIII. §. 32. contra Pontificios dicentes, *nova sacramenta differre à veteribus, ut prototypa à suis typis*, annotaveram hæc sequentia: *Id quod propterea statuunt, ut obtineant, differentiam esse essentialem inter Baptismum & Circumcisionem, qualis erat inter umbram & corpus. Potest quidem dici Circumcisio Baptismi antitypon, quo sensu Petrus aquas diluvii arcam sustinentes appellavit Baptismi antitypon* 1. Pet. III. 21. *quâtenus scilicet Baptismus & Circumcisio sunt signa ejusdem rei, sed Circumcisio non fuit typus Baptismi.* Hoc reprehensum video num. 126. ubi inquit Vir Clarissimus, *Cùm potius Baptismus ipse appelletur ibi ἀντίτυπον, quod nos servat, ut absurdè colligat inde, etiam Circumcisionem antitypum Baptismi dici posse.* Sed mens mea fuit, & Baptismum & arcam sive aquas diluvii arcam ferentes ἀντίτυπα dici à Petro ejusdem rei, salutis nempe æternæ, quo sensu apud Græcos Grammaticos dicuntur ἀντίστοιχα elementa, quorum idem est sonus, ut ἀντίτυπα sint signa sive typi, qui eandem rem significant vel adumbrant. Hæc interpretatio consentientes habet Calvinum, Bezam, Gomarum, alios. Calvinus: *Tantùm significat Apostolus, mutuam similitudinem esse, ac (ut vulgò loquuntur) correspondentiam. Forsan magis propriè locutus foret ἀντίστροφον vocando: qualiter Aristoteles Dialecticam facit ἀντίστροφον Rhetoricæ. Sed de verbis non est laborandum, ubi de re convenit. Ergo sicuti Noë vitam adeptus est per mortem, cùm in arcâ non secus ac in sepulchro inclusus fuit, & toto mundo pereunte servatus fuit cum exiguâ familiâ: sic hodie mortificatio, quæ in Baptismo figuratur, nobis ingressus est in vitam: nec salus speranda est, nisi à mundo simus segregati.* Beza: *Comparantur typi interdum*

cum veritate ipsâ, cujus sunt exemplaria &c. interdum verò cum aliis secundariis, ejusdem rei exemplaribus conferuntur : ut hoc in loco Baptismus dicitur ἀντίτυπον *ejus liberationis, quæ contigit ecclesiæ in diluvio. Nam & hæc liberatio & Baptismus adumbrant ecclesiæ sanctificationem & emersionem à peccati & mortis gurgite.* Gomarus: *Ea vox* ἀντίτυπον *hîc notat typum cum altero typo significatione convenientem. Quemadmodum enim aqua diluvii arcam sublatam eique inclusos & secundum Dei voluntatem morigeros Noachum & familiam sustinuit, & ab interitu communi servavit, & salutem ecclesiæ significavit: eâdem ratione baptismus fideles in ecclesiam tanquam in arcam collectos servari significat & servat.* Sic ergo & aquæ diluvii arcam ferentes ἀντίτυπον sunt Baptismi, & Baptismus ἀντίτυπον aquarum diluvii, quia ambo similiter sunt typi & signa, quæ eandem rem significant. Idque planè requirit textus, qui docet: Aquas diluvii sese ita habuisse ad salutem eorum, qui in arcâ erant, sicut nunc sese habeat Baptismus; ut quemadmodum illæ ferentes arcam significarunt salutem ecclesiæ, quæ adumbratur per arcam, ita Baptismus significet salutem baptizatis. Unde & aquæ diluvii & Baptismus similes sunt typi sive ἀντίτυπα ejusdem rei significatæ.

CCCLX. Interpretatio Loci 1. Cor. X. 2. quam habet Seldenus Lib. I. de Synedr. cap. 3. cùm valde mihi fuerit visa probabilis, hæc ex illo dictavi ad Syst. XVIII §. 33. *Sæpe mare accipitur pro aquis: sic Græci mare per* ὕδωρ *vertunt Exod. XIV. 27. Baptismus ergo in mari videtur intelligendus esse de purificatione illâ, quâ se debebant baptizare Israëlitæ, ut se præpararent ad accipiendam legem, quæ præscribebatur Exod. XIX. Baptismus autem in nube intelligendus est, quòd dum extra castra purificabantur immundi & leprosi, protegerentur à nube contra vim hostium. Id colligimus, quòd dum Paulus istiusmodi phrasi utitur:* Nolim vos ignorare, *non videatur significare aliquid quod expressè habetur in Scripturâ, sed, quod niteretur tantùm receptâ interpretatione majorum, compluribus tamen ignoratâ. Hoc habetur in scripturâ, quod per nubem fuerint protecti Israëlitæ communiter, quâtenus distinguebantur nube ab Ægyptiis.* Hanc interpretationem Vir Clarissimus num. 127. non tantùm *novam & absurdissimam* dicit, sed addit, *hoc stulto commento nihil stultius potuisse cuiquam excidere; ut jure hîc fingam, Paulum hoc loco non referre aliquid, quod expressè haberetur in scripturâ, sed id quod niteretur tantum receptâ majorum interpretatione.* Non tamen adeo stultus & absurdus fuit Vir solidæ eruditionis Seldenus. Nec sufficit accusare stultitiæ & absurditatis senten-

ſententiam, ſed eam oportet detegere & rationibus confutare, quod non factum: neque etiam rationes, quibus illa ſententia nititur vel leviter tetigit. Non enim videtur, poſſe hic Apoſtolum referre tanquam rem, quæ aliàs latuiſſet Corinthios, id quod cuilibet ex ſcripturâ erat notum, quòd per nubem fuerint protecti Iſraëlitæ communiter. Sed videat lector ipſum Seldenum, qui hanc interpretationem latius deducit. Mihi tamdiu probabilis erit, donec melius fuero edoctus.

CCCLXI. De Ultimo Chriſti Paſchate quæſtio eſt difficilis, quæ Chriſtianos multum diuque torſit, neque adhuc ita tota deciſa eſt, ut nihil dubii ſuperſit. Quæ hodie Vir aliquis doctus invenit ea cras alter rejicit & refutat. Illuſtris Scaliger ſemetipſum refutare non erubuit, & priorem ſententiam revocavit. Græci anticipâſſe volunt Chriſtum ſuum Paſcha & 13. Niſan habuiſſe in azymis; quæ ſententia ab omnibus aliis communiter rejicitur, quòd nullo modo videatur veriſimile, Chriſtum qui in omnibus legem obſervavit etiam rituum, hâc in parte voluerit ab eâ recedere; ſic enim ſolviſſet legem, non impleviſſet. Pontificiorum multi Chriſtum cenſent cum Judæis Paſcha celebrâſſe, inter quos primarii Toletus, Baronius, Bellarminus, Corn. à Lapide, aliique. E noſtris Brugſtonus & Cloppenburgius citati à Langio de annis Chriſti pag. 385. Lichtfootus quoque, qui hoc unico argumento nititur, quòd aliàs noluiſſent Sacerdotes ſanguinem Paſchatis adſpergere altari, quod in Paſchate Chriſti factum ſupponit. Alii exiſtimant, Chriſtum quidem ſuum Paſcha prius comediſſe quàm Judæos, ſed illum 14. Niſan, tempore legitimo à lege præſcripto, hos die inſequente. In quâ ſententiâ fuerunt inter Pontificios Paulus Burgenſis Epiſcopus, Onufrius Panvinus, Maldonatus aliique à Caſaubono commemorati. Ex Proteſtantium numero, Illuſtris Scaliger, Caſaubonus, Lud. de Dieu, Coccejus, Voſſius, Lud. Capellus, Wilh. Langius, alii. Sed cauſas, quare à Judæis dilatum fuerit Paſcha alii alias commemorant. Caſaubonus, Maldonatus, Scaliger, aliique putant, ubi diem Paſchatis à lege præſcriptum immediatè Sabbatum ſequebatur, ſolitos fuiſſe Paſchatis comeſtionem transferre in diem Sabbati; alii de iſtâ tranſlatione dierum feſtorum apud Judæos non ita conſtare putant, & Langius pag. 398. librum Gamalielis, qui in hoc argumento citatur planè ſuppoſititium eſſe dicit, imò falſum eſſe contendit id, quod dicitur de tranſlatione feſtorum pag. 396. 397. Coccejus quoque in Sanhedrim pag. 12. oſtendit, ſtante templo ſecundo regulam

Elieſe-

Eliesferis dictâ, ne Pascha ageretur feriâ 2.4.& 6.stante templo secundo non semper observatam fuisse. Idem pag. 13. ex Rosch Hasschanah cap. 4. §. 4. ostendit: *Si testes nulli venissent*, de visâ novâ lunâ, *etiam XXXI. diem festum & primum mensis fuisse constitutum.* Unde sic colligit Lud. de Dieu, potuisse tempore Christi fieri, ut trigesimus primus dies Adar unà cum sequente die ex senatusconsulto esset primus Nisan, atque ita contingere potuisse, ut qui secundum naturam & veram lunæ apparitionem esset decimus quartus, adeoque vera Parasceve, quam Servator observavit, Judæis ex senatusconsulto esset demum decimus tertius, & qui secundum lunæ veritatem esset decimus quintus, adeoque primus festi dies, secundum senatusconsultum tantùm esset decimus quartus adeoque parasceve. Ita conjecturis nituntur hâctenus omnes. Petavius putat, quod à Judæis propterea translatum fuerit Pascha, quia isti vitiosum cyclum lunarem fuerint secuti. Vossius & Petitus existimant, ideo id factum, quod Judæi noluerint Pascha agere ante æquinoctium; Capelli sententia est, Judæos alexandrinos observâsse 15. Nisan juxta medios motus lunæ, atque cum his Christum Pascha egisse, alios phasin lunæ observatam & ritus Judaicos fuisse secutos: sed hos omnes refutat Langius de annis Christi pag. 398. & seqq. Ipse vero aliam rationem hanc reddit, quod Christus Pascha celebraverit cum Karæis sectâ Judæorum, qui in Neomeniarum constitutione differebant à Thalmudicis. Hi enim si testes de visâ lunâ non venissent ante tenebras 30. die, aut ante illas non potuerint satis examinari, mensem priorem 30. dierum constituerunt. At illi si luna non visa esset 30. die, etiam exspectarunt 31. diem, quo, si luna aperto die horis 2. aut 3. ante occasum solis videretur, diem antecedentem habebant pro Neomeniâ. Atque ita autumat, potuisse contingere ut tempore Christi Karæis fuerit secundus dies mensis, qui Talmudicis erat primus, adeoque 14. Nisan, qui Talmudicis tertius, sicque Christum cum illis Pascha celebrâsse. Sic omnia hâctenus satis dubia, & cùm Judæi Talmudici, qui synedrii statutis stabant, maximo semper fuèrint numero præ Karæis, quos illi pro hæreticis habent, vix censendum est, voluisse Sacerdotes eorum agnorum sanguinem non ex communi Reipublicæ Judaicæ decreto legitimo die mactatorum aspergere altari.

CCCLXII. Quamvis & hoc ipsum sit dubium, An necesse fuerit, omnes agnos paschales afferri ad templum, ibique mactari, sicque eorum sangui-

ſanguinem aſpergi altari, dubito cum Cl. Coccejo in Lexico ad vocem פסח. *Poterant*, inquit, *qui volebant, agnum paſchalem ad templum afferre, & tùm ſpargebatur ſanguis & adolebatur adeps. An verò hoc ſemper factum ſit, aut fieri neceſſe fuerit, ambigo. Saltem nihil eâ de re praceptum eſt. Eodem modo quo in Ægypto poterant facere; ſed accumbentes & ſine aſperſione poſtium.* Atque agnus ille paſchalis, cujus ſanguis ſic adſpergebatur ad fundum altaris, ſacrificium erat, ſed ſi id non obtineret, non videtur ſacrificium potuiſſe appellari. Ex hâc igitur hypotheſi, quòd non neceſſarium fuerit ex præcepto divino omnes agnos paſchales ad templum afferre, diſtinctionem Grotio uſurpatam adoptavi, inter Paſcha θύσιμον & μνημονευτικὸν, quamvis alio ſenſu. Θύσιμον nempe appello illum agnum paſchalem, cujus ſanguis ad fundum altaris adſpergebatur, cum verò qui domi mactabatur, neque ad tentorium conventus adducebatur, cujuſque ſanguis non adſpergebatur, non puto commodius appellari poſſe ad oppoſitionem alterius & juxta naturam ſacramenti, quàm μνημονευτικὸν. At ut Paſcha μνημονευτικὸν appellentur azyma cum herbis amaris ſine agno, quo ſenſu id ſumit Grotius, utque Chriſtus tale tantùm Paſcha celebraverit, nunquam ſomniavi. Unde impoſterum à reprehenſione, quam habet Vir Clariſſimus num. 128. puto me fore immunem. Neque verò de hâc totâ re dubiâ & ambiguâ vel cum ipſo vel cum alio quovis mihi velim eſſe controverſiam.

CCCLXIII. Sequitur num. 129. nova taxatio, eaque gravior, quòd *ad §. 40. ſuperciliosè impugnem Marnixii & Bezæ obſervationem ad Act. XIX. 5. cui tamen Belgæ Interpretes Doctiſſimi inſiſtunt; ut eouſque adſtipulem vel Pontificiis pertendentibus, Johannis Baptiſma eouſque aliud à noſtro fuiſſe quod potuerit reiterari, vel Anabaptiſtis, rebaptiſationem inde propugnantibus.* Quibus antequam reſpondeam adjiciam notam quam ſpectat noſter: *Hac ſententia*, quòd à Paulo fuerint rebaptizati, *eſt Marnixii, à quo accepit Beza, quæ nititur iſto fundamento, quod particulæ μὲν & δὲ debeant ſibi reſpondere, adeoque quod iſta verba ſint Pauli explicantis baptiſmum Johannis, non vero poſteriora verba ſint verba Lucæ dicentis, quid Paulus fecerit, ſed tantùm quæ habentur verſu 6. Sed hoc fundamentum non eſt firmum: dantur enim exempla, in quibus particulæ μὲν & δὲ ſibi non reſpondent, ut Act. III. 22. 23. Alii ergo e noſtris concedunt, iſtos fuiſſe iterum baptizatos, in quo ſequuntur ſententiam ferè omnium antiquorum, eò quòd non inconveniens fuerit, quòd quemadmodum circumciſi*

cumciſi

cumcisi in Christum venturum, postea baptizarentur à Johanne in Christum venientem, hoc est, qui in viâ erat ad munus suum publicum auspicandum: *ita etiam baptizati in Christum venientem postea baptizarentur in eum, qui jam venerat,* hoc est qui jam publicè prodiisset, atque se Messiam, & Prophetam promissum ostendisset. *Unde tamen non sequitur, quòd Baptismus Johannis totâ essentia differat à nostro, sed tantùm quod differat in circumstantiis. Hæc autem sententia magis conveniens videtur cum toto contextu verborum istorum. Nam primùm rogantur isti discipuli, an acceperint Spiritum Sanctum? Respondent, se nescire, an sit Spiritus Sanctus, h. e. eo sensu, quo tunc vox ista crebro accipiebatur, nempe pro donis Sp. S. quæ visibiliter effundebantur in credentes. Rogantur deinde, in cujus nomine baptizati fuerint? Respondent, se baptizatos esse baptismo Johannis. Sic occasio datur Paulo docendi, quantò inferiora essent omnia in Jo'anne quàm in Christo, quo moti videntur petiisse, ut baptizarentur in nomine Christi, & acciperent illum Sp. S. de quo dixerat Paulus. Hinc Lucas dicit, utrumque factum, & sic fuisse baptizatos, & accepisse Spiritum Sanctum post impositionem manuum Apostoli.* Atque in his verbis meis nihil quicquam comparet supercilii, nisi hoc sit supercilium, quod secutus veteres recedam à novâ Marnixii sententiâ, quam Beza & Belgæ sunt secuti, quo nomine & Magnus Vossius esset reprehendendus Disp. VIII. de Bapt. th. 30. & seqq. qui eandem planè sententiam propugnat. Sed profectò, ubi dissensio est inter partes Reformatorum, possumus utique sequi eam opinionem, quæ rationum ponderibus præ aliâ se commendat, quod a me hîc factum. Quòd verò hîc nihil habeam cum Pontificiis commune vel ex inspectione meæ annotationis satis apparet. Neque Anabaptistas inde rebaptizationem evincere posse ostendit Vossius thes. 34. potestque facilè illis ex hâc ipsâ meâ notâ os obstrui.

CCCLXIV: De Charactere Bestiæ hæc dictavi ad §. 46. *Commodius per characterem Bestiæ intelligimus legem Papæ oppositam legi Dei, ad quam in istâ phrasi alluditur dum dicitur esse in fronte & in manibus, sicut Israëlitis mandabatur, ut legem Dei assignarent frontibus & manibus, h. e. ut non minus præsentem haberent, quàm frontem & manus.* His obiicit Vir Celeberrimus num. 130. *Ut intelligatur de prætenso sacramento confirmationis esse inter Reformatos & Protestantes communiorem sententiam, cui etiam insistunt Reverendi Belgæ interpretes: quòd enim ipse mavult id trahere ad legem Papæ oppositam legi divinæ dilutius est & frigidius quàm ut admitti queat.* Ego verò non tàm de numero consentientium, quàm de pondere argumentorum sum solicitus

solicitus in judicio rectè instituendo. Quòd si consideremus Exod. XIII. 9. Deut. VI. 8. ubi Deus jubet, legem suam haberi pro signo in manu & fronte, h. e. vult ut eam profiteamur apertè, eique obediamus; &, si cogitetur legem bestiæ successisse in locum legis Dei, & Antichristum supponere suam legem loco legis divinæ, atque velle, ut ei obediatur in omnibus, apparebit sanè, non posse, hoc significantius exprimi, quàm per hanc loquendi formulam. Et coactum magis est, illud *emere & vendere* intelligere tantùm de iis, qui beneficiorum nundinationem exercent, non verò generaliter accipere de omnibus iis, qui in regno bestiæ vivere & conversari volunt, quod citra contractum emptionis & venditionis fieri non potest. Imò videtur illa interpretatio textum Johannis enervare. Nam bestia illa dicitur omnibus qui pertinent ad regnum ejus, dare characterem, qui ut universaliter exprimantur citra exceptionem, recenset Sp. S. ea genera hominum, sub quibus omnes possunt contineri, magnos & parvos, divites & pauperes, liberos & servos: At sanè pauci admodum suscipiunt sacramentum confirmationis in Papatu, omnes verò qui sunt sub dominio bestiæ suscipiunt bestiæ legem. Sed cùm satis fuerit ipsi hanc interpretationem tanquam dilutam & frigidam rejicere, nos lectori hîc judicium relinquimus, utrum convenientius sit locum Apoc. XIII. 16. 17. de confirmationis sacramento interpretari, quàm de lege Antichristi & bestiæ.

CCCLXV. Psalmi VIII. versum 3. explicueram ad §. 55. sic dictando: *Intelliguntur isto in loco Apostoli, qui pro idiotis habebantur, eoque nomine contemptim traducebantur; unde parvuli dicuntur, quòd non magis æstimarentur quàm parvuli.* At Vir Celeberrimus inquit num. 131. *hanc meam allegoriam frigere*, nullâ tamen adjectâ ratione. Videamus igitur scopum hujus Psalmi. Is patet ex versu 2. ubi *nomen Jehovæ dicitur ingens in totâ terrâ*. Hoc non potest intelligi, nisi de temporibus N. T. Sub Veteri enim Testamento gentes fuerunt *ἄθεοι* in mundo Eph. II. 12. & *tunc statuta sua dederat Israëli, neque ita fecerat ulli genti* Ps. CXLVII. 19. Hæ igitur oblitæ Dei Ps. IX. 18. Dei nomen non magnificabant, sed sola gens Israëlitica exiguis partibus mundi comprehensa. Tunc ergo nomen Dei non erat magnificum in totâ terrâ, quàndo non nisi à paucis Judæis laudabatur & commemorabatur. At nomen Dei magnificum est in totâ terrâ, quando agnoscitur ab hominibus habitantibus in totâ terrâ, quod utique factum est sub temporibus N. T. Imò tunc demum id futurum

cognosci potest luculenter ex Mal. I. 11. *Magnum erit nomen in gentibus.* Est enim apud Malachiam prædictio ejus, quod futurum erat sub N. T. quod non puto negatum iri Ostenditur igitur hîc versu 3. quâ ratione, sive quibus mediis nomen Dei adeò excellens sit sub N. T. dum docet Psaltes, id fieri modo multum ab humano differente. Reges solent magnificari à magnis & potentibus, qui magni æstimantur inter homines. Id auget eorum majestatem: At Deus utens infantibus & lactentium ore consequitur, ut nomen suum magnificetur. Græci vocem עוללים vertunt per νηπίων satis convenienter. Νήπιοι autem sunt non tantum ætate tales, sed etiam alii moribus & cognitione vel saltem æstimatione hominum similes iis. At quinam illi sint sub N. T. docet Christus Matth. XI. 25. ὅτι ἀπέκρυψας ταῦτα ἀπὸ σοφῶν καὶ συνετῶν, καὶ ἀπεκάλυψας αὐτὰ νηπίοις, quo nomine discipulos Christi & imprimis Apostolos intelligi oportere manifestum. Hi enim sunt, in quorum ore posuit verbum veritatis, quod gentibus ab ipsis prædicatum est, atque ita magnificatum est nomen Dei in totâ terrâ, collectâ ecclesiâ ex omnibus gentibus, ut sic omnis lingua laudaret Deum. Ita frigida non erit explicatio, quæ tam firmâ ratione, ex penetralibus textus desumptâ, est fundata.

CCCLXVI. Pergimus ad Joh. III. 5. quem locum sic explicui ad §. 57. *Hîc per aquam intelligimus sanguinem & obedientiam Christi, quia plenam remissionem peccatorum afferunt, & purificant ab omnibus carnalibus ceremoniis, quibus tanquam stercoribus Israëlitæ sese contaminaverant, putantes ea facere ad justitiam; si enim aliud sit præter Spiritum Sanctum, quod aqua dicatur, quâ Christus baptizat, id etiam per aquam istam est intelligendum, de istâ aquâ agitur Ezech. XXXVI. 25.* Quis putâsset explicationem nitentem phrasi & stilo Scripturæ consueto & recepto iri improbatum? At Vir Celeberrimus eam appellat num. 131. *Violentam detorsionem, & me somniare, per aquam intelligendum sanguinem & obedientiam Christi, quòd hîc aqua aliud sit præter Spiritum Sanctum.* Nolo equidem negare, aquam aliquando ipsum Sp. S. designare. Sed id tamen in interpretatione Scripturæ est observandum, ut ubi conjunguntur vocabula, quæ separatim posita, possunt idem significare, à se invicem, quantum id patitur scopus & connexio, distinguantur. Exempla sunt ubivis obvia. Sic Gen. I. 24. conjunguntur בהמה ורמש וחיתו הארץ, cùm tamen vox בהמה & חיה si separatim ponantur soleant quamvis bestiam significare. Sed rectè interpretes per בהמה intelligunt ibi bestiam mansuetam & cicurem, & per חיה bestiam feram,

ram, quæ dicitur חית הארץ, quod in terrâ liberè vagetur, neque alicujus sit propria vel in alterius servitio. Ita hîc quoque, licet vocabula aqua & spiritus seorsim posita soleant denotare Sp. S. tamen quando conjunguntur præstat distingui, præsertim cùm vox aqua etiam aliud quid in Scripturis soleat significare, quàm Sp. Sanctum. Nempe aqua designat manifestè obedientiam Christi in loco citato Ezech. XXXVI. 25. *Et fundam super vos aquas mundas & purificabimini ab omnibus impuritatibus vestris & ab omnibus stercoribus vestris purificabo vos.* Agitur enim de eo quod tollit reatum, qui nomine impuritatis hîc significatur: At verò nihil est, quod eum tollat, nisi obedientia Christi usque ad mortem crucis; quo facit 1. Joh. I. 7. ubi *sanguis Christi* (quo nomine synecdochicè intelligitur omnis Christi obedientia, quæ se maximè in eo exseruit, quòd etiam sanguinem pro nobis effudit, sive mortem ignominiosam crucis pro nobis subiit & sustinuit) dicitur *nos purgare ab omni peccato.* Spiritus postea versu 27. facit mentionem Ezechiel: *Et spiritum meum ponam in medio vestri, & faciam, ut in definitionibus meis ambuletis & judicia mea observetis, & ea faciatis.* Ita ut locus Ezechielis XXXVI. 25. & 27. parallelus sit Joh. III. 5. atque Christus nunc dicat id fieri oportere, quod ab Ezechiele fuit promissum; unde & meritò reprehendit Nicodemum, quòd tanquam Doctor Israëlis id ignoraret. Sed & alibi per aquam intelligitur Christi obedientia, quo facit manifestè Heb X. 22. *Προσερχώμεθα μετ' ἀληθινῆς καρδίας ἐν πληροφορίᾳ πίστεως, ἐρραντισμένοι τὰς καρδίας ἀπὸ συνειδήσεως πονηρᾶς, καὶ λελυμένοι τὸ σῶμα ὕδατι καθαρῷ.* Quid enim aliud esse potest aqua ista pura, quâ toti abluimur, quàm Christi obedientia perfecta & sanguinolenta, quâ expiavit reatum nostrorum peccatorum, ut conscientia peccati nondum expiati nos non amplius posset accusare. Id intellexit David Ps. LI. 9. *Expiabis me hyssopo & purificabor, lavabis me & præ nive albescam.* Non enim externa illa adspersio, facta fasciculo hyssopi intincto in sanguinem & aquam vivam, poterat expiationem veram conferre, sed id quod per eam significabatur, sanguis nempe & obedientia Christi; unde est quòd 1. Joh. V. 6. Christus dicatur venisse non cum aquâ solâ, sed cum aquâ & sanguine, i. e. cum hujusmodi obedientiâ, quâ patri obediens factus est usque ad mortem crucis.

CCCLXVII. Sequitur annotatio ad §. 59. sed brevis: *Hic locus Heb. VI. 6. nihil ad baptismum facit, cum ibi per illuminationem non intelligatur baptismus, sed illuminatio qua oritur ex verbo Dei.* Vir Clarissimus ei opponit

nit num. 132. *quòd videantur omnes veteres inde arcessere applicationem illius nominis huic sacramento.* Sed si hic velimus niti auctoritate veterum, quidni dicamus, in Baptismo omnes illas ceremonias debere adhiberi, quas veteres ex malè applicatis & expositis Scripturæ locis eduxerunt, quo nomine ipsemet Vir Reverendus à veteribus discedit §. 45. Syst. XVIII. Et sanè nihil est in hoc loco, quod nos ducat ad Baptismum, & Scriptura nullibi per φωτίζειν intelligit baptizari, neque symbolum Baptismi, quod est aqua, nos ducit ad cogitandum de illuminatione, neque quicquam analogi habet cum illuminatione, sicut habet cum regeneratione & sanctificatione. At per doctrinam verbi divini nos illuminari nemo negaverit, quo etiam ducunt reliqua, quæ in hoc versu sequuntur.

CCCLXVIII. Usus fuit Vir Celeberrimus Syst. XVIII. §. 63. tali argumento ad probandum contra Pontificios, non necessariò esse aquâ vinum diluendum in Cœnâ, *cùm genimen vitis simpliciter dicatur Christo, quod traditur in calice Luc. XXII. 18.* cujus argumenti sequelam cùm videre non possem, hæc paucula annotavi: *Sed potuit à potiori fieri denominatio: incertum enim est, an vinum, quo Christus fuit usus, aquâ fuerit dilutum; cùm etiam apud Judæos indifferens sit usus in Paschate; sive vini meri, sive mixti.* Cui notæ nihil aliud reponit, quàm ut dicat, *me, ut adversariis gratificer, statuere incertum esse, an vinum, quo Christus usus fuit, aquâ fuerit dilutum nec ne.* Sed cum adversariis Pontificiis nihil mihi intercedit commercii. Hi mixtionem vini cum aquâ ut necessariam commendant, & quæ sine grandi peccato nequeat omitti, cùm tamen istius necessitatis nullum possint ostendere præceptum divinum, neque illa mixtio ullam ad rem significatam habeat analogiam. Buxtorfius observat th. 20. de Cœnâ, Judæos in Paschatis celebratione vino uti quandoque puro & mero, quandoque diluto, ita ut id sit liberum & indifferens. Unde in Sepher Mitzvoth gadol fol. 118. 1. *Mensura poculi est quartarius vini sive novi sive veteris, puri seu diluti*, ut traditur in Tosephos. Cùm ergo Christus Paschate fuerit usus ante Cœnam institutam, atque indifferens fuerit in eo usus, sive vini puri sive mixti, quonam genere vini usus fuerit Christus determinari nequit; verisimile tamen videtur Doct. Vossio in Thes. Theol pag. 307. cùm Orientis vina generosa sint & calida, mixtum fuisse adhibitum. Eodem verò genere vini procul dubio usus fuit in Cœnâ, quo antea in Paschate, quod quale fuerit cùm sit incertum, incertum etiam esse oportet, quodnam fuerit in Cœnâ usurpatum. Si ergo Vir Celeberrimus nobis certo argumento pos-

fit

sit ostendere, merum adhibitum fuisse, libentissimo animo ei assentiemur.

CCCLXIX. Tandem indignatur annotationi, ad §. 66. quæ sic habet; *Consubstantiatores malè appellantur Lutherani. Συνουσία sive consubstantiatio esset, si ex duabus substantiis unam mixtam & temperatam facerent, aut si duas substantias in uno supposito ponerent. Sic συμψυχία dicitur eorum, qui unam tantùm quasi habent animam ob vincula amicitiæ: & Synusiastæ veteribus vocati sunt Apollinaristæ, qui unam dicebant esse Christi naturam ex duabus divinâ & humanâ mixtam & temperatam, quod postea & Eutychiani asseruerunt: Lutherani verò potius dicendi sunt Disusiastæ, quâtenus duplicem hîc agnoscunt substantiam, unam panis, alteram corporis Christi.* Verba Viri Clarissimi, quibus eam annotationem insectatur habentur num. 134. *In gratiam Lutheranorum asserit ad §. 66. eos malè à nostris appellari consubstantiatores, eorumq; dogma de corporis Christi præsentiâ, in, cum & sub pane, consubstantiationem dici, vel Græcè συνουσίαν, & quia novum Onomasticum vult cudere, ut in Philosophiâ sic in Theologiâ, mallet potius hoc dici διουσίαν & illos διουσιαστὰς quod duas substantias ibi collocent : ac si substantiam corporis Christi præsentem facientes substantiæ panis & cum pane eam collocantes, non æquè verè dici possint consubstantiatores ac Pontificii transsubstantiatores, quòd velint transire substantiam panis ut ei succedat substantia carnis Christi.* Miror autem admodum, hoc modo perstringi sententiam, quę tantùm agit de appellatione eorum, qui à nobis dissentiunt, adeoque quæstionem continet de solo nomine, & ratione satis est fulcita, & maximùSalmasium, quem merito suo Vir Reverendus magni æstimat, habet auctorem. Legantur tantùm ea quæ habet de Transsubstantiatione sub nomine Simplicii Verini pag. 509. 510. Item pag. 96. 97. & ex eo meam hanc annotationem depromptam esse apparebit. An ergo Ill. Salmasius hæc asseruit in gratiam Lutheranorum? Et quæ gratia ipsis fit, si dicantur Disusiastæ, non verò Synusiastę? An non tamen eorum sententia eadem agnoscitur, & æquè erronea habetur? An ergo Salmasius quoque novum Onomasticum in Theologiâ voluit cudi? An verò non satis intellexit vim vocis? dum inquit pag. 510. *Ita consubstantiatio vel συνουσίωσις est duarum substantiarum veluti in unum commixtio; non id vero est, quod sentiunt Lutherani, qui duarum substantiarum duobus suppositis distinctarum coëxistentiam statuunt. Quæ συνύπαρξις potius est duarum οὐσιῶν, quam συνουσίωσις.* Et pag. 97. *Lutherani potius dicendi sunt διουσιασταὶ, quâtenus duplicem in sacramento Eucharistiæ agnoscunt substantiam corpo-*

corporalem, unam panis, alteram Christi, ita ut illa tanquam continens & includens, altera ut contenta & inclusa consideretur. An ratione destituitur ejus argumentatio? Quod non puto dicturum Virum Clarissimum.

CCCLXX. Ita defunctus tandem sum hoc labore, ad quem suscipiendum invitus planè fui tractus, quod noluissem, si ullo modo id potuissem evitare, congredi cum meo olim præceptore, quem patris instar summo amore semper fui prosecutus. Quia tamen quamvis ipsum deprehenderim in me commotiorem accuratè cavi, ne ullum verbum excideret, quo ipsum possem offendere, &, ubicunque id fieri potuit, potius explicando, excusando & defendendo meam sententiam toto hoc opere processerim, quàm ut ipsum oppugnarem & consequentiis onerarem, vel ea tribuerem dogmata, quæ ex ipsius sententiâ sequuntur, quæ ipse toto animo aversaretur, sperem imposterum mitius mecum acturum & meliora de me sibi persuasurum. Hoc sanctè asserere possum, me in dictatis meis nullum alium habuisse scopum, quàm ut veritatem pro virili docerem juventutem meæ curę commissam sine ullius infestatione vel insultatione, Viri verò Celeberrimi Systema eo honore habuisse, ut aliis omnibus prætulerim & continua in illud collegia habuerim, atque in istud Commentarium perpetuum dictaverim, in quo etsi in paucis quibusdam ab ipso discesserim, id non ullo alio quàm veritatis, nullo insultandi ipsi studio fecisse, novit is qui omnia novit. Cùm verò plurima ex iis sint merè philosophica, alia problematica, de quibus inter Theologos nostros hâctenus plena dissentiendi fuit libertas, non est, quòd quis vereatur inde eversum iri universam purioris Theologiæ œconomiam. Si ipse parciùs Philosophiam Scholasticam applicuisset ad Theologiam, longè minor fuisset dissentiendi materia, quæ tamen, cùm philosophica sit non theologica, salvâ pace & amicitiâ, modò famæ & honori parcatur, quod à me studiose observatum, dissensio ejusmodi ferri potest. In eo igitur, ad quod pervenimus, ambulemus ad eandem regulam, idemque sapiamus, si qui verò aliter sentiunt, in rebus imprimis levioris momenti, hos toleremus & instituamus omni candore & mansuetudine, exspectantes animo moderato & pacifico, donec & hoc ipsum Deus iis revelaverit. Quem humillimo veneror pectore, ut nos in omnem ducat veritatem, eaque inspiret nobis omnibus pacis & concordiæ consilia, quæ inserviant ad nominis sui æternam gloriam, & ecclesiæ incrementum. Amen.

FINIS.